

BENEDICTO XIV, Papa


Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papae XIV... De sacrosancto missae sacrificio... / omnia in synopsis redacta ab Emmanuele de Azevedo S.J... ; tomus tertius. -- Venetiis : Apud Dominicum Pompeati, 1790

VIII, 244 p., *4, A-Z4, 2A-2F4, 2G6 ; 4° marquilla

Port. con grab. xil . -- Texto a dos col . -- Error de pág.

1. Misa 2. Meza 3. Liturgia I. Acevedo, Manuel (S.I.) II. De sacrosancto missae sacrificio... III. Título

R-5220 Ejemp. falta de p. 237 a 240. -- Enc. piel con hierros dorados en el lomo. -- Ex-libris ms. en port.: "Del Convento de S[a]n Hermenegildo de Madrid"



QUARANTA MARAVEDIS.

SELLO CUARTO, CUARENTA MARAVEDIS, AÑO DE MIL OCHOCIENTOS DIEZ Y SEIS.

~~N. 6723~~

R-5220

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
B E N E D I C T I
P A P Æ X I V .

O L I M

PROSPERI CARD. DE LAMBERTINIS &c.


DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO, NECNON DE FESTIS
D. N. JESU CHRISTI, BEATÆ MariÆ VIRGINIS,
ET DE QUIBUSDAM SANCTIS

OMNIA IN SYNOPSIS REDACTA

AB EMMANUELE DE AZEVEDO S. J.

SACRORUM RITUUM CONSULTORE.

TOMUS TERTIUS.



VENETIIS, MDCCXC.

* ~ * ~ * ~ * ~ * ~ *


APUD DOMINICUM POMPEATI
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Ad Curatorum de Sr. Homerejido de Madrid


Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten signature or name at the bottom of the page.

ERUDITO LECTORI


 Ue in duplici Commentario Benedicti XV. Pontificis Maximi, altero de festis, altero de Sacrificio Missæ cumulatissime pertractantur, vel omnia, vel certe, quæ sunt alicujus momenti, in hæc Synopsis parte breviori conclusa gyro, atque angustiorem, ut ita dicam, limitibus circumscripta, non tamen aut leviter attacta, aut penitus prætermissa reperies. Utrumque Commentarium italice scriptum prodiit primo Bononiæ, tum quadriennio post latine redditum denuo Patavii recusum est in Typographiâ Seminarii, atque a Carolo tunc Card. Rezzonico, nunc Clemente XIII. feliciter Regnante Auctori Suo nuncupatum. Quæ causa Prosperum Lambertinum ad Opus hoc conscribendum impulerit, idem Auctor in præfatione Editioni Bononiensi præfixa luculenter declarat. Voluit nimirum suis hisce laboribus, & nonnihil illis prodesse, quorum est diebus festis commissum sibi populum de Mysteriis ad Missæ Sacrificium pertinentibus imbuere; quo facilius hoc suo munere impostero fugerentur; & eos, quibus pro instituta Vita ratione satis esset otii, exemplo suo excitare & urgere ad Sacra studia alacri animo prosequenda, ne decurso Scholasticæ Theologiæ curriculo, satis se in rebus Ecclesiasticis versatos arbitrarentur; sed plurima adhuc cognoscenda sibi superesse intelligerent, in quibus reliquum ætatis tempus, simulque laborem, ac studium suum omnè utiliter collocarent. Agit in hoc opere Auctor noster primo de celebritatibus Historico-Theologicis, quas in honorem Jesu Christi, ac Sanctissimæ ejus Matris Ecclesiæ jure optimo ac sapientissimo instituit; ubi parem doctrinæ ac prudentiæ plane singularis laudem Auctor opinione omnium affectus est. Quum enim in hoc argumento Festis quamplurima excitata fuerint quæstiones a viris doctis, tanta obscuritate obseptæ, ut qui eas dirimere aggrediretur, periculosa plenum opus alexæ susciperet; hæc plerumque auctor ita proponit, nihil ut ipse affirmet, contentus aliorum sententias protulisse. Eas vero opiniones, quas liberiori ingenio scriptores nonnulli extulerunt, non modo validissimis argumentis refellit; verum etiam omnino studio nititur, ut ab illis amplectendis Lectorum mentes, atque animos revocet. Quin etiam opportuna remedia suggerit adversus quorundam hominum pestem, qui disciplinarum omnium expertes, nec nisi gallici sermonis peritia instructi, si quid apud Inclitæ illius Gentis scriptores offenderint, novum, inauditum, & a communibus inter catholicos, & antiquis

sententiis alienum; continuo illud arripiunt, & in familiaribus hominum conventibus spargunt, incredibili quadam novitatis libidine abrepti; eaque silent, qua ab ejusdem Gentis doctissimis quibusve, probataque pietate Viris fuerunt contra disputata. Tractationi huic, de qua haecenus verba fecimus, de sublimissimis Servatoris nostri, ac deiparæ Virginis Mysteriis adnectit Auctor veluti appendicis loco Acta Sanctorum quorundam, quorum dies festi cum officio ac Missa peragi quotannis consueverint in Bononiensi diocesi, ac demum commentarium alterum adjungit, in quo historico-Theologica expositio sacrosancti Missæ Sacrificii continetur; Egregium mehercule opus, nec umquam satis pro merito commendandum; & ab omnibus rei Ecclesiasticæ studiosis hominibus diurna nocturnaue manu versandum; nihil enim est de Augustissimo illo Religionis nostræ Mystério vel utile scitu, vel etiam necessarium, quod ibi summa perspicuitate, eruditione, ac profunditate non explicetur. Itaque si non tibi præsto sunt, erudite Lector, majora operum Benedicti XIV. volumina, ut possis ex ipso fonte pro sedanda Ecclesiasticæ eruditionis siti, aquas haurire; hæc eorundem Operum Synopsi, quam tibi impertimur, tamquam rivulo quodam ex eodem fonte deducto, utere, ut lubet, & erga nos, siquid in hæc tibi commodo comparando promeriti sumus, benignum te ac benevolum serva. Vale.



I N D E X

SYNOPSIS DOCTRINÆ DE SACROSANCTO MISSÆ SACRIFICIO.

P A R S P R I M A

De rebus ad Sacrificium Missæ generatim
spectantibus.

<p>EXERCITATIO I. De Missæ Etymologia, ac quo latomate celebranda sit. (ex t. 9. lib. 2. cap. 1. & 2.) 1</p> <p>II. De Tempore, Apparatu, & forma, quibus Missa celebrari incipit. (ex Instit. 21.) 3</p> <p>III. De Loco Sacrificii, & Templo, ejusque Consecratione. (ex tom. 9. l. 1. c. 1.) 4</p> <p>IV. De Altari. (ex t. 9. l. 1. c. 2.) 6</p> <p>V. De Altaris ornatu, ac primum de Cruce. (ex t. 9. l. 2. c. 3. & Bull. Const. XVII.) ibid.</p> <p>VI. De Luminibus. (ex t. 9. l. 1. c. 3.) 7</p> <p>VII. De Linteis Altaris. (ex t. 9. l. 1. cap. 3.) ibid.</p> <p>VIII. De alio ad usum Sacrificii spectante Apparatu. (ex t. 9. l. 1. c. 6.) ibid.</p> <p>IX. De Calice. (ex t. 9. lib. 1. c. 4.) ibid.</p> <p>X. De Vino, & Aqua. (ex Instit. 77.) 9</p> <p>XI. De Patenis, & aliis ad Calicem spectantibus. (ex t. 9. l. 1. c. 5.) 10</p> <p>XII. De Hostia. (ex t. 9. l. 1. c. 6.) 11</p> <p>XIII. De Vestibus Sacerdotalibus generatim; & de Birretto. (ex t. 9. l. 1. c. 7. & 9.) ibid.</p> <p>XIV. De Amictu, Alba, & Cingulo. (ex t. 9. l. 1. c. 7.) 12</p> <p>XV. De Manipulo, Stola, & Planeta. (ex t. 9. l. 1. c. 7.) 13</p> <p>XVI. De Quinque Sacrarum Vestium Coloribus. (ex t. 9. l. 1. c. 8.) 14</p> <p>XVII. De Benedictione Sacrarum Vestium, & Vasorum. (ex Instit. 21.) 15</p> <p>XVIII. De Symbolica Sacrarum Vestium significatione. (ex t. 9. l. 1. c. 10.) 16</p> <p>XIX. De Ministro, qui Sacerdoti celebranti inseruit. (ex s. 9. l. 1. c. 11.) 17</p> <p>XX. De Preparatione Sacerdotis. (ex t. 9. l. 1. c. 12.) 18</p>	<p>XXII. De Introitu. 20</p> <p>XXIII. De Invocatione Kyrie eleison. (ex tom. 9. l. 2. c. 4.) 21</p> <p>XXIV. De Hymno Gloria in Excelsis. (ex t. 9. l. 2. c. 4.) ibid.</p> <p>XXV. De Orationibus. (ex tom. 9. l. 2. cap. 4.) 22</p> <p>XXVI. De Epistola. (ex t. 9. l. 2. c. 5.) 23</p> <p>XXVII. De Graduali. (ex tom. 9. l. 2. cap. 5.) ibid.</p> <p>XXVIII. De Alleluja, Tractu, & Sequentiis. (ex t. 9. l. 2. c. 5.) 24</p> <p>XXIX. De Reliquis Actionibus, que sunt a Sacerdote in hac Missæ parte. (ex t. 9. l. 2. c. 6.) ibid.</p> <p>XXX. De Evangelio. (ex tom. 9. l. 2. c. 6.) 25</p> <p>XXXI. De Sermone post Evangelium olim ad populum habito, & Missæ Cathecumenorum. (ex t. 9. l. 2. c. 5.) 26</p> <p>XXXII. De Symbolo. (ex tom. 9. l. 2. c. 6.) 27</p> <p>XXXIII. De Offertorio. (ex tom. 9. l. 2. c. 6.) 28</p> <p>XXXIV. De Oratione Suscipe Sancte Pater, & aqua cum vino mixtione. (ex t. 9. l. 2. c. 6.) 29</p> <p>XXXV. De Orationibus Offerimus tibi, Domine &c. In spiritu humilitatis &c. & veni Sanctificator. (ex t. 9. l. 2. c. 6.) 30</p> <p>XXXVI. De ablutione Manuum. (ex t. 9. l. 2. c. 6.) 31</p> <p>XXXVII. De Oratione Suscipe Sancta Trinitas, & Orate Fratres. (ex tom. 9. l. 2. c. 7.) ibid.</p> <p>XXXVIII. De Secretis. (ex t. 9. lib. 2. c. 7.) 32</p> <p>XXXIX. De Prefatione. (ex t. 9. l. 2. c. 7.) 36</p> <p>XL. De Canone Missæ. (ex tom. 9. l. 2. c. 7.) ibid.</p> <p>XLI. De prima Canonis Oratione. (ex t. 9. l. 2. c. 13.) 38</p> <p>XLII. De Commemoratione Vivorum. (ex t. 9. l. 2. c. 13.) 40</p> <p>XLIII. De secunda Canonis Oratione. (ex t. 9. l. 2. c. 15.) 41</p> <p>XLIV. De tertia Canonis Oratione. (ex tom. 9. l. 2. c. 15.) 42</p>
---	---

P A R S S E C U N D A

De Missæ Partibus.

<p>XXI. De Missæ initio. (ex tom. 9. l. 2. c. 3.) 19</p>
--

- XLV. De forma Consecrationis. (ex t. 9. l. 2. c. 15. 44
- XLVI. De Consecratione Panis, & Vini. (ex t. 9. l. 2. c. 15. ibid. 53
- XLVII. De quarta Canonis Oratione. (ex t. 9. l. 2. c. 16. 46
- XLVIII. De quinta Canonis Oratione, ubi de Commemoratione Mortuorum. (ex t. 9. l. 2. c. 17. 49
- XLIX. De sexta Canonis Oratione. (ex t. 9. l. 2. c. 18s. ibid. 50
- L. De Oratione Dominica. (ex t. 9. l. 2. c. 19. 51
- LI. De Oratione Libera nos. (ex tom. 9. l. 2. c. 19. 51
- LII. De parte Missæ inter infractionem Hostiæ, & Communionem Sacerdotis. (ex t. 9. l. 2. c. 20. ibid. 54
- LIII. De Communione Sacerdotis. (ex t. 9. l. 2. c. 21. 54
- LIV. De Communione Populi. (ex t. 9. l. 2. c. 22. 55
- LV. De Missa privata, in qua nulli Communionis administratur. (ex tom. 9. l. 2. c. 22. 56
- LVI. De Communione sub una solùm specie. (ex t. 9. l. 2. c. 22. 57
- LVII. De Orationibus post Communionem. (ex t. 9. l. 2. c. 24. 60
- LVIII. De Benedictione supra Populum. (ex t. 9. l. 2. c. 24. ibid. 61
- LIX. De Verbis, & Actionibus inter Communionem, & Evangelium S. Joannis. (t. 9. l. 2. c. 24. 61
- LX. De Evangelio S. Joannis & gratiarum actione post Missam. (ex t. 9. l. c. 24. ibid. 62
- PARS TERTIA
- De quibusdam casibus Moralibus in Missa occurrentibus.
- LXI. Utrum Christus Jesus Apostolis, & Sacerdotibus præceptum imposuerit celebrandi Missam? Utrum hoc teneatur præcepto Sacerdos, qui neque curam animarum habet, neque alium præcipuum titulum, quo Missam celebrare teneatur? (ex t. 9. l. 3. c. 1. 62
- LXII. Quibus anni diebus Sacerdos, qui nullum, præter Sacerdotium, titulum habet, obligetur ad Sacrificium celebrandum; & an si licite non impediatur, graviter peccet nunquam celebrando? (ex t. 9. l. 3. c. 1. ibid. 71
- LXIII. Utrum convenientius sit & ad incrementum Ecclesiæ propius accedat celebrare, an non celebrare quotidie? celebrare frequenter, an minus frequenter. (ex t. 9. l. 3. c. 2. 53
- LXIV. An primo, medioque Ecclesiæ avaræ Sacerdotum celebratio fuerit? (ex t. 9. l. 3. c. 2. 64
- LXV. Quibusnam diebus teneatur Parochus celebrare? (ex t. 9. l. 3. c. 3. 65
- LXVI. Quibus diebus in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis Missa cantanda sit, (ex t. 9. l. 3. c. 3. 66
- LXVII. Quando celebrare Missam tenentur, qui Beneficium, vel Cappellaniam habent cum onere Missæ quotidianæ? (ex t. 9. l. 3. c. 3. ibid. 67
- LXVIII. Quibus diebus Missam celebrare non liceat? (ex t. 9. l. 3. c. 3. ibid. 67
- LXIX. An juxta disciplinam qua nunc viget, possit plures eodem die Sacerdos Missas celebrare? (ex t. 9. l. 3. c. 4. 67
- LXX. An Parochus duas Missas celebrare aliquando possit? (ex t. 9. l. 3. c. 5. 68
- LXXI. De Oratorio privato, & an extra Ecclesiæ Missa quandoque celebrari queat? (ex t. 9. l. 3. c. 6. 69
- LXXII. De Missa Nautica. (ex t. 9. l. 3. c. 6. ibid. 70
- LXXIII. An celebrare liceat sine sacris indumentis, & sine luminibus? (ex t. 9. l. 3. c. 7. 70
- LXXIV. An sine Ministro, an in polluis Ecclesiis; & quo tempore Missa celebrari queat? (ex t. 9. l. 3. c. 7. 71
- LXXV. De fructus mediæ applicatione ex ipso munere. (ex t. 9. l. 3. c. 8. ibid. 72
- LXXVI. De obligatione applicandi ex Beneficio, vel ex præcepto Superioris. (ex t. 9. l. 3. c. 9. 72
- LXXVII. De obligatione applicandi ex Eleemosyna. (ex t. 9. l. 3. c. 9. & 22. ibid. 73
- LXXVIII. De aliis quibusdam ad applicationem spectantibus. (ex t. 9. l. 3. c. 9. & c. 16. 73
- LXXIX. De Validitate Sacrificii, quo ad Ministrum. (ex t. 9. l. 3. c. 10. ibid. 74
- LXXX. De Validitate Sacrificii, quo ad materiam, & formam Sacramenti. (ex t. 9. l. 3. c. 10. 74
- LXXXI. De iis, que requiruntur ad licitam Missæ celebrationem, & primo de innocentia Sacerdotis. (ex tom. 9. l. 3. c. 11. 75
- LXXXII. De Jejunio naturali ad licite celebrandum. (ex t. 9. l. 3. c. 17. 76
- LXXXIII. De reliquis, que observari oportet, ut Missa licite celebretur. (ex t. 9. l. 3. c. 13. 77
- LXXXIV. An Matutinum, & Laudes

- necessario, & sub peccato ante Missa celebrationem dici debeant? (ex tom. 9. l. 3. c. 13. ibid.)
- LXXXV. De casibus, ubi Missa interruptur morte, aut infirmitate Celebrantis. (ex t. 9. l. 3. c. 14. ibid.)
- LXXXVI. De aliis casibus, quibus Missa interruptur. (ex t. 9. l. 3. c. 14. 78)
- LXXXVII. De defectibus, qui circa Sacrificii materiam occurrere possent. (ex t. 9. l. 3. c. 15. 79)
- LXXXVIII. De Defectibus, qui occurrunt in Forma Consecrationis (ex t. 9. l. 3. c. 15. 80)
- LXXXIX. De Concelebratione cum Episcopo ordinante, vel consecrante. (ex t. 9. l. 3. c. 16. ibid.)
- XC. De quibusdam casibus, qui Sacerdoti possunt occurrere vel in Missa vel extra Missam Eucharistiam suscipienti. (ex t. 9. l. 3. c. 17. 81)
- XCIII. Quibus diebus Eucharistiam in Missa ministrare vetitum. (ex tom. 9. l. 3. c. 18. 83)
- XCIII. De usu ministrandi Eucharistiam extra Missam. (ex t. 9. l. 3. c. 19. 84)
- XCIV. De aliis quibusdam ad Eucharistiam administrationem petentibus. (ex t. 9. l. 3. c. 20. & ex t. 1. Bul. num. 93. p. 314. 85)
- XCIV. De Missarum Elemosyna. (ex t. 9. l. 3. c. 21. ibid.)
- XCVI. De aliis quibusdam questionibus, que circa Sacrificium Missa tractari solent. (ex t. 9. l. 3. c. 22. 88)
- XCVII. De particularibus Beatorum Missis, & celebratione in Ecclesiis Regularium. (ex t. 9. l. 3. c. 23. & ex t. 4. de Beatif. p. 2. c. 2. n. 1. 2. usque 5. ibid.)
- XCVIII. De celebratione quorundam Missarum. (ex tom. 9. l. 3. 89)
- XCIX. De quibusdam observandis circa Missas Defunctorum. (ex tom. 9. l. 3. c. 23. 90)
- C. De pietate, ac Religione in Sacro celebrando necessariis ac de tempore, quod illi impendi debet. (ex t. 9. l. 3. c. 14.) ibid.
- DE FESTIS D. N. JESU CHRISTI.
- L I B E R I.
- CAP. I. DE Festo Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi, & Octava Nativitatis ejusdem, que Kalendis Januarii celebrantur. 92
- CAP. II. De Festo Epiphania, quod postridie Nonas Januarii celebratur. 94
- CAP. III. De Sanctissimi Nominis Jesu Festo, quod secunda post Epiphaniam Dominica celebratur. 103
- CAP. IV. De Dominica Palmarum. 105
- CAP. IV. De Matutinis Tenebrarum, que Quarta, Quinta, & Sexta Feria Vespere recitantur. 109
- CAP. VI. De Feria V. in Cena Domini. 122
- CAP. VIII. De Sabbatho Sancto. 149
- CAP. IX. De Dominica Pasche, ac duobus Festis que consequuntur. 161
- CAP. X. De Festo Ascensionis, quod Feria v. celebratur, que Dominicam v. post Pascha consequitur. 162
- CAP. XI. De Festo Pentecostes, quod prima Dominica celebratur post Dominicam infra Octavam Ascensionis. 170
- CAP. XII. De Festo Sanctissima Trinitatis. 174
- CAP. XIII. De Festo Corporis Christi, quod Feria v. celebratur post primam Dominicam, que Pentecosten proxime consequitur, seu post Octavam ejusdem Pentecostes. 175
- CAP. XIV. De Festo Inventionis S. Crucis. Die III. Maji. 176
- CAP. XV. De Festo Transfigurationis D. que die 6. Augusti celebratur. 179
- CAP. XVI. De Festo Exaltationis Ss. Crucis Die 14. Septembris. 181
- CAP. XVII. De festo die Natali Domini Jesu Christi die 25. Decembris. 182
- DE FESTIS BEATÆ MARIE VIRGINIS.
- L I B E R II.
- CAP. I. **O**lim quot instituta Solemnitates in honorem Deiparæ: Proponitur hujus secundi libri materia, ac primum agitur de Festo Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph. Die 23. Januarii. 191
- CAP. II. De Festivitate Purificationis B. Mariæ V. Die 2. Februarii. 193
- CAP. III. De Festo Ss. Annunciationis. Die 25. Martii. 196
- CAP. IV. De festo Dolorum B. V. Feria v. Hebdomada Passionis. 199
- CAP. V. De Festo Visitationis B. Virginis. Die 2. Julii. 201
- CAP. VI. De Festo B. Virginis de Monte Carmelo Die 16. Julii. 203
- CAP. VII. De Festo Dedicationis Ecclesie S. Mariæ ad Nives Die 5. Augusti. 204
- CAP. VIII. De Festo Assumptionis Beatissime Virginis, ad diem 15. Augusti. 206
- CAP.

- CAP. IX. De Festa Natiuitatis Beatissime Virginis Die 8. Septembris.* 211
- CAP. X. De Festo Nominis Mariae. Dominica infra Octavam Natiuitatis* 213
- CAP. XI. De Festo B. Mariae de Mercede. Die 14. Septembris.* ibid.
- CAP. XII. De Festo Rosarii Beatissimae Virginis. Dominica 1. Octobris.* 214
- CAP. XIII. De Patrocinio Beatissimae Virginis, In tertia Dominica Novembris.* ibid.
- CAP. XIV. De Festo Presentationis B. Virginis. Die 21. Novembris.* 216
- CAP. XV. De Festo Conceptionis B. Virginis. Die 8. Decembris.* 217
- CAP. XVI. De Festo Translat. S. Domus Lauretae. Die 10. Decembris.* 220
- CAP. XVII. De Festo Expectationis Partus B. V. Die 18. Decembris.* 222
- CAP. XVIII. De Festo Sanctae Mariae in Sabbato.* 223
- DE QUIBUSDAM SANCTIS.
- De quibus celebratur Officium cum Missa in Civitate & Diocesi Bononiensi.
- CAP. I. DE Ss. Hermete, Aggeo, & Gajo Die 4. Januar. pag. 225*
- CAP. II. De S. Raymundo de Pennafort. Die 23. Ianuarii.* 226
- CAP. III. De S. Zama Episcopo Bononia. Die 24. Ianuarii.* ibid.
- CAP. IV. De S. Guarino. Die 6. Februarii.* 227
- CAP. V. De S. Juliana Vidua. Die 7. Februarii.* 228
- CAP. VI. De S. Faustinauo Episcopo Bononiensi. Die 26. Februarii.* 258
- CAP. VII. De S. Basilio Episcopo Bononiensi. Die 6. Martii.* 229
- CAP. VIII. De S. Catharina Bononiensi. Die 9. Martii.* ibid.
- CAP. IX. De S. Tertulliano Episcopo Bononiensi. Die 27. Aprilis.* 23
- CAP. X. De S. Theodoro Bononia Episcopo. Die 5. Maji.* 235
- CAP. XI. De S. Pio V. Die 5. Maji.* ibid.
- CAP. XII. De B. Nicolao Albergato S. R. E. Cardinali, & Episcopo Bononiensi. Die 10. Maji.* 230
- CAP. XIII. De S. Proculo Milite, ac Martyre. Die 1. Junii.* 233
- CAP. XIV. De S. Parisio Confessore. Die 11. Junii.* 234
- CAP. XV. De S. Paterniano Bononia Episcopo. Die 12. Julii.* ibid.
- CAP. XVI. De S. Dominico Confessore Dei 4. Augusti.* 235
- CAP. XVII. De S. Bononio Abbate. Die 30. Augusti.* ibid.
- CAP. XVIII. De B. Petro de Arbues. Die 17. Septembris.* 236
- CAP. XIX. De S. Eusebio Bononia Episcopo. Die 26. Septembris.* ibid.
- CAP. XX. De S. Petronio Bononia Episcopo. Die 4. Octobris.* 237
- CAP. XXI. De Commemoratione Omnium Sanctorum. Die 1. Novembris.* 240
- CAP. XXII. De Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, Die 2. Novembris.* 241
- CAP. XXIII. De Ss. Vitale, & Agricola. Die 4. Novembr.* ibid.
- CAP. XXIV. De S. Jucundo Episcopo Bononia. Die 14. Novembris.* 224
- CAP. XXV. De S. Felice Bononia Episcopo. Die 4. Decembris.* ibid.
- CAP. XXVI. De S. Florianio, Die 16. Decembris.* 243

SYNOPSIS DOCTRINÆ

DE SACROSANCTO

MISSÆ SACRIFICIO

A SS. D. N.

BENEDICTO XIV. P. O. M.

TAM IN NONO OPERUM VOLUMINE, QUAM IN ALIIS SPARSIM TRADITÆ.

P A R S P R I M A.

De rebus ad Sacrificium Missæ generatim spectantibus.

EXERCITATIO I.

De Missæ Etymologia : ac quo Idiomate celebranda sit. (Ex Tom. 9. lib. 2. cap. 1. & 2.)

DE Missæ Sacrificio differentibus inspicendum primo occurrit, unde nominis sui originem ducit: quæ quidem in variæ sunt Eruditorum sententia. Cardin. Baronius, & cum eo Pontas in *Dictionar. Cas. Consc.* Missam a voce Hebraica *Missach*, cujus tamquam gratæ oblationis pro fructibus terræ *Deuteron. cap. 16.* mentio se offert, dictam arbitrantur. Albaspinus vero a voce *Mes*, quæ apud Septentrionales etiam nunc Conventum, & Festivitatem significat, derivatam contendit. Sed communior, & probabilior Eruditorum sententia Missam affirmat vocem esse Latinam, quæ idem sit ac *Missio*, seu abeundi venia. Et sane S. Avitus ex Senatore Romano Viennensis in Gallia Episcopus, & sæculi V. exeuntis Scriptor ait: *in Ecclesiis . . . Missa fieri pronuntiatur . . . cum Populus dimittitur.* Ubi Sirmondus notat, quantum a veritate aberret, qui Missam a voce Hebraica derivatam putat.

Hanc Missæ Etymologiam summo consensu amplexi sunt Heterodoxi Petrus Pichelerus, Augustinus Johannes Faschius, Joachimus Hildebrandus, & plerique alii.

Porro primis Ecclesiæ temporibus binæ dimissiones fiebant: prima, qua Diaconus Catechumenos, Pœnitentes, & Infideles post Evangelium, & concionem; altera, qua cæteros omnes Missa peracta dimittebat illis verbis: *Ita Missa est*, inde Sacrificio

nostro nomen Missæ inditum: qua in re consentiunt Card. Bona, Card. Bellarminus, Vicedomes, Georgius Cassander, alique fere omnes majoris notæ Critici. Ex quo facile constat ob illas binas dimissiones Sacrificium, plurali voce exprimi: *Missarum Solemnia.*

DD. Gregorius, & Thomas Missam inde dictam putant, quod Sacerdotis ministerio Fidelium preces ad Deum deferantur; quæ quidem Etymologia a pietate magis, quam a veritate adscita videtur. Jam si nominis antiquitatem indagemus, satis sit innuere Sacrificium incruentum, nomine Missæ indicatum fuisse, in Concilio Chalcedonensi; in II., & III. Carthaginensibus; in Ephesino; & a D. Ambrosio, qui etiam duas illas dimissiones memorat.

Nunc ad quæstionem, quo idiomate Missa celebranda sit, progrediamur. In Occidentali Ecclesia Latino sermone Missa dicitur. Ubi tamen impudentissima eorum adnotanda calumnia, qui id idcirco fieri contendunt, ut Sacrificii Mysteria populo omnino lateant. Quod quam falsum sit, ex Tridentina Synodo luculenter constat, quæ monet non expedire Missam Sermone vernaculo celebrari; sed jubet, eos, quibus animarum cura incumbit, festis præsertim diebus debere populum de Missæ Mysteriis instruere.

Quænellus in octogesima sexta ex propositionibus a Clemente XI. in Bulla *Unigenitus* dampnatis videtur significare voluisse, Missam vulgari Sermone celebrandam esse. Sed ejus opinionem sensu hoc intellectam refutavit E. Fontana Societatis Jesu; & Bevellus Ordinis Eremitarum S. Augusti-

ni Theologus . Ac licet Episcopus Rothomagensis in suo in manuali scripserit veterem morem Missam Vernacula lingua celebrandi , omnium fuisse pietati Fidelium maxime conformem ; atque ob id temeritatis , ac audaciæ nota a multis vapulaverit : non defuerunt tamen viri , qui illius defensionem susceperint . Non enim ex eo , quod veterem morem laudaverit , consequitur eam subinde introductam , Ecclesiæ consuetudinem improbasse : quemadmodum non damnaret præsentem Ecclesiæ erga Pœnitentes indulgentiam , qui diceret , facilius quondam Christianos a peccatis abstinnisse , quod aspera , & diuturna Pœnitentia punirentur . De quo videtis Author : Tract. de optimo Missam audiendi modo .

Joannes Ekius arbitratus est , ab Apostolis ad Hadriani Imperatoris tempora Missam Hebraica lingua celebratam fuisse ; tum vero primum in Sacrificio obtinuisse Græcam , & Hebraicam primis Ecclesiæ sæculis fuisse usurpatam ; Verum ex Historia Ecclesiastica exploratum habemus , Apostolos , eorumque successores ea lingua prædicasse , & Divina officia celebrasse , qua Populi , apud quos subliterant , loquebantur : adeoque in Occidentali Ecclesia Latino Sermone , utpote tunc communi , usus fuisse .

Quamquam vero his ob stare videatur S. Augustini Epistola 74. ad Novatum Episcopum , in qua scribit paucos admodum in iis regionibus linguæ Latinæ peritos reperiri ; communis tamen Doctorum opinio nos ab hoc dubio expedit ; cum ex illorum sententia , corrupta sit lectio & pro *Latina lingua* inopia , *Punica lingua* inopia legi debeat ; ut ex compluribus S. Doctoris textibus , in quibus communem Latinæ , & raram Punicae linguæ usum adfirmat , haud obscure colligitur .

Sed non in eo controversiæ cardo vertitur . Præcipua quæstio est , an si lingua , quæ olim Vernacula fuerat ; alio sermone in populam investo , apud doctiores duntaxat viros permanserit , Divina Officia , & Missa in novum vulgi Sermonem convertenda sint ? Id vero est , a quo semper abhorruit Catholica Ecclesia . Et profecto cui usui hæc idiomatis veteris in vulgare traductio ? An ut populus Sacrificii Mysteria penetrare valeat ? Sed hoc per Parochos , ac Sacros Oratores & dignius & utilius præstatur .

Accedit quod quum pleræque lingua propriis gaudeant expressionibus , & cuius non modo Geni , sed cuique pene Civitati par-

ticularis , & frequentibus vicissitudinibus subjecta sit Dialectus , sexcentis aperiretur janua contentionibus , & dissidiis ; ac populus vera quidem intelligeret , sensum tamen minime assequeretur , quod innumeros errores parturiret . Sane ad hæc evertenda scandala Alexander VII. Missale in Gallicam linguam a P. Vois Ordinis Prædicatorum conversum ; petente id Gallicano Clero , Regeque ipso suffragante condemnavit : cuius rei prolixam mentionem *tom. 4. Biblioth. critic. sac.* reperies .

Non exiguum ad comprobendam nostram sententiam momentum præfert exemplum Hebræorum in veteri Testamento ; apud quos licet post Babylonicam captivitatem Hebræus sermo vulgaris esse desierit , is tamen in administrandis sacris constantiter , perpetuoque remansit . Idem sermo apud Græcos contigit , quorum idioma nimium quantum ab Hellenica illa Elegantiâ deflexit ; atque adeo a veteri sermone differt , ut hic non nisi a doctis intelligatur viris . Nec tamen propterea Liturgia alia , quam antiqua Græcorum lingua celebratur . Unde quam variis Herulorum , Vandalorum , Gothorum , Longobardorum , aliorumque Septentrionalium populorum incursionibus prisca Romanorum lingua corrupta , & quasi deleta interierit , non tamen inde recte deducitur , eam pariter ex Missæ Sacrificio esse eliminandam . Id enim cum jam a plurimis Sæculis contigerit , & semper adhuc Ecclesia , nemine , si novissima tempora excipias , reclamante Latinam linguam in celebratione Missæ retinuerit , multum inde huic disciplinæ auctoritatis accedit , omnisque hodiernorum Novatorum calumnia validissime profligatur .

Gravior est difficultas , si de alicujus Gentis agatur conversione ad Fidem , an videlicet Liturgia Vernaculo Sermone illi sit proponenda ? Sub Hadriano II. Orientales Monachi , S. Cyrillus , & S. Methodius in iudicium vocati fuere , quod Sclavonica Lingua Liturgiam inter Moravos , quos Christi fidem docuerant , introduxissent : sed causa cognita , cum in sacro Senatu de re hac disputaretur , laudem , approbationemque sunt consequuti . Id iterum Joannes VIII. S. Methodio vetuit : post vero denuo concessit , si de vera eorum , sinceraque fidei Catholica Confessione constaret , & Evangelium Latine primo , deinde Sclavonice legeretur . Olim quippe Evangelium , Prophetæ ; & epistola Romæ & Constantinopoli quibusdam diebus utroque idiomate , Græco scilicet , & Latino recitabantur , quod etiam nunc

cunc Romano Pontifice solemniter celebrante observatur.

Sed quod ad Missæ Sclavonicæ usum atinet, Alexander II. in Concilio Episcoporum e Dalmatia, & Croatia coacto per Legatum suum venit, ne quis deinceps alia, quam Latina, aut Græcâ lingua Divina Mysteria celebrare auderet, ut post Thomam Archidiaconum Spalatensem monet Pagius. Sanctus quoque Gregorius hujus nominis septimus Uladislao Bohemiæ Regi Sclavonicæ Linguae in sacris usum denegavit, quem tamen Innocentius IV. cuidam in Sclavonia Episcopo permisit apud Rainaldum.

Sæculi elapsi initio Missionarii e Soc. Jesu facultatem petierunt celebrandi sermone Vernaculo Missam in Sinarum Imperio: id quidem a Paulo V. indultum, sed Breve Missionariis nunquam traditum. Iteratis dein precibus Congregatio super hoc habita fuit; nullum tamen editum Decretum. Anno demum 1681. Innocentio XI. missam fuit Missale in Sinicam linguam conversum, eoque utendi facultatem petiit P. Philippus Coupletus Procurator Generalis Missionum apud Sinas. Verum ne sic quidem celebrandorum vulgari Sinarum lingua Mysteriorum facultas impetrari potuit. Unde idem Coupletus super ejus usus utilitate dissertationem scripsit, cujus præcipua momenta Bollandiani in Propyleum Maii compegerunt.

Concludendum igitur, constantem disciplinam esse, ne Missæ Idioma mutetur. Est autem Apostolicæ Sedis in recenti populo rum conversione ad Fidem permittere, vel prohibere Vernaculæ linguae usum in Divinis Officiis; quamvis illa magis cuperet, ut ex recens conversis nonnulli Latinis litteris erudiantur, quam facultas concedatur adhibendi in Missæ celebratione Vulgarem linguam, veluti S. Otho Bambergensis Episcopus his, quos novissime ad Fidem converterat, insinabat apud Surium.

Concludendum item est, a veritate prorsus aliena esse, quæ temere Petrus Suavis, & Courayer contra Concilium Tridentinum, quasi obscurum, & cum decreto Joannis VIII. pugnans in medium protulerunt, cujus ponderi, & illa antonyma perspicitur quam inter hujus Papæ, & S. Gregorii VII. edita se invenisse arbitrantur. Ac ut de perverso hominum istorum vitæ instituto, partiumque studio taceam, abunde nobis rationes supra allatæ ad evertenda eorum dicta sufficiunt. Non enim Concilium Tridentinum alium anathemate feriit, quam qui effricta fronte contenderet *lingua tantum vulgari Missam celebrari debere*, contra-

riumque nefas esse. Unde nequa synodus hæc, neque Gregorii VII. Epistolæ indulto Joannis VIII. adversantur, qui certe cuidam Genti justis, ac validis rationibus permotus in celebrandis Missis sermone uti Vernaculo concessit: quum Ecclesiæ jus amplissimum competat pro rerum circumstantiis, & antea permissa vetare & vetita permittere, si communis Fidelium aut utilitas, aut periculum id expetat.

Frustra etiam adversus hæc tenus dicta quidam objiciunt *cap. 4. Epist. 2. ad Corinth.* Nam D. Paulus ibi solum exigit, ut qui donum linguarum obtinissent, ea lingua populo prædicarent, quæ omnibus Audientibus communis esset, nec vana, & inani ostentatione diversorum idiomatum gratiam jactarent. Ultimo demum solide Renaudotius monet, perperam nobis latinæ Linguae usum a Protestantibus exprobari; quum Coptica etiam lingua, quæ Orientales in suis Liturgiis utuntur, a longe paucioribus inter illos, quam apud nos Latina intelligatur.

EXERCITATIO II.

De Tempore, Apparatu, & Forma quibus Missa celebrari incipit (ex Insitut. 21.)

PRiori absoluta quæstione, resta methodus postulat, ut investigemus, quo tempore, quo apparatu, & qua forma Missæ Sacrificium inchoaverit. Et quidem quod ad primum atinet, ex Evangelio constat, & a Concilio Tridentino confirmatur, Christum per hæc verba: *hoc facite in meam commemorationem*, in ultima cœna non modo Missam, verum etiam Sacerdotil ordinem Instituisse. Quaritur itaque solum, quonam tempore Apostoli Divino præcepto obtemperantes incrementum Sacrificium primum obtulerint? Toto post Christi mortem triduo oblatum fuisse negat communis Doctorem opinio. De sequenti vero tempore duplex occurrit sententia: una P. Theophili Raynaudi, quæ affirmat, Apostolos, revocato ad vitam Domino, incredibili voluptate perfosos, statim primum Deo obtulisse Sacrificium. Altera Cardinalis Bonæ, quæ primum Sacrificium ad Pentecostem usque fuisse prorogatum existimat. Huic sententiæ favere videtur Ss. D. N. Benedictus XIV., & merito, quia cum illa optime congruit Sacrarum Litterarum auctoritas. Nam ante illapsam Paracletum in cœnaculo coacti describuntur Apostoli: *perseverantes unanimiter*

in oratione: completis vero Pentecostes diebus *perseverantes dicuntur in communicatione fractionis panis, & orationibus*. Quod ad primum Missæ Apparatum spectat; quidquid de S. Pauli *penula* disceptetur, utrum sacra vestis, an volumen sacre legis fuerit: illud affirmamus, quod licet non eadem pompa, eademque magnificentia, qua posterioribus Ecclesiæ saculis, sancta mysteria celebrata fuerint; Apostolos tamen super altate rem Divinam fecisse, ut ex verbis S. Pauli patet: *habemus Altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt*. Affirmamus etiam, eos ad imitationem Christi, calice usos fuisse, & patena, uti ex antiquissimorum librorum testimonio liquet, cujusmodi est liturgia, quæ S. Jacobo tribuitur. Dicimus tandem esse veritati maxime consentaneum, quod Apostoli sacrum facientes indumenta a communi usu remota assumpserint. Id enim & rei dignitati maxime convenit, & Judæorum, Ethnicorumque exemplis ante oculos propositis suadebatur. Quare S. Hieronymus quasi ex Apostolica traditione declarat: *Habere religionem Divinam alterum habitum in ministerio Altaris, alterum usu, vitæque communi*.

De prima Missæ Forma longe major est inter Auctores disceptatio. Aliqui solam Dominicam orationem in sacra oblatione ab Apostolis fuisse adhibitam arbitrantur. Alii ne hanc quidem ab Apostolis fuisse recitatam, sed a Gregorio fuisse primum adscitam contendunt. Secundæ hujus sententiæ falsitas patet, non modo ex eo, quod orationis Dominicæ mentio in pluribus liturgiis, ac Patribus S. Gregorio longe antiquioribus occurrat, verum etiam ex ipso S. Gregorio, qui libro 7. Epist. 64. scribit: *Orationem Dominicam idcirco post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent*. Prima vero sententia, licet multos, præsertim inter Heterodoxos, habet sectatores, non tamen tam firmis fulcitur videtur argumentis, ut in suas nos pertrahat partes. Pluribus enim non contemnendis rationibus freti putamus, a primis etiam Ecclesiæ incunabulis in Mysteriorum celebratione orationem Dominicam cum certis quibusdam precibus fuisse conjunctam. Sic S. Paulus suis in epistolis Fideles versari jubet in Psalmis, Hymnis, canticis, & preceationibus. Sic S. Justinus Martyr. *Apol. 2.* innuit in Christianis conventibus Apostolorum, & Prophetarum scripta legi, dein ab Episcopo concionem haberi consuevisse: Inde

vero Sacerdotem accepto pane, & Calice æterno Patri Sacrificium nomine Filii, & Spiritus Sancti obtulisse, multumque temporis in agendis gratiis, & preceationibus consumpsisse. Accedit, quod vix concipi queat, qua ratione tam multæ, tamque parum a se differentes Liturgiæ in diversissimis, remotissimisque regionibus tam subito efformari, potuerint, nisi eæ originem suam ab ipsa Apostolorum ætate repeterent; a quibus videlicet perpetua traditione deductæ in certam posthac formam secundum cujusque populi, & linguæ genium, & Antistitem solertiam congestæ fuerint. Neque huic sententiæ obstant S. Gregorii verba superius allata: nam præterquam quod non infimæ auctoritatis viri vocem illam *solummodo*, ex oscitantia Librariorum interjectam suspicantur; admittit etiam textus illius sinceritate, rem accuratius consideranti patet, vocem *solummodo* non esse allarum precum exclusivam, sed id significare, oblationis hostiam nunquam consecrari, nisi solummodo, quum etiam oratio Dominica recitatur; seu quod idem est, ad oblationem faciendam necessariam esse orationem Dominicam.

EXERCITATIO III.

De Loco Sacrificii, & Templo, ejusque Consecratione (ex tom. 9. l. 1. c. 1.)

Generatim loquendo, Sacrificium Missæ in Templis ab Episcopo, ad quem solum Consecrationis auctoritas spectat, consecratis, vel ab ipso, aut a simplici Sacerdote ejusdem jussu benedictis, vel in privatarum etiam ædium sacellis, accedente legitima facultate, est celebrandum. An autem etiam extra illa loca celebrari possit, alibi expendemus.

Apostolorum ætate duo occurrunt textus, qui de Sacrificii loco aliquid nobis indicare videntur. Unus *act. 20.* ubi de conventu in tertia Domus contignatione ad *frangendum panem* habito scribitur. Alter *1. ad Corinth. II.*, ubi Corinthii arguuntur, quod neglectis pauperibus opipare non domi, sed in cœtibus, ac latis secum dapibus vescerentur, & Ecclesiam Dei contemnerent. Verum licet quispiam ex primo loco Missam in tertia domus contignatione celebratam, ex altero autem jam tunc publica extitisse Tempora arguere posset; tuto tamen id affirmari nequit; quum primus necessitati innitatur; In secundo autem verba *Ecclesia Dei* a gravissimis viris non pro domo, sed pro cœtu Fidelium accipiantur.

Querenda igitur subsidia in hanc quaestionem ex fastis Ecclesiasticis, e quibus, ut Baronius adnotat ad A. C. 57., edocemur, ab ipsis Ecclesiæ primordiis complura fuisse templa, in quibus Missa celebrari consuevit, quæque *Dominicum, Domus Dei, Basilica, Memoria, Martyrium, Titulus* appellabantur. Savientibus dein persecutionibus, si in Templo celebrandi copia non daretur, nullus ferme non erat Locus, in quo Sacra Myſteria non peragerentur: quo spectant verba Dionysii Alexandrini apud Hælebium *lib. 7. Hist. Eccles. cap. 22. Quivis locus . . . ager, inquam, solitudo, Navis, Stabulum, Carcer ad Sacros conventus peragendos fuit.* In actis S. Saturnini, & Sociorum Martyrum Dominicum, & Collectæ in privatis domibus celebratæ dicuntur. Porro *Sacros Conventus peragere, collectas, & Dominicum celebrare* sunt dicendi modi illius ætatis, qui ad Missæ Sacrificium referuntur. Romæ autem, dum persecutio vehementius saeviebat, in arenariis Cryptis sacra peragebantur, convenientibus illuc Fidelibus, ut Sacrificii absque persecutorum metu participes efficerentur. In carceribus etiam Myſteria olim oblata fuerunt, ut ex S. Cypriani Epistola 5. ad Presbyteros, & Diaconos eruitur.

Hinc constans viguit disciplina, ut in Templis, nisi necessitas contrarium præciperet, incruentum Sacrificium Divino Numini exhiberetur, luculenter id tradente S. Basilio *lib. de Bapt. c. 8.* & Cyrillo Alexand. *lib. adversus Antropomorphitas c. 22.* Quinimo in Templis consecratis id fieri oportuit: quapropter S. Athanasius in Apologia ad Constantium totus est in diluendo crimine sibi impacto, quod in Templo nondum consecrato sacram synaxim habuerit. Cum vero aliqua solemnitas sacrarum Reliquiarum fieret translatio, tunc propter affluentem populi multitudinem, quam Ecclesiæ ambitus continere non poterat, in patenti campo Sacrificium sæpe peractum fuit, uti scriptorum veterum auctoritate probat Martene *lib. 1. de Eccles. Rit. c. 3. art. 5. num. XI.*

Quamquam autem usus hic celebrandi in Templis consecratis communiter fervaretur, multi tamen antiqui Patres, ut refert Card. Bona *lib. 1. rev. Liturg. cap. 19. num. 30.* & nos superius innuimus, siqua pietatis, vel necessitatis ratio urgeret, in locis etiam non consecratis Sacrificia facere non dubitarunt.

Ritus consecrandi Tempora ex veteri in novum Testamentum Apostolica institutione traductus est & adumbratus per Altaris san-

ctificationem a Moyse, & per Templi dedicationem a Salomone. S. Evaristus quosdam ritus addidit: Eusebius *Hist. Eccles. lib. 10.* consecrationis usum diu quidem jam introductum, sed Tyrannorum metu, dispersisque persecutionum crudelitate Fidelium cœtibus intermissum, pace per Constantinum Ecclesiæ reddita revocatum fuisse affirmat. Hujus consecrationis rationem reddunt Theologi, videlicet locum esse oportere accommodatum ministerio, cui sit destinatus. Quare per summam injuriam, ac temeritatem Calvinus hunc sacrum ritum contemnit, cum & veteris Legis auctoritate, & perpetua Ecclesiæ consuetudine, & celebrandi Myſterii majestate confirmetur, & commendetur. Ut autem ad posteriora descendamus sæcula, medii ævi temporibus eadem, ac primis disciplina viguit, ut scilicet in Templis Missa celebraretur. Pauli III. dein Pontificatu statutum fuit, ne in privatarum ædium Sacellis Sacra peragerentur, nisi obventa facultate a Summo Pontifice: Ecclesia enim non ejusmodi Sacellorum usum, sed ab usum improbat, veluti si quis in iis Oratoriis Sacras illas cæremonias peragi postulet, quæ in Templis sunt peragendæ, aut Missas in Solemnitate Paschatis, Nativitatis, aliisque diebus celebrari, quibus Missas ibidem haberi, tum Agathensi, & Aurelianiensi synodo, tum modernis etiam Constitutionibus prohibetur.

Ceterum non inficiamur, antiquissimis etiam temporibus facultatem concessam fuisse in privatis Sacellis Divina obeundi, ut præter alios testatur S. Gregorius *lib. 5. Epist. 43.* Perperam tamen ex venerabilis Bedæ verbis, quibus conqueritur Proceres suo tempore ad Ecclesiam, *non nisi orandi, & audiendi verbum causa venisse*, Hildebrandus Heterodoxus Ecclesiam Catholicam calumniandi occasionem arripuit, quasi ideo primores viri, de quibus Beda, in suis privatis Oratoriis potius, quam in Templis Missam audire voluissent, quod Sacrum Myſterium jam tum ineptiis, & superstitionibus contaminari cæperit. Verum infelix illius conjectura tam debili incumbit fulcro, ut ne refelli quidem mereatur. Quis enim dubitet, non eisdem fuisse tum in privatis ædibus, tum in publicis Ecclesiis Missæ Sacrificium offerendi ritus?

EXERCITATIO IV.

De Altari. (ex t. 9. l. 1. c. 2.)

Altare Lapideum esse oportet, & ab Episcopo consecratum, vel saltem petra ab eodem consecrata instructum, quæ Hostiæ, & Calici recipiendis sufficiat. Altaris, ejusque consecrationis mentio etiam in lege Naturæ occurrit, nam *Gen. 28.* Jacob dicitur tetexisse in titulum, oleoque unxisse lapidem, quem supposuerat capiti suo: & hæc prima sacræ Unctionis reperiuntur vestigia. E veteri quoque lege ritum deduci adhibendi oleum in Templorum, atque Altarium consecrationibus, concors est Theologorum sententia.

In nova lege Altaris meminit Apostolus ad *Hebr. 13.* *Habemus Altare.* Quamquam autem aliqui putent, crucem, vel Christam ibi significari, de quo nihil hic statuimus, affirmare tamen non dubitamus. disertissimam Altaris mentionem fieri in Evangelio *Matthæi cap. 3.* ac in omnibus Liturgiis. Exprobrarunt quidem Gentes Christianis, nulla eos habere Altaria, neque Origenes, aliqui antiquissimi Patres criminationem hæc tanquam falsam retulerunt. At nihil inde contra nos evincitur, cum de Aris illis loquerentur, super quibus falsorum Deorum simulacra colebantur. Constat deinde ex Optato Milevitano *lib. 6.* perpetuam viguisse in Ecclesia disciplinam celebrandi Missam super Altare; imo Lucianus Martyr proprio pectore in vinculis, & Theodoratus Diaconorum manibus, tanquam Altari usi fuere.

In lege veteri e terra, vel e lapide non polito Altaria fieri Deus jussit *Exod. 20.* Altare autem ære obduci *Exod. 27.* præcepit. Primis vero Ecclesiæ temporibus Altaria quidem lignea fuerunt, ut ex Optato Milevitano Donatistas objurgante eruitur, neque incredibile est, Apostolos etiam in ligneis Altaribus sacra fecisse ad imitationem Salvatoris, qui, legali Cœna parata, mensæ lignæ afficiens semetipsum in sacrificium obtulit Deo Patri. Quod certius adhuc de D. Petro affirmare licet, si traditioni, & Arringo fides habenda sit, qui in Roma sua *subterranea* ait, in templo S. Pudentianæ Altare ligneum conservari, in quo D. Petrus, dum apud Pudentem hospitio receptus moraretur, ut pia fert traditio, immortalis Deo Sacrificium offerebat.

Subsequentibus dein persecutionum temporibus, utrum præter lignea, Christiani ha-

berent etiam Altaria lapidea, an primus S. Silvester ligneorum usum sustulerit, controversatur inter doctos viros. Juveninus indiscriminatim, prout nempe rerum, locorumque opportunitas ferebat, adhibita fuisse arbitratur. Quidquid de hoc sit, illud ex S. Gregorio Nysseno luculenter patet, vergente in finem sæculo IV. Altaria fuisse lapidea. Ex libro Pontificali, aliisque vetustatis monumentis exploratissimum habemus, secundioribus Ecclesiæ rebus Altaria quæpiam argento puro, aut fusa, aut incrustata extitisse.

Accedimus nunc ad Petram sacram quæ ad celebrandam Missam, desiciente Altari consecrato, requiritur. Hæc in quibusdam antiquioribus Scripturis appellatur *Tabula Altaris, & Viaticum*; quod tamen in Ecclesia solum Latina usu venit: cum Petre hujus nullus apud Orientales sit usus, sed ejus in locum pannos adhibebant eodem, quo altaria, ritu consecratos, quos *Antimensæ* dicunt.

Duo tandem nobis adhuc animadvertenda supersunt; Mensam videlicet Altaris unica, vel pluribus columellis olim sustineri consuevisse, vacuo mensam inter, & pavimentum spatio interjecto, ut ex pluribus Historiæ testimoniis conjicere, & in Altaribus etiam nunc in sacris Romæ cryptis videre licet; unicum præterea antiquitas in singulis templis fuisse Altare: adjecta tamen fuisse in ambitu Ecclesiæ Oratoria, in quibus Missa celebraretur; qui mos hodierna etiam ætate apud Græcos viget.

EXERCITATIO V.

De Altaris ornatu, ac primùm de Cruce.
(ex t. 9. l. 1. c. 3. & Bull.
Crisp. XVII.)

DE Altaris ornatu dicendum nunc est, sine quo Missam celebrare, aut nefas est, aut indecorum. Consistit hic in linteis mundis tribus ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente benedictis: in Altaris Amiculo, seu pallio, cujus color Festivitatii congruat; in Tabellis Secretarum; in pulvino; in duobus ad minimum Cerei; in binis Ampullis cum Pelvicula; in manutergio, & Cruce. De hac in præsentis capite nobis sermo faciendus est: cetera alibi discutiemus. Audacior circa hujus in Ecclesia stabilitum usum Verti est opinio, qui ejus originem revocat modo ad privatam quorundam Presbyterorum devotionem, modo ad Aedituorum ignaviam, utpote, qui ne Crucem ab

Altari nunc demere, nunc iterum referre cogere, ab ea amovenda desisterint; ut inde Crux exeret esse fixus, ac permanens Altaris ornatus.

Sed Veritas non raro nimio criticis amore seduci se sinit. Longe prudentius juvenis differtat. s. de Sacramentis, postquam laudavit Concilii Turonensis Canonem 3. ut *Corpus Domini in Altari, non in armario, sed sub Crucis titulo componat; addit; Sic fert Ecclesiarum omnium consuetudo: cuius quidem cum in Conciliis, aut in Patribus initium non reperitur, ad ipsos Apostolos juxta Augustini principia referendi debet. Decuit etiam, ut ritus, de quo agitur, obtineret; par enim est, ut Christi passio Sacerdotis Sacrificantis oculis observetur, quam Missa ad vivum exhibet.* Huic opinioni favet S. Crucis cultus ipsi Ecclesie coævus, celeberrimum Constantiniani Magni miraculum, impositam in S. Sophiae Templo Ciborii vertici triumphale hoc signum; innumerique alii veterum Scripturarum textus. Quare ambigi non posse videtur de veritate sententiae, quae veterem, imo ab ipso Apostolorum tempore deductam esse affirmat observantiam non nisi ad Crucis conspectum Missam celebrandi: praesertim cum ipsa Ecclesia id agnoscere videatur, & sancte decreverit, in oblatione Mystica crucem necessarie adesse debere. Quin concors pene est Theologorum opinio, etiam in Altari, ubi Sanctissima custoditur Eucharistia, Crucis Imaginem esse collocandam. Nam licet ille ipse adsit, cujus imago exhibetur, is tamen Fidei solum oculis, non corporis cernitur; adeoque debilis terrenaque nostra natura non semper tam efficaciter ad passionis mysteria consideranda excitatur.

Neque officit, quod eidem tabernaculo parva Crux cum Imagine Salvatoris semper praefigatur. Hoc enim nulla ratione sufficit, ut expresse censuit congregatio SS. Rituum anno 1663. in Indice Decretorum quem Meratas exhibuit *part. 2. tom. I. num. 400.* ubi haec leguntur verba. *Crux parva cum Imagine Crucifixi postea super tabernaculum, in quo asseratur inclusum Sanctissimum Sacramentum in Altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia Crux in medio candelabrorum.*

Hinc SS. D. N. Bened. XIV. animadvertens hunc in plures Ecclesias ab usum irrepsisse, ut aut sine Cruce, aut cum exigua, ac tenuissima Sacrificium offerretur; sapientissimam anno 1746. edidit Constitutionem, in qua diserte, ac severe prohibet: *Ne*

Missæ Sacrificium in his Altaribus celebretur, quae careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommodè statuantur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis & exigua sit, ut ipsius Sacerdotis, & Populi assistentis oculos pene effugiat. Quod alienum esse a Legibus, Rubricis, & Institutis Ecclesiae, contrarium Sacrae antiquitati, & moribus Ecclesiarum Orientalium invictis argumentis demonstrat. Inde ad alias quaestiones resolvendas descendit.

Et primo quidem Crucem non nudam, sed cum Redemptoris effigie in Altare statui debere asserit. Nam licet in Missalis rubrica sola Crux commemoretur, id tamen magis in Cereimoniali Episcoporum dilucidatur, & Crucifixus clare exprimitur. Quod etiam communi totius Ecclesiae consuetudini consentaneum videmus.

Si vero in Altaris tabula Crucifixus vel pictus vel exalatus primum locum obtineat, Crucifixum inter candelabra ponendum minime necessarium arbitratur; ut Congregatio SS. Rituum anno 1663. respondit. Quae etiam circa quaestionem; *An super altare, in quo Sanctissimum Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat;* in tot, tamque variis Doctorum sententiis media via procedens ann. 1741. die 2. Septembris ita decrevit: ut quaelibet Ecclesia morem, & institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret.

EXERCITATIO VI.

De luminibus, (ex t. 9. l. 1. c. 3.)

AD utrumque Crucis latus Cereum in Missae Sacrificio accendi jubet Ecclesia, quem ritum a primis Fidei Christianae incunabulis defluxisse, affirmari potest. Quamvis enim Verus, & Hildebrandus contendunt primis tribus Ecclesiae saeculis necessitatis solum causa, & ad dispellendas tenebras Luminum usum receptum fuisse, & sub finem IV. saeculi monumenta primum extare, quibus evincatur, etiam lucente die Lumina accendi consuevisse. Denique S. Gregorium hujusmodi disciplinam propagasse, & Severianum constituisse, ut in Templis etiam extra Sacrificii tempus perpetuus esset lampadam usus; Id tamen aut nimis argute, aut invidiose adstruxerunt. Nam licet & necessitas non parvam in adfiscendis in Ecclesiam Luminibus partem obtineat, fuerunt tamen complures aliae causa, videlicet ut cultus exhiberetur, ut ostenderetur letitia, & ut instar symboli aliquid aliud significaretur,

tur, uti tum ex veteri Testamento *Exodi* c. 25. & 27. tum ex nova lege, Conciliis, Patribus, Historicisque colligitur. Sic saepe Mysticus hic in Evangelio occurrit sermo. *Luceat lux vestra coram hominibus; lucernae ardentes in manibus vestris* &c. Sic in Apocalypsi mystici illius Candelabri habetur descriptio. Sic in concilio Illiberitano anno 303. Canone 37. iis, qui ab immundis spiritibus vexantur, lucernas publice accendere interdicitur. Sic S. Hieronymus in libro contra Vigilantium ait: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur Lumina jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum letitiae demonstrandum.* Sic Tertullianus, S. Ambrosius, S. Chrysostomus, S. Augustinus, Eusebius, innumerique alii complura adferunt, quae ad sententiam nostram fulciendam, atque Luminum antiquissimum, eumque per saepe mysticum, usum stabilendum egregie conferunt.

EXERCITATIO VII.

De Lintheis Altaris. (ex t. 9. l. 1. c. 3.)

Linteorum, quibus Altaria tegebantur, usum fuisse antiquissimo more receptum Optatus Milevitanus testatur, & pulcherrimum habetur concilii Rhemensis decretum. *Ut mensa Christi, id est altare, ubi Corpus Domini consecratur, ubi Sanguis ejus hauritur, ubi Sanctorum Reliquiae reconduntur, ubi preces, & vota populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, & mundissimis Lineis, & Pallis diligentissime cooperiatur.* Haec numero fuerunt ternae, & prima quidem ceteris aliquantulum villior *subfratorium* appellabatur; cui duae aliae *syndones* dictae, super imponebantur. Distinctas a Palla Corporali fuisse, Sacramentario S. Gregorii edocemur, in quo praecipitur: *pallas, quae sunt in subfratorio, in alio vase lavari, in alio Corporales pallas.* Olim, qui filios suos in monasterio offerebant, manum pueri involvebant in palla Altaris, ut ex Regula Sancti Benedicti cap. 54. constat; Bona quoque stabilia per attractum pallae Altaris, subiciebantur Ecclesiae. Cujus exemplum existat in donatione Tertullini in favorem montis Cassinensis facta: *Atque per Pallam Altaris Sancto Johanni Baptista, videmque Patri obrulit.*

EXERCITATIO VIII.

De alio ad usum Sacrificii spectante Apparatu. (ex t. 9. l. 1. c. 6.)

Reliquus ad Sacrificium, & Altare spectans apparatus est *Amiculum*, seu pallium, quo anterior Aræ facies contegitur, cujus color festivitati, seu officio congruere debet. *Tabella* insuper Evangelii, & Secretarum, quae ad Sacerdotum commodum sunt introductae.

Pulvinar, quod medii aevi inelegantia *cusinus* dicebatur, missali substernitur, ac licet suadente utilitate usu receptum videatur, sunt tamen ei sui quoque sensus mystici: Sic Innocentius III. *lib. 2. cap. 41.* per *Pulvillum* designari ait *vita solatium, ut videlicet auditores, quasi pro mercede laboris predicanti sibi necessaria subministrant;* Sic juxta Hugonem cor teneram, & ad suscipienda Dei verba emollitum indicant; Sic denique juxta Rupertum *lib. 1. de Divinis officiis pulvillum Evangelio substernitur, quia videlicet ad omnia, quae loquitur Evangelium, lex competens suggerit testimonium.*

Ampulle binæ ad vinum, & aquam conservandam destinatae. Haec communiter sunt vitreae, ut liquorum constet diversitas. Si tamen metallo quocumque consentur, additur certum signum, unde haec differentia innotescat. De his mox accuratius differemus.

Pulvicula, & Manutergium. Illa est patena ad aquam excipiendam inter lavandum; hoc vero est strophium siccandis manibus accommodatum. De quo Ord. Rom. *antecedant duo Acolythes, & genuflexi antecum, id est Episcopum, totum illi suum ceterum cooperiant, ne lavans manus aqua casulam aspergat.*

De Cereo in elevatione hostiae accendendo, & de *Campanula*, alibi nobis sermocinandi locus occurret.

EXERCITATIO IX.

De Calice. (ex tom. 9. lib. 1. cap. 4.)

Calix aureus esse debet, vel saltem argenteus, sed intus inauratus; quod etiam de patena dicendum. Super os vero Calicis purificatorium collocatur, tum patena cum hostia, quam palla tega, imponitur; dein Calix cum his omnibus obducto operitur velo; huic demum Bursa, in qua

Corporale lineum omni ornatu destitutum contineatur, adjungitur. Quia vero Calix, & Patena Unctione Sacra ad Sacrificii usum præparantur, Episcopi consecrationem expectant, at reliqua Unctione non indigent, adeoque satis est, si ab alio potestatem habente benedicantur.

Primum Calicis usum in Sacris a Salvatore ipso introductum ex novo Testamento tam aperte constat, ut nulla unquam de eo disceptatio fuerit instituta. Quo tamen ex metallo constatus ille Calix fuerit, certo determinari nequit: at questio talis non est, ut inde multum utilitatis sperari possit.

Quamquam Apostolos, & eorum successores ligneis Calicibus usos fuisse, Honorius August. asserat; Zephirinum vero Papam primo Calices aureos, & argenteos introduxisse putat; utrumque tamen incertis nititur fundamentis; De vitreis quidem Calicibus a Christianis adhibitis nullum dubium superest, ut ex S. Irenæo lib. I. cap. 9., aliisque Patribus eruitur: atque horum usum ad Caroli Magni, vel S. Gregorii Turonensis ætatem in quibusdam locis retentum nonnulli existimant. Non defuerunt tamen istdem etiam temporibus, ac ipsis persecutionum sævientibus procellis aurei, & argentei Calices, ut Sacras historias legentibus patet. Imo gemmis quoque, & picturis, boni præsertim Pastoris, ornatos in usu fuisse, Chrysostomus, & Tertullianus asserunt.

Plura olim fuerunt Calicem genera. Ex quo enim Neobaptizati Christi Sanguinem sumebant; *baptismi Calix* nominabatur. Fuit etiam *Calix ministerialis*, seu scyphus, in quem adnotate ad Ordinem Rom. Mabilion, quem hic, præ Justiniano Chiapponio, in Dissertatione sua de oblatione Mysteriorum dissentiente, sequimur, vino plenum ingerebatur parum Sanguinis Consecrati, quo reliquum vini Sanctificaretur, populo præbendum. Hi Calices plerumque ansati erant, ut Sacerdotes facilius eos manutenerent, addita non raro aut argentea, aut ferruminata fistula, quæ etiam *Syphon* dicta est, ut minore effusionis periculo sanguinem populus exsorberet. Sed horum usus, contracta Communionem Calicis ad solos Sacerdotes, nunc penitus exolevit.

Advertere demum lubet Eucharistiæ distributionem sub specie panis *Communionem*, sub specie vini, *Confirmationem* appellari olim consuevisse; Armenos autem etiam nunc binis Calicibus uti, uno ad panem, altero ad vinum excipiendum.

EXERCITATIO X.

De Vino, & Aqua. (ex institut. 77.)

Vinum ex vite expressum in Sacrificio Missæ est adhibendum, ut ex illo Evangelii loco deducitur: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Olim, teste Innocent. III., optimum, generosissimumque selegebatur Vinum, ac eam ob causam a piis fidelibus certæ Ecclesiis donabantur vineæ, ut ex illis optimum Vinum fieret in Sacrificii usum, cujus curam devoti Monachi, prohi Sacerdotes, & sacra Virgines non raro suscipiebant. Imo de Sancto Venceslao Bohemiæ Regie legitur, eum propriis manibus triticum sevisse, & vinum expressisse, quibus Sacerdotes in Sacrificio uterentur. Et Ibas Edesse Archiepiscopus in concilio Ephesino in Judicium vocatus est, quod ad Sacrificium Altaris vinum admodum exiguum, & vitiosum, ac lutosum, & quasi eo tempore vindemiatum dedisset. Vinum itaque tam ob Sacrificii dignitatem, quam ob Constitutiones Ecclesiasticas selectum esse debet. Si corruptum sit, & in acetum abierit, penitus ad Consecrationem est inutile. Si vero accescere solum, & corrumpi cæperit, non nisi cum gravi Consecrantis peccato adhibetur.

Vappa, seu Lora communi Theologorum sententia in Sacrificio uti non licet, cum ob nimiam aquæ quantitatem, ad Aquæ naturam quam proxime accedat; quin imo Aqua potius odore Vini imbuta censeri debeat.

Vinum, quod *longum* nuncupatur, & ex uvis non valde expressis aqua superfusa conficitur, etiam absque criminis nota adhiberi nequit; quia vel est materia dubia, vel saltem minus pura, & decens.

Neque omphacium, seu succus uvæ immature, atque acerbæ in Sacrificio valide adhibetur.

Vinum miraculosum, ut illud in Cana Galilææ, an ad Consecrationem aptum sit, disceptatur: verum curiosius forte, quam utilius.

Solum itaque Vinum ex uvis debite expressum in Sacrorum mysteriorum usum est adhibendum. Cui tamen non obest, adstruente id SS. D. N. Bened. XIV. institutione 77., si tantum Aquæ admisceatur, habita tamen semper minoris quantitatis ratione, quantum communiter juxta cujusque regionis morem ad id melius decoquendum, vel conservandum admisceri solet. Mustum ve-

ro nonnisi necessitate urgente est consecrandum.

Aqua in Sacrificio admisceri Vino in calice debet. Quod ex antiqua, & perpetua Ecclesiæ praxi, Ss. Patrum traditione, Conciliorum decretis, & usu hodierno certissime colligimus. Imo forte ritus hic ab ipso Salvatore, & Apostolis ad nos defluxit. Porro ut S. Justinus, S. Irenæum innumerisque alios silentio prætereamus; quam grave momentum sententiæ huic addunt hæc Cypriani in Epist. 63. ad Cæciliam verba: *Admonitos nos scitis, ut in Calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut Calix, qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Et postea: *Vinum mixtum declarat; id est Calicem Domini aqua, & vino mixtum prophetica voce proponit, ut appareat in passione Domini id esse gestum, quod fuerat ante prædictum.*

EXERCITATIO XI.

De Patenis, & aliis ad Calicem spectantibus. (ex t. 9. l. 1. c. 5.)

Patena est Calicis operculum, in quo sacra reponitur Hostia. Licet nullum hujus mentionem faciant Evangelistæ, antiquissimus tamen ejusdem usus ex vetustissima Liturgia, quæ S. Jacobo vulgo inscribitur, & ex Pontificali, quod S. Silvestri nomen præfertur, eruitur: cui Chiapponii testimonia adjungi possunt, quæ aureas; Patenas gemmas, unguibusque coruscas primis etiam Christianorum Imperatorum saculis Ecclesiæ oblatas fuisse confirmant.

Inter has *ministeriales* fuerunt longe amplioris formæ, utpote, quæ distribuendæ Fidelibus Eucharistiæ inserviebant. Cum vero pius ille percipiendi in Missæ Sacrificio Dominici Corporis fervor una cum Christianorum veteri zelo tepescere cæperit, factum est, ut earum moles in hodiernam parvitate descendit. Majorum Patenarum meminisse videtur Gregorius Turonensis in lib. de gloria Martyrum, dum Comitum quendam Britanum sacro hoc vase ad lavandos pedes usum fuisse ait. Vertus quoque tom. 3. pag. 167. Iancis cujusdam meminit medicis magnitudinis, quæ apud Redonenses Benedictinos asservatur. Joannes vero Patricius de hieroglyphicis quarundam operibus eruditissime disserit. Hæc nomen suum e patendo desumpsisse non ineleganter conicitur, ejusdemque cum calicibus fuisse ma-

terix, vix dubitari potest: Græci *discos* appellant, magis nempe concavas, & conservandis consecratis panis fragmentis aptiores.

Linteolum, in quo Christi Corpus consecratur, & quod lineum esse debet, corporale, aut corporalis palla nuncupari solet: hoc olim patentissimum totam Altaris aream tegebat, atque nunc etiam apud Carthusianos Calicem cooperit. Unde pia illa fidelium explicatio, teste Labano, & Ildeberto Turonensium Archiepiscopo, defluxit, Calicem Christi sepulcrum; Patenam revolutum lapidem; Corporale Sydonem significare. Datur & aliud linteolum corporali & usui, & forma non ab simile, sed molis minoris, quod Palla appellatur, & ad tegendum Calicem adhibetur. Hoc Italici, & Germanici in usu fuisse jam tempore declarat Radulphus Tungrensis, atque nunc etiam quidam binas pallas adhibent, alteram Calici, alteram Hostiæ contegendæ; quod Paulus IV. Theatinis speciali beneficio concessit.

Purificatorium est strophium ad abstergendum in Missa Calicem destinatum: hujus vices apud Græcos sponsia obtinet. Si ejus originem inquirere velimus, ea recentior est, ac licet ad decorem Sacrificii introductam fuisse constet, non tamen benedicitur.

Velum, quo Calix tegitur, *Peplum* & *Sudarium* appellari solet, cujus usui perantiquus ex Canone Apostolorum 72. constat; Lineum illud olim erat, utpote quod lavaretur; nunc juxta Rubricam sericeum esse oportet; Græci more Hierosolimitanæ Ecclesiæ: qui ad universum Orientem diffusus est; tria Vela adhibent, quorum altero patenam, Calicem altero, tertio, quod aerem vocant, utrumque contingunt.

Bursa, quæ etiam pera dicitur, Theca illa est, in qua Corporale includitur. Hispanis tamen ex privilegio Pii V. Corporale extra bursum deferre concessum est.

De Ampullis jam superius quædam diximus. Hæc *Amas* etiam, & *Amule* in Ordinibus Romanis, & in lib. Ponticali appellantur. Nonnulli disputant, an hæc ab hamulis aspiratis differant: Quidquid de hoc sit, amularum, & amarum discrepantiam videamus: Illas cruditi arbitrantur parvula fuisse vascula, quibus vinum, & aqua in Missa ministranda continerentur, amas vero capaciora vasa excipiendis vino, & aqua Sacrificio destinatis comparatas; unde nonnulli morem hunc defluxisse putant, ut cum Pontifex, aut Card. in Pontificio Sacello Missam celebrant, prægrandes trullæ in mensa

sa apponantur. Remotioribus ab hac ætate sæculis Fideles in lagenis vinum offerebant, unde quod Sacerdoti, & cæteris communicandis satis esset, defumeretur, colatorio ad vinum defæcandum adhibito, cujus modi colatorium describunt Cardin. Bona, & Blanchinus.

EXERCITATIO XII.

De Hostia, (ex t. 9. l. 1. c. 6)

PANIS in Missa consecrandus ad Altare olim a Fidelibus offerebatur, qui plerumque erat ab ipso offerente subactus; sed cum hic non satis quandoque pro Sacrificii dignitate mundus esset, mos in quibusdam Ecclesiis, teste Honorio Augustodunensi, invaluit offerendi farinam, qui etiam nunc ab Armenis retinetur: munus autem ex hac farina panem consecrandum conficiendi, teste Goar, tam ab illis, quam ab universo Oriente Sacris Virginibus, devotisque Matronis demandatur; in Occidente vero Presbyteris, & Clericis, ut in Theodulphi Aurelianensis Episc. Capitulari, aliisque monumentis legitur, manus hoc committitur. Qua in re quanta diligentia, & pietate versari oporteat, Lanfrancus in Regulis in usum ordinis S. Benedicti conscriptis edocet: recitandos videlicet in hostiis formandis Psalmos, ac per interstitia profundissimum servandum esse silentium.

Temporibus Humberti Cardinalis, anno videlicet 1054., hostia nostris grandiores erant; utpote quæ post consecrationem frangerentur ad Eucharistiam populo distribuendam. Honorius vere Augustodunensis docet, ad denarii magnitudinem redactas esse propter paucitatem eorum, qui in Missa communicarent. Ex quo conjici potest, hodiernam hostiarum magnitudinem sæculo XII., quo idem scripsit, investam fuisse.

Ad figuram quod attinet; quadrata Græci utuntur, in cujus medio, & angulis sigillum imprimunt, in quo sunt litteræ, quæ semina hoc: *Jesus Christus vincit*, exprimunt. Armeni, quadrata relicta, rotundam adhibent. Et hæc quidem apud nos vetustissima est, ut ex decreto S. Zephirini Papæ colligitur, qui sæculo III. vixit, ubi hostiam appellat coronam; sive oblatam sphericæ figuræ. De sensu vero mystico figuræ rotundæ ita habet Durandus in Rationali l. 4. cap. 3. n. 8. *Hostia formatur rotunda; quia Domini est terra, & plenitudo eius Orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.* Et paulo post: *Panis formatur in modum*

denarii; tum quia panis Visa pro denariis; traditus est, tum quia idem denarius in Vinca laborantibus in premium dandus est.

Utraque Ecclesia tum Occidentalis, tum Orientalis semper consuevit Crucem, vel Crucifixi imaginem hostiis imprimere, uti ostendunt Philippus Bonarota, & Goar. Baronius vero observavit, veteres Christianos non solum in panibus Eucharisticis, sed & in iis, qui quotidiano usui parabantur, Crucis signum expressisse.

EXERCITATIO XIII.

De Vestibus Sacerdotalibus generatim & de Birreto. Ubi etiam de ascittia Coma, (ex t. 9. l. 1. c. 7. & 9.)

QUOD ad Vestes Sacerdotales primis Ecclesiæ incunabulis gestatas attinet, SS. D. N. Bened. XIV. tam in XXI. suorum Edictorum, quam in aureo hoc, quem præ oculis habemus, de Missæ Sacrificio Libro, eruditissime adnotavit; omnium fere Doctorum consensu valde verisimile esse, Apostolos non communibus, & quotidiano usu adhibitis, sed peculiaribus Vestibus indatos Missam celebrasse; cujus sententiæ prædecessorem habuit, præter alios multos, Cardin. Bonam. Sunt tamen & non pauci, quos inter Budæus, & Heineccius Hæretici eminent, qui contrariam tuerentur opinionem. Vis tota eorum in eo consistit, quod nullam inter Laicorum, & Ecclesiasticorum indumenta distinctionem agnoscant. Quod quidem nec nos inficiamus. Nam quamvis concedamus Vestes, quibus Sacerdotes in sacrificando utebantur, fuisse olim Clericis, Laicisque communes, asserimus tamen Sacerdotem, cum ad altare accederet, aliam ab ea, qua domi, ac per vicos, plateasque uteretur, Albam, & Planteam assumpsisse. Id enim abunde ad testandam suam erga Sacrificium Venerationem sufficiebat. Ad hoc probandum, præterea, quæ exer. 3. attulimus, plura documenta ex Vita S. Cæsarii, aliisque monumentis desumpta affert Thomassinus; & apud Rheginonem reperimus, tantum fuisse, ne Presbyteri in Alba, qua in suo usu utuntur, Missas cantare præsumant, quod etiam Leonem IV. apud Baronium decrevisse legitur.

Ex quibus omnibus facile intelligitur, idem quidem fuisse Vestium, quæ ad Altare, & in quotidiano usu adhibebantur, nomen, & formam, non tamen Presbyteros iis indiscriminatum, & promiscue tam in Sacris quam in Profanis functionibus usos fuisse.

ad quod dilucidandum depromi potest exemplum ex Ecclesiasticâ nostrorum temporum historia; ubi Paulus V. Missionariis in Sinis degentibus facultatem concessit, cum in iis regionibus caput detegere indecorum sit, Missæ celebrationis tempore se Pileolo tegendi, hac tamen adjecta conditione, ut pileolus ille non idem cum eo sit, quem communi usu adhiberent.

Cum autem in Ecclesia Catholica illicitum sit Missam tecto capite, nisi quis speciali privilegio muniatur, celebrare; pauca de hoc, & de capitis tegmine, quo Clerici utuntur, adnotare lubet. Ac primum Birretum a *Birro* dicitur. *Birrum* est vestis, qua corpus, *Birretum* pars vestis, qua caput tegitur. Nunc Birretum appellatur pileolus ille, quo Sacerdotes tecti ad Altare accedunt. Romæ, & in plerisque aliis Ecclesiis IX. sæculo nullus erat Birreti usus. Amictu enim caput obnubebant, & initio Missæ illum, quemadmodum nunc mendicantes Cenobitæ faciunt, in humeros rejiciebant, uti observant le Brun, & Vertus; apud quem Parisii sæculares per hiemem usque ad secretas; Andegavi vero toto anni tempore usque ad canonem caput amictu obnubunt; quem tunc rejectum ad humeros, post Communionem iterum retrahunt.

Porro quidquid Vertus de Birreti origine effinxerit, Ecclesiastici viri antiquitus pileolis in modum Camauri usi sunt; quibus deinde subsui consuevit haud ita mollis pannus, quatuor, ut nunc apud Hispanos, vel tribus tantum, ut apud Italos, cuspidibus, aut angulis prominentibus.

Distinctus tamen a Birreto pileolus ille est, quo Sacerdotes ex singulari Indulto in Missæ Sacrificio (excepto Præfationis usque ad finem Communionis tempore) uti possunt. Soli Romano Pontifici jus reservatum est concedendi hoc privilegium; Quamquam si Sacerdos graviore afflicto morbo Missam celebrans caput usque ad Præfationem Pileolo tegeter, detractumque iterum post communionem capiti imponere, a peccato immunis censeretur. Neque enim Sedem Romanam in casu extraordinario, & in morbo minime diutino rem hanc illicitam declarare arbitrandam est.

Quid vero dicendum de ascititia coma? Circa illius usum ex doctrina Bened. XIV. hæc duo statuimus. Primum: Clericis, iis maxime qui in sacris sunt constituti, uti non licet coma supposititia, nisi gravi ex causa, puta valetudinis juxta Medicorum judicium. Curare tamen debet Episcopus, ut ipsam comam fictitiam, quam clerici ge-

stare cupiunt, prius diligenter examinet; Non enim aliam illis debet permittere, nisi quæ nullam præferat vanitatem, & ea sit modesta, & moderatione concinata, ut omnibus appareat illam, non ad luxum, sed ob necessitatem, non ad capitis ornamentum, sed tegumentum adhiberi. Unde in aliquibus constitutionibus Diocesanis Episcopus sibi expresse reservat facultatem permittendi clericis fictitiam comam, ut videre est in Synodo Bononiensi an. 1698. l. 3. c. 1. & in Asculana an. 1719. c. 20.

Secundum: nulli Presbytero licet Missam celebrare cum ascititia coma absque expressa Sedis Apostolicæ licentia. Ita enim per Apostolicos Nuntios esse voluit locorum Ordinarios Innocentius XII. ut refert Reinfensuel. Et quamvis Theophilus Raynaudus, & Pasqualigus putent licere Sacerdoti Missam celebrare cum fictitia coma, ita sibi aptata, ut a vera, & naturali internosci nequeat, imo extet licentia a Cardinali Grimaldi Archiepiscopo Aquensi cuidam sacerdoti concessa Missam nempe celebrandi cum ascititia coma, tamen Raynaudum, & Pasqualigum falli, & Cardinalem Grimaldi suæ jurisdictionis limites prætergressum esse constat: Nam, ut optime notat citatus Reinfensuel ad lib. 3. Decr. tit. 1. n. 91. Nemo sanæ mentis inficiabitur per fictum Capillitium Sacerdotis caput cooperiri; in altari autem cooperto capite ministrare ne Episcopo quidem permittendum statuit Zacharias Papa in Concil. Romano an. 743. relat. dist. 1. can. 57. Sacra Rituum Congregatio die 31. Januarii 1626., & 24. Aprilis ejusdem anni ut est apud Gavantum, decrevit. Nemini licere uti pileolo in celebratione Missarum absque expressa licentia Sedis Apostolicæ; cumque sub Alexandro VIII. anno 1690. fuerit discussum, an pileoli nomine comprehenderetur etiam coma supposititia, etiam si illa modesta sit, & decens, responsum est comprehendi, ut refert Urfaya *Instit. Criminal. lib. 1. tit. 10. §. 4. n. 51.* unde liquet eadem, qua pileolus, prohibitionem vitari.

EXERCITATIO XIV.

De Amictu, Alba, & Cingulo.
(ex tom. 9. l. 1. c. 7.)

Præmissa sic generali de vestibus Sacris notitia, ad specialiores earum disquisitionem descendimus. Harum prima apud Amalarium est *Amictus*, in vetustis libris Liturgicis *Anaboladium* nuncupatus. Hæc

vox ex Brunii opinione a verbo *amicire* deducitur; quippe collum tegit. Ejus usum sæculo VIII. receptum memoratus Auctor contendit: quamdiu videlicet Ecclesiastici, & Laici collo nudo in publicum processerunt; quod a decore alienum videbatur.

In quinto ex Romanis Ordinibus a Mabillonio editis reperitur, Amictum eis temporibus super Albam poni consuevisse, idque præscribitur in antiquo Missali Vaticano apud Georgium; atque etiam nunc obtinet apud Ambrosianos, & Canonicos Lugdunenses, & Maronitas. Apud Græcos autem, qui eorum olim ritum observarunt, Amictus consuetudo penitus obsolevit. Hodie vero in Romana, & in tota fere Ecclesia Catholica ante Albam induitur; cujus ritus vestigium extat in Missali sæculi II. apud Meratum. Quod autem sericeis, aureisque fimbriis ornatur, recens prorsus censenda est consuetudo.

Honorius Augustodunensis innuit, nostrum Amictum eundem esse cum Veteris Legis Ephod, quod ob similitudinem & formæ, & usus non inutiliter adnotamus. Nam Ephod vestis erat Sacerdotalis, teste D. Hieronymo, eodemque ferme modo, ac noster Amictus collo circumponebatur: Quamquam etiam Laici illo usi sint, uti fecit David, cum arca e Domo Obededom deferretur. Designavit etiam licet rarius, vestem illicitam, ut Ephod Micæ, aliquando etiam victoriæ monumentum Jud. 8. v. 27. Vide Dictionarium Biblicum Calmeti, & Panopliam Sacerd. Saussaii.

Altera Sacra Vestis est, quæ *Alba*, *Camisia*, *Camisus* & *Camisile* appellatur. Itali *Camice* vocant ex voce *Camicia*, juxta Ferrarium. Græci vero *Poderem* a voce *podas*, ut notat Alcuinus, quæ apud ipsos *pedes* significat, ad quos hæc vestis demittitur. Albam esse lineam oportere, monet S. Gregorius, & albi coloris, ut notat S. Hieronymus; quamvis antiquitus feria sexta in Parasceve Sacerdotes veste nigra usi fuerint. Quædam Albæ manicas habent acupictas, & pectus, humeros, & lacinias Phrygio opere variatas, cujusmodi etiam nunc in quibusdam Regularium Ecclesiis & in Sacello Pontificio adhibentur, ut observant Macrus, & Clericus.

Sæpius autem hujus Albæ mentio occurrit, ut in actis Proconsularibus S. Cypriani apud Ruinart: *Cum se Dalmatica exoliasset in linea setit*. Vox quippe *linea*, est juxta Baroniam, Rocchettum significet, pro *Alba* tamen est accipienda; cum necdum Rocchetti usus invaluisset. Dalmatica vero

quæ a Dalmatica, unde originem suam trahit, nomen desumpsit, communis vestis erat; licet etiam a Regibus adhibita legatur: uti cernimus in Lampridio, & Julio Capitolino, & apud Baronium in notis ad Martyrologium Rom. Porro Fleury, & Le Brun ostendunt, Albam olim vestem fuisse magnæ dignitatis Laicis peculiarem: ab his vero in Ecclesiasticas cæremonias transfusam, cujus primam mentionem, in Carthaginensi Synodo prope finem sæculi IV. habita, reperiri, Fleury contendit.

Alba olim inferiorum etiam ordinum vestis fuit, cui deinde Superpelliceum est substitutum, ut videlicet, juxta Saussaii observationem ministri inferiores munia sua expeditius obire possint. Quæ sane lubentius amplectimur, quam invidiosam illam Verti adnotationem, quæ usum Rocchetti inde derivat, quod Presbyteros pigeret demissa usque ad talos veste per civitatem incedere.

Tertia Sacra vestis est Cingulum, quod ut ait Stephanus Eduensis Episcopus, *Albam constringendo renibus coaptatur*. Et sane non circa pectus, sed circa renes circumduci debet. Illud & Baltheus, & Zona, teste S. Hieronymo, appellatur; Vetustique ejus elucet usus ex vita S. Gregorii, in qua *Fideles ejus Baltheum a'culatos* esse legimus.

EXERCITATIO XV.

De Manipulo, Stola, & Planeta,
(ex tom. 9. l. I. c. 8.)

Quarta vestis est Manipulus, cujus Etymologiam Vilhelmus Britto ex eo deducit, quod *ornamentum manus* significet; idemque fere est, quod Græcis *Epimancion*. Hic sudariolo, quod Saxones *Favon* dixere, successit.

Promiscuus olim omnibus Clericis fuit hujus Sudarioli usus. Verum cum mox de ejus gestandi jure Ravennatenses inter & Romanos controversia exorta fuisset, S. Gregorius litem hanc ita diremit; ut primis solum Ravennatensium Diaconibus, & quidem in Episcopi sui obsequio, mappularum usus concederetur.

Quo vero tempore Manipulus ad Sacerdotalem ornatum elevatus sudariolo successerit, inter Authores disceptatur. Cardia, Bona ex Amalario hanc substitutionem refert ad sæculum X. Meratus antea factam putat: Le Brun, & Vertus ex Ivone Carnotensi ad sæculum usque II. producant

De qua re suam quisque sententiam tueatur licet; cum in rebus tractu temporis usu receptis verè esse possint omnium sententiæ, non quidem universim, sed quoad singulares locorum illorum consuetudines, ex quibus documenta depromuntur.

Nunc Manipulum Sacerdotes induunt ante Stolam, Episcopi vero plerumque non nisi ad Altare, recitato *Confiteor*: quod etiam Presbyteris olim commune erat, cum solum post *Confiteor*, Planeta, quæ tunc ad terram usque demissa, & undique clausa erat, ad expeditiorem manuum usum desuper plicaretur, vel sibula subligaretur. Græci, & Maronitæ tunc duobus utantur Manipulis.

Stola quintum inter indumenta Sacra locum obtinet. De Stola, tamquam de integra veste, sermo fit Genes. 41. & 45. & Esther. 6. Apud profanos scriptores vestis est muliebris, ut ex 2. Philippica Ciceronis colligitur. Longa erat, totumque tegebat corpus, ac nomen traxit ex quadam fascia ad ejus vestis oram circumducta, quæ *Stola* dicebatur. Quare Card. Bona arbitratur, Stolam etiam nostram ex illa fascia nomen traxisse.

Porro Sacra Stola, *Orarium* etiam appellabatur, ut videre est in Gemma Animæ, & apud Rabanum Maurum, nomine quidem desumpto, vel ex Orario, ut putat Card. Bona, quod apud Ethnicos sudariolum significabat, & longius, quam latius erat, juxta ea, quæ refert Gregorius Turonensis; vel, ut maluit Le Brun, & Vertus, ex ora, quæ lacinia vestis significat.

Stolæ usus vetustissimus in Ecclesia perdurat, eamque Episcopi, & Presbyteri semper, & ubique gestabant, itidemque Diaconi primo Ordinationis suæ anno; ut ex vita S. Thomæ Cantuariensis a Joanne Sarisburiensi scripta, ex Concilio Moguntino an. 813. & ex vita S. Mauri, animadverterunt Mabillonius, & Ducange. Nunc solus Romanus Pontifex antiquam retinet consuetudinem, qui Stolam nunquam deponit. Hæc quondam longior erat, & ad terram usque defluebat, ut ex compluribus antiquis picturis eruitur.

Sexta Sacra Vestis est Planeta, quæ dicta est etiam Casula, quia, ut inquit S. Isidorus, & Rabanus Maurus, *instar parvæ casa totum hominem tegit*. Vetus quippe Planeta similis ei erat, quam nunc Græci adhibent, & brachia, manusque involvens a collo ad pedes Sacerdotem cooperiebat.

Ex hac veteri Planetæ forma consuetudo manavit, ut in elevatione Eucharistiæ Minister Planetam extollat, ac Sacerdoti ge-

nuscenti impedimento sit, ut notant Juvenius, & Tournelius; sicuti etiam ille Ritus, ut in Quadragesima, & diebus Junii Diaconus, & Subdiaconus in Missa solemnè ministrantes, Planetam in anteriori parte plicatam adhibebant.

De veterum Planetarum forma optime scripserunt Rocca, Georgius, Meratus, & alii. Quo autem tempore hæc mutata sit, aliis examinandum relinquimus. Illud tamen addimus: olim in Basilica Lateranensi picturam extitisse, quæ sæculo X. facta, Joannem XII. representabat, cui Ministri Planetam imponebant utroque sub brachio apertam, & ex antica, posticaque parte in angulum definentem; cujus leonismum exhibet Cardin. Rasponus in tract. de eadem Basilica.

Nonnulli existimant, Planetam nostram originem traxisse ab ea penula, quæ cum toga obsolevisset, in nobilium virorum usum transiit; ut videre est apud Bonarotam in observationibus ad vasa quadam vitrea, profecto Planetam olim profanum fuisse indumentum, & Laicis commune, constat ex vita Sancti Gregorii, & ex Regula Sancti Isidori. Le Brun contendit communi consuetudine dimissam a Sacerdotibus solum in Missæ Sacrificio retentam fuisse, idque ad initium octavi sæculi revocat. Sed hoc non satis exploratum videtur; cum in Concilio, vulgo Toletano IV. an. 597. præscribatur; ut Presbytero, qui in gradum suum restituendus esset, Orarium, & Planeta reddantur. Unde colligitur multo ante, Sacerdotibus Planetam in peculiarem vestem assignatam fuisse, ut erudite Bonarota observat.

EXERCITATIO XVI.

De quinque Sacrarum Vestium Coloribus
(ex to. 9. l. 1. c. 8.)

SACRARUM Vestium colores, in Rubrica Missalis quinque numerantur, Albus scilicet, Ruber, Viridis, Violaceus, & Niger. Ad quartum usque Ecclesiæ sæculum Albus dumtaxat color est usurpatus; ut innunt Gregorius Turonensis, Venantius Fortunatus, & S. Isidorus: Qui itidem in veteri lege unicus occurrit, neque ejus Sacerdotes aliis, quam lineis, & candidis vestibus sacrificabant. Imo in Apocalypsi Angeli, templi ministros representantes, in Albis indumentis nobis exhibentur, ut de ipsis Ethnicorum Sacrificulis taceam, qui Niveis vestibus induti Idolis suis thura cremabant, & holocausta offerebant.

Græci usque ad XIII. sæculum Album, & Rubrum dumtaxat usurparunt. In Occidentali vero Ecclesia XII. sæculo, Innocentio III. teste, color Albus in Confessorum, & Virginum, Rubrus in Apostolorum, & Martyrum Solemnitatibus, Niger diebus jejunii, in commemoratione Mortuorum, ac toto Adventu, & a Septuagesima ad Sabbatum Sanctum, Viridis diebus ferialibus usurpati fuere. Et de Nigro quidem plura habentur in nonnullis Romanis Ordinibus, apud Mabillonium. Violaceum non memorat Innocentius; quoniam ejus vices Niger obibat, ac æque ater, lugubrisque habebatur: Exprimitur tamen Violaceus in Ordine Romano 15. Petri Amelii apud eundem Mabillon.

Bocquillot quidem in tract. histor. Sac. Liturg. ex Durando scribit, quinque memoratos colores ante sæculum XIII. jam introductos fuisse; Id tamen vix de toto Occidente asseri potest; cum, teste Gilberto Grimando, Violaceus non ita pridem apud Gallos usum introductus fuerit. Omnium horum colorum congruentias explicat Bellotte in observationibus ad ritus Ecclesiæ Laudunensis, addens, in sua Ecclesia Feria 6. in Parasceve adhiberi vestes coloris Subflavi ad denotandum, ut ille opinatur, perfidorum Judæorum erga Salvatorem odium, & istericum veluti morbum, quo ad carpendum gloriosum Christi nomen exardescunt, & exæstant.

EXERCITATIO XVII.

De Benedictione Sacrarum Vestium, & Vasorum. (ex Inst. 21.)

Antiquissima, & Majestati Sacræ oblationis maxime conveniens est vasorum, vestiumque ad Sacrificium necessariorum Benedictio. Hinc Consecrationem Altaris, Calicis, & patenæ cum unctione Chrismatis, certisque precibus; hinc Benedictionem Sacrarum vestium descriptam legimus in Ordine Romano; in Decreto, quod Hormidæ Pontifici tribuitur, & in canone *vestimenta de Consecratione, distinct. 1.* Quod autem ad vetustatem originis attinet, perperam Hospitianus Hæreticus, in suo de Dedicacionum origine libro, eam ad sæculum IX. reducit; cum certissima ex quarto jam sæculo hujusce rei monumenta proferantur. Nam referente Sozomeno Costantini Magni tempore, *Episcopi Hierosolymam delati Ecclesiam consecrarunt, simulque ornamenta; & donaria ab Imperatore transmissa.* Quæ sane

plena consuetudo ex veteri Testamento in novam Ecclesiam dimanavit, ut Innocentius III., & Cardinalis Rona arbitrantur.

Ceterum de vetustate ejusmodi consecrationum, ac Benedictionum erudite differit Dominic. Georgius in suo de Liturgia Pontificis libro. Quarendum ergo nunc, cui hæc consecrandi, & benedicendi potestas competat? Eas, in quibus Sacra Chrismatis unctionio adhibetur, communi Doctorum consensu constat, non posse ab alio, quam a solo Episcopo sua in Diocesi paragi; controversitur solum, an Episcopus pro Benedictione vestium, quæ Sacro Chrismate non inunguntur, simplici Sacerdoti facultatem impetiri possit? Clarissime Ss. D. N. Benedictus XIV. id in XXI. institutionum suarum decidit; ajens Episcopum impetrata a Romano Pontifice delegandi facultate, quæ ad quinquennium concedi solet, quoscumque Presbyteros ad has benedictiones sua in Diocesi delegare posse: injussu autem Sedis Apostolicæ, aut elapso quinquennio, nec impetrato novo privilegio id jus Episcopo minime competere. Atque id tam stricta significatione conclusit Ss. Pontifex, ut asserat Abbates Regulares, licet Insignibus Pontificalibus uti valeant, non posse ab Episcopo, nisi expressa in privilegio, eorum mentio occurrat, ad similes consecrationes, benedictionesve substitui. Neque illorum approbat sententiam, qui credunt posse Abbates etiam Clericis secularibus Ordines minores, accedente Ordinarii consensu, tradere. Concilium enim Tridentinum facultatem Abbatum ita arctis constrinxit limitibus, ut ne concedente quidem Episcopo aliis, quam Regularibus sibi subjectis, primam tonsuram, & minores Ordines conferre queant. Quod etiam de Benedictionibus intelligendum. Atque sic statuit Congregatio Concilii; Sic Alexander VIII. die 27. Septembris anni 1659. qui Pontificalium usum Abbatibus discernens: *Reliqua Pontificalia, inquit, extra loca ipsi Abbatibus subjecta, vel proferoito aliena Ecclesia, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non valeant; puta, Campanarum Benedictiones, Calicum, & similia, in quibus Sacra adhibetur unctio, nec non minorum Ordinum collationes.* Si tamen Præsules Regulares pro hujusmodi Benedictionibus Apostolicæ Sedis privilegia obtinuerint, libere iis patrocinante Ordinario utentur.

Aliter de Episcopis Titularibus dicendum. Licet enim ægerrime defendi valeat, eos iusculo Diocesis Antistite, consecrationes, aut

sunt Benedictiones Sacrorum ornatuum peragere posse; utpote ad quas Mitrae, & Pontificiorum insignium Solemnitas requiritur; id tamen indubiatum est, Ordinarium, etiam non impetrato a Sacra Sede subdelegandi Indulto, proprio jure has Benedictiones titularibus Episcopis concedere posse, eo prorsus pacto, quo illis licentiam ordines conferendi tribuit: ut praclare de hoc P. Andreucci S. J. in Tractatu suo de Episcopo titulari.

Ritus porro, & preces pro his Benedictionibus adhibendae in Rituali, ac Missali Romano continentur; alias autem preces, aliamque Ritum inducere penitus interdicitur. Disceptant hic doctores, utrum Cingulum, Pluviale; & Tabernaculum etiam Benedictione indigeant? Negant id aliqui, quia videlicet in Canon. *Vestimenta de consecr. distinct.* I. de Vestibus solum, inter quas Cingulum numerari nequit, mentio habetur. De Pluvialis autem benedictione nulla consuetudo existit; attamen contraria opinio verior est. Cingulum namque, aut, ut olim appellabatur, *Cinctorium* non solum tamquam necessaria Sacrarum Vestium pars consideranda est, verum etiam de ejus Benedictione in Pontificali Romano expressam mentionem invenimus. Pluviale vero inter Sacras Vestes adnumeratur, quod in Profanos usus converti nefas est, quodque etiam Romanae sacrari consuevit. In Rituali denique, ac Missali Romano Benedictio *tabernaculi, seu vasculi pro Sacra Eucharistia conservanda* clare, ac diserte continetur.

Ultimo demum advertendum est, quod non modo pro novis indumentis Benedictio necessario requiratur; sed tunc etiam cum vetustate, ac usu detrita in alios Sacros ornatus convertuntur; Ita Scriptores de re hac tractantes.

EXERCITATIO XVIII.

De Symbolica Sacrarum Vestium significatione. (ex tom. 9. l. I. c. 9. l. I. c. 10.)

Differendum nunc de Mystico sensu, quem aut pia Mater Ecclesia, aut devotae Sanctorum virorum meditationes Sacris Vestibus adnexerunt, ut ita mens nostra ad Divinarum rerum considerationem externis his signis elevetur, & Fideles munerum suorum iterum, iterumque admoveantur. Sic Sacerdos Amictum, accipiens ait: *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos Diabólicos incursus.* S. Bruno Episcopus Sigiiniensis mysticas Amictus si-

gnificationes his verbis comprehendit: *Amictus quidem quo & collum stringitur, & pectus tegitur, interioris hominis castitatem designat: tegit enim cor, ne vanitates cogitat, stringit etiam collum, ne inde ad linguam transeat mendacium.* Cui adde Innocentium III. P. M. qui per Amictum operum fortitudinem significari ait.

Sunt & aliae significationes Amictui a viris Divino zelo animatis tributae, quae partim ad revocanda nobis in memoriam Redemptionis nostrae mysteria inserviant, partim morum documentis animum nostrum imbuant. Sic Amictus mystice apud nonnullos significat, aut Velum, quo Judaei Christi faciem obtexerunt, aut Spineam Coronam, aut ipsius Divinitatem sub humanitatis Amictu absconditam.

Alii vero per Amictum nos admoneri ajunt, Fideles armari oportere galea salutis, ac confidentia in Deum, qua & hostes suos superent, & Divinis exequendis officiis corroborentur. Auctores nobis demum sunt, ut dum collum, humeri, & pectus Amictu conteguntur, consideremus vocem esse custodiendam, & Divinas dumtaxat cogitationes esse admittendas.

Suas quoque est Ecclesiae; & Doctoribus de Alba Symbolicus sensus. Illa quidem in precibus agnum Mysticum nobis proponit, in quo deilbari nos oportet, conversationemque Salvatoris nostri in terris, cujus vestigiis nobis accurate est insistendum. Theologi per eam officii nostri nos admonent, quo mundo corde, candida anima, immaculatis moribus, & inviolata justitia vivere jubemur. Soto denique sub hujus indumenti figura Albam illam vestem, qua indutum Christum Jesum Herodes irrisit, considerationi nostrae proponit.

Cingulo, quo Alba colligatur, piissimam adjunctam habemus significationem. Quare nimis se novitatis amore abripi sinit Vertus, dum neglectis piis Rituum explicationibus, physicas dumtaxat, & naturales curiose indagata, & adoptat rationes. Quod enim ad virtutem nostram augendam validius incitamentum esse potest, quam documentum illud, quo in Ecclesiae precibus admonemur, *ut praeingamus lumbos nostros Cingulo fidei, & virtute castitatis?* Quae penetrantiora verba, quam illa Innocentii III. *Alba circa lumbos praeingitur*, quod nos admonere valet, *castitatem Sacerdotalem nullis incontinentium simulis dissolvi debere; unde sint lumbi vestri praeincti; in lumbis enim luxuria dominatur; debent ergo lumbi praeincti per continentiam, & succingi per abstinentiam.*

Qui-

Quidam denique in Cingulo Christum in Horto fune ligatum devote representant.

Dum Episcopus sinistro Subdiaconi brachio Manipulum aptat, admonitos per hoc cupit Sacerdotes, ut fructum bonorum operum colligant, & dignam pœnitentiæ messem faciant. Profecto Honorius, in gemma animæ ait, Sacerdotem Sudarium, per quod olim sudor, & nariam sordes extergebantur, in sinistro brachio ponere; ut scilicet meminerit pœnitentiæ, qua quotidianorum excessuum labes extergitur; & per sinistram brachium intelligat, in præsentem tantum vita pœnitentiæ locum esse. Passionis vero memoria hic recolitur, dum per Manipulum ad contemplanda vincula, quibus Servator columbæ flagellandus fuit alligatus, excitamur.

Stola juxta verba, quæ Episcopus profert, cum Diacono Presbyteratus Ordinem confert, suave Christi jugum significat, id est obedientiam, per quam ad eum statum, unde per inobedientiam primi Parentis decidimus, restituendi sumus; idcirco Sacerdotes, & Episcopos Stolam sibi imponentes a Deo Stolam immortalitatis in Adæ prævaricatione deperditam efflagitant.

Concilium Bracarense, an. 1675 celebratum, explicans, cur Sacerdos super utrumque humerum Stolam sibi imponat, ait: Sacerdotem virtutibus circumspexit esse debere in prosperis, & in adversis imperturbatum: quocum convenit Ivo Carnotensis addens; Cingulo Stolam alligari. *Quia virtutes virtutibus adjuvantur*, ne aliquo tentationis impulsu moveantur. Stolam autem Sacerdotes soli, sibi supra pectus in modum crucis aptant; non itidem Episcopi; quia aliunde pendentem e collo crucem deferunt, ut notat Macrus. Allegorice Stola juxta Soto illa vincula representant, quibus Christus crucem bajulans constrictus est. Ex quibus Macrus infert Stolam collo circumducendam, non in humeros esse rejiciendam.

Quid per Planetam significetur, insinuat Episcopus, dum Diaconum ad Sacerdotum promovet: *Accipe vestem Sacerdotalem, per quam Charitas intelligitur*. Charitatem igitur Planeta indicat; quod eruitur etiam ex oratione, quam Sacerdos, & Episcopus Planetam induentes recitant; ut bene explicat Rabanus Maurus, & Innocentius III. adjungens Planetam non inconcinne exprimere vestem nuptialem, de quo loquitur Dominus in Evangelio, per quam quidem vestem Sancti Patres charitatem intelligunt. Huic explicationi suffragantur Suarez, Na-

talis Alexander, & Soto, apud quem Planeta etiam imago est vestis inconsutilis, quam Christo cruci affigendo Judæi detraxerunt.

Qui de Sacris vestibus, earumque significatione plura cupit: Quamquam præcipua complexus erudite sit Ss. D. N. Benedictus XIV. adire tamen potest Brunum, Torres, collationem Lucinensem 16. Josephum Vicecomitem, & Gilbertum Grimaud docte de hoc differentes. Borquillotium quoque accedat, qui tamen peculiarem sequitur sententiam, & arbitratur ab Apostolorum tempore per sexcentos annos consuetudinem perseverasse, ut in Sacris mysteriis peragendis eadem adhiberentur vestes, quæ communi usui inserviebant; Licet non inficietur, D. Hieronymi ætate, Sacerdotes ad Altare elegantioribus vestibus uti cepisse. Id vero neque semper, neque ubique observatum contendit; testimonio præsertim vitæ S. Fulgentii sexto sæculo viventis ductus, in qua legitur: *Eum, in qua Tunica dormiebat, in ipsa sacrificasse*. Verum nimium mihi postulare videtur Bocquillotius, atque audacius ex unico facto, quod justis forte, & gravibus de causis peractum est, consuetudinem validissimis testimoniis confirmatam evertere velle. Id tamen præclare Neoconvertos monet, ne cum non absurdum existiment morem, quo Reges, consiliorum Præsides, Aulici, imo ipsi etiam Reformatorum Ministri particulari vestitu in solemnioribus functionibus utantur, ne, inquam, Mysticis offendantur indumentis, quibus Ecclesiastici nostri, sacra facientes vestiuntur.

EXERCITATIO XIX.

De Ministro, qui Sacerdoti celebranti inservit. (ex t. 9. lib. I. cap. II.)

Nunc qui Sacerdoti sacrificanti minister adesse debeat, querimus. Vicecomes solide probat, olim populum Missæ adstantem Sacerdoti celebranti respondere consuevisse. Hoc munere dein ad unum dumtaxat delato, non licet, ex Decretali *proposuit de Fil. Presbyt.* sine ministro Missam celebrare. Minister non fœmina, sed masculus sit, oportet. Quare Gelasius I. *epist. 9.* ad Episcopos Lucaniam acriter reprehendit consuetudinem admittendi fœminas ad hoc ministerium. Et in pluribus Conciliis, ac præsertim in IV. Mediolanensi præscribitur, ut Minister sit Clericus talari veste, & superpelliceo indutus. An vero Missa si-

ne ministro celebrari possit, alibi expenditur.

Nunc illud monebimus; in Monasteriis quondam Missas solitarias nullo ministrante, celebratas fuisse, quod postea vetitum est; cum, ut inquit Concilium Moguntinam sub Leone III. habitum, non esset, cur a Sacerdote celebrante diceretur. *Dominus vobiscum, & Sursum corda*. Atque hac ratione quidam tantopere sunt commoti, ut dubitaverint, an nullo alio præter ministro præsentem, Missa celebrari possit?

Verum Card. Bona solitariam Missam, accedente Sedis Apostolicæ Indulto, celebrari posse affirmat, eademque ratione Sacerdotem in Missa nullo alio præsentem dicere posse: *Dominus vobiscum*, & similia, quæ in recitandis horis Canonicis, ait, *Venite adoremus, vespice exultemus* &c. Et ante ipsum B. Petrus Damiani in Opusculo, cui titulus: *Dominus vobiscum*, probat, hæc verba nullo præsentem dici posse: iis enim Ecclesiam salutari docet.

EXERCITATIO XX.

*De Preparatione Sacerdotis. (ex t. 9.
l. 1. c. 12.)*

Sacrificium facturus Sacerdos se manuum ablutione ad id preparat. Quod veteri etiam in lege Sacerdotibus præceptum ex *Exodi cap. 30.* perspicimus, de quo eruditissime scripsit Lamy in suo opere de Tabernaculo Fœderis.

Nec tamen, ut D. Thomas 3. p. qu. 83. art. 5. ait, *Ecclesia hoc servat tamquam ceremoniale Veteris legis præceptum, sed*

quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundum se conveniens.

Veterem vero hanc fuisse consuetudinem, ut Sacerdotes ante Missæ celebrationem manus lavent, ex his S. Joannis Chryostomi in Homilia 20. ad Populum Antiochenum verbis colligitur: *non audeas illotis manibus Sacram viliam tractare, etiamsi mille necessitatibus premaris? Nec igitur illota accedas anima*. Imo ipsos Laicos non nisi lotis manibus Templum ingressos, & in hunc usum vasa, & lavacra ante Ecclesiarum atria constituta fuisse, ex Eusebio, Paulino Nolano, aliisque constat.

Paucula nunc attingenda sunt de Psalmis a Sacerdote recitandis, antequam Sacras induat vestes; & hi quidem juxta Psalterium a Venerabili Card. Thomasio editum sunt Septem Psalmi Pœnitentiales; Dum vero vestes induit, Psalmi: *Quam amabilia; Benedixisti; Inclina Domine; Credidi; Deum ad Altare; Judica me Deus*.

Psalmorum a Sacerdote dicendorum mentio fit etiam in Missa, quam ex vetustato Codice vulgavit Flaccus Illyricus Lutheri Seditator, & Centuriatorum Magdeburgensium Antesignanus. Ubi adnotandum, impium hunc hominem putasse, Catholicam Fidem per ejus Editionem labefactatam iri; sed vehementer sua eum fefellit opinio. Nihil enim ad nostræ Fidei dogmata constabilienda ea Missa accommodatius, nihil validius; quod cum Lutherani advertissent, exemplaribus conquirendis, & conferendis operam omnem navarunt; uti continuator Historiæ Fleury tom. 3. egregie, & accurate animadvertit.

PARS SECONDA

DE MISSÆ PARTIBUS.

EXERCITATIO XXI.

De Missæ initio. (ex t. 9. l. 2. c. 3.)

CUM ipsa Christi Ecclesia pia illa consuetudo, ut ex Tertulliano habemus, enata est, ut omnium actionum nostrarum a Crucis signo ducatur initium: Quid igitur mirum, si id pariter in Sanctissima Christianorum actione, Missæ videlicet sacrificio, fieri soleat? In eo itaque Sacerdos a Crucis signo Sacra Mystra exoritur: mox Antiphonam *Introibo*, Psalmum *Judica me Deus* cum Hymno *Gloria Patri* recitat.

Antiphonæ, quæ apud Græcos alternum cantum significat, usus a reciproca psalmodium in Ecclesia recitatione originem suam deduxit. Ea autem, quæ hic adhibetur, nihil ad Missæ initium congruentius.

Psalmus *Judica me Deus*, aliorum, & præsertim Verti opinione, non antiquiori, quam ducentorum annorum disciplina, in Missam introductus putatur. Verum longe vetustior esse ejus usum compererunt illi, qui vetera monumenta diligentius excusserunt, & ut Micrologum, ac Innocentium III. prætermittamus, Missale Romanum in Bibliotheca Angelica conservatum, & ante 500. annos exaratum, luculentius hujus rei testimonium exhibet. Non inficiamur quidem eum non ab omnibus recitatum fuisse, donec S. Pius Quintus, recognito Missali, ab universis dici præcepit. In Missis tamen Defunctorum, & Passionis tempore, etiam nunc omittitur, aut quia nullus hic lætitiæ demonstrandæ est locus; aut quia id vetusta primorum sæculorum consuetudine invaluit. Omittitur quoque juxta liturgiam Ambrosianam, & Carthusiani, Fratres Prædicatores, ac Carmelites non illum, sed versus quosdam ex aliis psalmis desumptos recitant.

Hymnum *Gloria Patri* quidam Flaviano Antiocheno Monacho, vel Nicæna Synodo tribuunt. Sed antiquiorem ostendant Athanasii, & Basilii testimonia. Quare alii verius eum quoad primam partem ex Apostolica traditione mansisse existimant. A Nicæna autem Synodo addita dici potest altera pars *sicut erat* ad Arianorum hæresim recandendam. In Gallis Concilium Vasense anno 529. habitum, & Hispania, licet se-

rius celebratum Concilium Toletanum IV. ejus mentionem faciunt.

Absoluto Psalmo cum *Gloria*, Sacerdos dicit *Adjutorium &c.* Minister vero, *Qui fecit Cælum &c.* Tum alternatim orant *Confiteor &c.*; & *Misereatur &c.* ac Sacerdos populo, ac sibi *Divinam poscit indulgentiam*. Illa vero mutua confessione, & oratione, *Misereatur*, Sacerdos, & Minister, seu populus, pro quo Minister loquitur, levium peccatorum remissionem sese assecuturos, atque adeo puriori mente Deo Sacrificium oblaturos confidunt; illis Epistolæ S. Jacobi verbis innixi, *constemini alterutrum; & orate pro invicem*. Porro ad illa verba Confessionis *mea culpa &c.* uterque ter sibi pectus exemplo Publicani ad designandam Cordis contritionem percutit. Contractior est Carthusianorum, & Fratrum Prædicatorum formula Confessionis; utraque tamen Deum, & Sanctos respicit; illam videlicet, ut venia obtineatur; hos, quia & ipsi in fine sæculorum, ut dicitur Matth. 29. & I. ad Corinth. 6. Judices cum Christo sedebunt.

Hanc Peccatorum Confessionem nonnulli Pontiano Papæ tribuunt, sed perperam: cum verius dici valeat, Apostolicæ traditionis esse, ut generatim ingenua peccatorum Confessio Missam præcedat; cum ipsi Veteris Testamenti Sacerdotes ante sacrificium de criminibus dolorem elicuerint, & iniquitatum suarum se coram Domino accusaverint. Formula vero, qua nos utimur jam ab anno 1300. in usu erat, quæ etiam in 14. Ordine Rom. apud Mabillon. extat, additis pauculis his verbis: *Quia peccavi nimis cogitatione, delectatione, consensu, verbo, & opere*. Quin imo in Liturgiis S. Jacobi, & S. Marci Sacerdos sua peccata accusat, sibi que, & populo veniam a Deo deprecatur. In veteri vero ritu Mozarabico nulla invenitur confessio, sed hujus loco Card. Ximenes alias orationes addidit, quæ de re legi possunt Card. Bona, le Brun, Grancolas, & Meratus.

Post Confessionem Sacerdos quasdam congruas orationes e sacris Paginis depromptas

cum Ministro recitat, inter quas est *Domini- nus vobiscum*, cum ex libro Ruth deprompta, cui Minister ex Epist. D. Pauli ad Galat. 6. addit, & *cum spiritu tuo*, quod utrumque sæpius in Missæ decursu iteratur.

Denique Sacerdos adstantes ad preces excitat dicens *Oremus*, & recitat orationes *Aufer* &c. & *Oremus te Domine* & tum primum osculatur Altare. Osculum quippe salutatio quædam est, qua sacerdos se adhærere Christo profitetur, cui, sicuti membra capiti, conjuncti sunt Sancti, quorum Reliquiæ ibi servantur. Carthusiani vero, & Fratres Prædicatores, Osculi loco, Altare ipsum inclinato capite salutant.

Cum superius quædam de Ritu Mozarabico, & Ambrosiano attulerimus, paucis his eos attingemus. *Mozarabicus*, Gothicus etiam appellatur, quia eo Hispaniæ Ecclesia utebatur, cum Gothi Hispanis imperitarent. *Mozarabicus* vero dictus est, quod Hispania ab Arabibus occupata, Christiani *Mixtarabes*, & *Mozarabes*, id est cum Arabibus mixti, nominati fuerint. Hic longo tempore in Hispania viguit, donec tandem sub Gregorio VII. abolitus evanuit, quorum omnium documenta refert Card. de Aguirre. Ne tamen ejus memoria penitus interiret, Cardinalis Ximenes Missale, & Divina Officia typis imprimi, Missamque in quodam Sacello Metropolitanæ Ecclesiæ Toleti eo ritu celebrari voluit. Quare apud nonnullas ejusdem Diocesis Parochias etiam, nunc teste Alvaro Gomezio, perseverat.

Ambrosianus Ritus ille est, qui in Mediolanensi Ecclesia adhibetur, ac olim in Bononiensi quoque, utpote Mediolanensi Antistiti subiecta, fuit in usu; de quibus fufe Vicecomes tractat in secundo de Missæ Ritibus libro: ubi probat, Liturgiam hanc non fuisse a S. Ambrosio institutam, cum plures in ea reperiantur ceremoniæ ætate S. Ambrosii, antiquiores, sed solum emendatam, atque auctam.

EXERCITATIO XXII.

De Introitu.

Sacerdos, salutato Altari, ut diximus, ad sinistram ejus partem se confert, quæ *Cornu Epistolæ* dicitur, ibique introitum incipit. Monet Cedrenus, olim hanc Altaris partem appellatam fuisse dexteram ex manu dextera Sacerdotis ad Altare conversi; sed anno 1485. in Pontificali Romano statutum fuit, ut dextera, & sinistra

altari pars diceretur respectu ad Crucifixum habito.

Introitus, qui in Missali Ambrosiano *Ingressa*, in Mozarabico, & in Carthusianorum, Fratrum Prædicatorum, & Carmelitarum Missali *Officium* dicitur, & ex Antiphona, Psalmo, & Gloria Patri constat, ita appellatur, seu quod Missæ principium est, seu quia a Choro canebatur, cum Sacerdos ad Altare concederet, qui propterea Introitum non recitabat. Nunc vero illum legit tam in Missis privatis, ut suppleat quod a Choro dicendum esset, quam in solemnibus, quia fieri potest, ut quæ Chorus canit, probe non intelligat.

Valfridus, Micrologus, & alii *introitum* S. Cælestino I. tribuunt; sed hæc opinio omni caret fundamento, & verosimilius Honorius, & Bruno, S. Gregorium ejus fuisse auctorem existimant. Antiphonarium quippe ipse composuit, selectis e Psalmorum libro Antiphonis, ex quibus Introitus, Responsorium, & Offertorium componuntur.

In eo Antiphonario omnes Introitus e Psalmis deprompti sunt, paucis exceptis, quos Durandus *Irregulares* appellat, ut ii, qui dicuntur in Nativitate, & Ascensione Domini; in Pentecoste, & in festo S. Petri Apostoli; sed hi quoque e Sacra Scriptura desumpti sunt. Alii quidam inveniuntur, qui neque e Psalmis, neque e Sacra Scriptura; neque ex Gregoriano Antiphonario petiti sunt nempe *Salve sancta parens*; *Gaudeamus omnes*, *Benedicta sit Sancta Trinitas*, & *accipite jucunditatem* &c. qui desumptus est ex quarto, sed apocrypho Esdræ libro.

Olim in introitu Psalmus integer cum *Gloria Patri* recitabatur; sed a mille fere annis pauci dumtaxat ex eo versus dicuntur juxta interpretationem, quæ ante S. Hieronymi ætatem in usu erat, & a Patribus vocatur *Italica*, quæ etiam nunc utuntur Ambrosiani, Mozarabes, & Clerus Basilicæ Vaticanæ. Post *Gloria Patri* repetitur antiphona; quod Carmelitæ, & quædam Ecclesiæ in Festis solemnioribus etiam tertio faciunt; Ambrosiani vero in Mortuorum Missis dumtaxat repetunt.

Romano Pontifici solemniter celebrato, atque a Throno ad Altare accedenti tres ultimi Presbyteri Cardinales occurrunt, eumque in pectore, & in facie osculantur, de cujus, sicut & de Introitus mystica significatione, videssis Innocentium III.

EXERCITATIO XXIII.

De Invocatione Kyrie eleison.
(ex t. 9. l. 2. c. 4.

Sacerdos, lecto Introitu, venit ad medium Altare, & dicit *Kyrie eleison*, quæ Græca verba sunt, & significant *Domine miserere*. Hæc precatio nostris indigentis est accommodatissima; quapropter *Matias c. 33. Domine, inquit, miserere nostri; te enim expectavimus*. Adhibetur etiam in Liturgiis S. Jacobi, & Veterum Græcorum Patrum. Sed quis ea verba in Occidentem invexerit, non constat: id nonnulli S. Gregorio Magno tribuunt, sed falso; nam ex Concilio Vasensi anno 529. habito exploratum est, ea sexaginta ante S. Gregorium annis a Sede Apostolica, & per Italiam fuisse usurpata.

Porro a Sacerdote, & Ministro alternis vicibus ter dicitur *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, & rursus ter *Kyrie eleison*; de quo S. Thomas in 3. parte quest. 83. *Misericordia*, inquit, *petitur dicendo Kyrie eleison, ter quidem pro persona Patris, ter autem pro persona Filii, cum dicitur Christe eleison, & ter pro persona Spiritus Sancti, cum subditur Kyrie eleison &c.*

Olim quidem non fuerat prefixitus *Kyrie eleison* dicendi numerus, sed, testibus Martene, & Mabillonio, toties dici consuevit, quoties Sacerdoti libuisset; quin etiam juxta Bellarminum, Bonam, Mabillonium, & alios omittebatur in Missis, quæ Litanias subsequerentur; idque prioribus Ecclesiæ sæculis sæpissime contigit. Ambrosiani vero ter *Kyrie eleison* dicunt; videlicet post *Gloria in Excelsis*, post Evangelium, & in fine Missæ.

EXERCITATIO XXIV.

De Hymno *Gloria in Excelsis*.
(ex t. 9. l. 2. c. 4.

Hymnus hic cantatur in Festis, ait S. Thomas, in quibus commemoratur celestis gloria, intermissitur autem in Officiis luctuosis, quæ ad commemorationem miserie pertinent. Ejus initium ab Angelis ipsis deducitur, qui Jesu nato cecinerunt: *Gloria in Excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Reliqua quis addiderit, incertum est. Tanta tamen est hujus Hymni devotio, & pulchritudo, ut, Bellarmino teste, vel ipsi Luthero probatus fuerit.

Illum Græci *Doxologiam* vocant, & nonnulli putant ab iis ad Latinos promanasse. Sed non statim in Missa dici ceptum esse, colligitur ex Concilio Toletano iv. anno 634. habito: & Gregorius Turonensis testatur in Gallis post Missam recitari contuevisse. Ferunt etiam S. Benedictum voluisse, ut in Laudibus recitaretur. In publicis vero acclamationibus cantatum fuisse, constat ex Concilio vi. Generali, ex viii. Toletano, & ex vita Leonis III. Auctor denique Tractatus de Missa, divinisque Officiis innuit, Hymnum hunc sæculo 7. in Missam fuisse investum.

Ubi tamen ex Libro anonymo, qui *speculum Ecclesiæ* dicitur, animadvertendum, eum initio in Missis dumtaxat Nativitatis Domini usurpatum; in prima quidem Græce, in secunda vero Latine. Inde ad alias Missas propagatus legitur, ita tamen, ut Episcopus die Dominica, & solemnibus festis, Presbyteri in Paschate tantum illum recitent.

Berno quidem Abbas Richelii, qui post anno 1000. vivebat, miratur, cur aliis diebus festis id Presbyteris non liceret; sed ejus audaciam retundit Hugo Menardus, remittendo illum ad Missale a Ss. Patribus institutum, & ab ipso Sanctissimo Gregorio recognitum. Porro paulo post Bernonis ætatem mos invaluit, ut a quovis Presbytero Hymnus ille in Missa diceretur, quod etiam nunc usum venit in omnibus Missis, exceptis sacrificiis Mortuorum, & feriarum extra-tempus Paschale, nec non Dominicarum Adventus, Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, Quadragesimæ, & Passionis temporis (si feriam 5. in Cœna Domini demas) quibus diebus luctui, & penitentia præstituti Hymno lætitiæ pleno locus non est, & de Septuagesima quidem habetur in Can. *Hi duo de consecr. dist. i. De feria 5. in Cœn. Domini habetur in Can.*, qui sequitur. Olim ex Decretali *Consilium* de celebr. Miss. neque in Missis votivis B. Virginis adhibebatur. Nunc vero juxta Rubricas Missalis dici potest in votivis Angelorum; & B. Mariæ in Sabbato, non in aliis; nisi gravis causa urgeat. De his fufe Suarez, & Grancolas.

Verba illa: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam* quidam interpretantur: ac si gratias illi agamus propter ejus erga nos gratiam, & misericordiam. Et merito, nam in sacris paginis gloria Dei pro ejus gratia, & misericordia sæpe accipitur.

Post Hymnum Sacerdos in signum mutua communionis, & pacis salutem populum dicens *Dominus vobiscum*; episcopus vero, si dies

fi dies lætitiæ sit. *Pax vobis*, quibus verbis Apostolos post resurrectionem Christus, cujus personam Episcopus exprimit, salutavit; diebus vero pœnitentiæ dicit & ipse *Dominus vobiscum*, quod servat etiam in reliquis salutationibus, ut declaret, se ex numero Sacerdotum esse, ut advertit Innocentius III. Quæ quidem quam vetustæ sint, satis colligitur ex Epistola Leonis VII. sæculo X. ad Gallos, & Germanos scripta. Morem, ut Episcopus non semel tantum in salutatione Populi diceret *Pax vobis*, sed etiam in ceteris salutationibus, in quibus dicit *Dominus vobiscum*, Priscillianus invenire conabatur: Verum illum improbavit Concilium Bracarense, ut observant Garcias, Loaisa, & Tournely.

Formulam *Pax vobiscum* adhibebat Episcopus, & Diaconus in quibusdam caeremoniis extra Missam; Episcopus quidem juxta D. Chrysostomum ea utebatur, cum in Ecclesiam introiret; & Albaspinæus ex Divi Cypriani epistola 30. colligit, eandem a Lectore usurpari consuevisse, antequam Evangelium legeret. Nunc in Orientali Ecclesia Sacerdotes juxta Liturgias Basilii, & Chrysostomi populum salutant dicentes *Pax omnibus*, ut observant Bona, Martene, & Meratus.

EXERCITATIO XXV.

De Oracionibus. (ex t. 9. l. 2. c. 4.)

Salutato populo, & ad precandum per verbum *Oremus* excitato, Sacerdos orationes recitat, quæ in Missali Mozarabico, & in vetustis Sacramentariis apud Ven. Card. Thomasiuni *collectio*, & frequentius *collecta* vocantur. Hæc vox I. ad Cor. 16. elemosynam significat: apud Scriptores Ecclesiasticos cœtum Fidelium ad orandum convenientium. In Missa vero ita vocatur, vel quia Sacerdos, veluti Mediator inter Deum, & homines, vota annuum colligit; vel quia brevis est oratio, quam Sacerdos super populum congregatum recitat; vel quia omnes, collectis in se animis, cogitationes, & affectus suos ad Deum elevant, ut explicat Esperæans.

Collectæ vis, & natura ad Apostolicam traditionem est referenda, ut colligitur ex Justino, & Tertulliano. Eas, quibus nunc in Missis utimur, aut S. Gelastus, aut S. Gregorius composuit, Leoni II. tribuitur oratio *Deus, cujus dextra B. Petrum &c.* & altera *Deus, qui B. Petro &c.* apud Durandum. Innocentio autem III. *A cunctis &c.*

Olim unam tantum collectam distam fuisse, ostendit Ménardus, imo apud eundem Durandum in Lateranensi Ecclesia nullam, sed ejus loco *Pater noster* fuisse recitatum. Et Agrestinus S. Columbanum accusavit, quod complures orationes in Missa adhiberet; sed eum defendit Eustasius, dicens nihil esse utilius precum multiplicitate. Attamen observat Martene definitum esse, ut non plures quam septem recitentur. Et Honorius errare ait eum, qui hunc numerum prætergrederetur. Marcus vero post Innocentium III. opinatur, earum numerum juxta Rubricas imparem esse oportere, mysticam hanc addens rationem, quia videlicet Ecclesia unitatem amat, quam numerus impar, utpote indivisibilis, exprimit. In Romana, & in quibusdam aliis Ecclesiis orationes olim, *Laudes* dictæ, recitabantur pro Pontifice, pro Imperatore, Rege, & Episcopo, ut ex libro Pontificali in vita Hadriani I. colligitur. Harum laudum formulas exhibent Bona, Martene, & alii.

Interdum ex Rubrica Sacerdos post *Oremus* dicit *ſteſtamus genua*, & respondetur *Levate*. Antiquitus Diaconus utramque canebat, interposita aliqua mora, qua populus in genua provolutus tantisper oraret. Hodie vero, ubi Diaconus primum præcinerit, Subdiaconus statim addit *Levate*.

Nunc ad collectæ ritum intuemum progrediamur. Hæc ad Patrem tendit. Hoc enim more Jesus orare nos docuit Matth. 6., & Missa oblationem illam representat, qua Christus se Patri obtulit, Non dirigitur autem ad Trinitatem, ne, cum postea concludimus, *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum &c.*, videamur autem Jesum putare Trinitatis Filium: aut duas in eo personas distinguere, unam scilicet in Trinitate, quam invocamus, alteram, per quam obtestamur ipsam Trinitatem. Optimum igitur visum est, ut ad personam Patris, a qua aliæ procedunt, Oratio juxta Concilium Carthaginense III. dirigeretur. Neque vero per hoc Filius, & Spiritus Sanctus excluduntur; monet enim Tertullianus, propter essentiæ unitatem in Patre, Filium, & Spiritum S. intelligi, & cum in fine collectæ, tres personas simul vivere, & regnare dicimus, jam eas simul pariter invocamus. Perpaucæ tamen collectæ ad Filium etiam diriguntur fortasse, inquit Bellarminus, *ne homines crederent, non posse invocari, nisi Patrem: & hæc concluduntur vertis; Qui visis, & regnas &c.*

Eæ vero, quæ ad Patrem ordinantur, obsecratione clauduntur *Per Dominum nostrum*

Jesum &c. Tum quia *nullum aliud nomen datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri: tum quod unus mediator Dei, & hominum Deus, & homo Christus Jesus; tum quod per eum solum habemus accessum ad Patrem;* juxta id, quod legitur in Act. Apost. 4., & 1. ad Timoth. 2. & ad Rom. 5.

Post collectam Minister populi nomine respondet *Amen*; de cujus vocis usu loquuntur Apostolus 1. ad Corinth. 13., Justinus Martyr, & Hieronymus. Hæc vox Hebraica est, & interdum est affirmantis, ut cum post aliquod Fidei dogma, E. G. post Symbolum, adhibetur; interdum est desiderantis, si nempe sequatur orationem, qua alicui opem a Deo imploramus; interdum denique est assentientis, ut cum adjicitur orationi, quæ aliquid respicit, quod nostrum est exequi, & perficere.

EXERCITATIO XXVI.

De Epistola. (ex t. 9. l. 2. c. 5.)

AD Eucharistiæ Sacramentum, quod est *Mysterium Fidei*, populus disponitur juxta S. Thomam *per doctrinam Prophetarum, & Apostolorum*, quæ legitur in Epistola. Quapropter ad hunc ipsum finem instituta est Epistola, ut populus erudiatur, & ad Sacrificium præparetur.

In vetustis Codicibus Epistola dicitur *LECTIO ex Apostolo*, quia etsi interdum ex aliis scripturæ libris, plerumque tamen ex Epistolis D. Pauli desumitur; & hinc *LECTIO* nomen *Epistola* traxit. Judæi a lectione librorum Moysis, & Prophetarum Conventus suos exordiebantur, ut ex Actis Apost. colligitur. In novo autem Testamento S. Paulus sæpe insinuat, ut Epistolæ suæ in Ecclesiæ legantur. Hinc inferre licet, verosimile esse eas Epistolas tempore Missæ lectas fuisse. Quod licet Apostolus discrete non indicet, id tamen non leve opinioni nostræ fundamentum suppeditat, quod nullo Christianorum conventus sciamus, quam quæ ad Sacram Synaxim agebantur.

Olim, Eusebio teste, Episcoporum etiam, sumptuorumque Pontificum literæ in Ecclesia legi consueverunt, præsertim quæ *Pacificæ*, seu *communicatorie* dicebantur, quarum commercio pax, & unitas inter Romanum Pontificem, ceterosque Episcopos servabatur, & Orthodoxi ab Hæreticis discernebantur. De qua re videantur Martene, Card. Bona; & Bencinus. Series, & ordo Epistolarum, & Evangeliorum, quæ totius anni cursu in Ecclesia leguntur, S. Hieronymo

vulgo tribuitur; Diversa tamen pro diversis liturgiis viget disciplina. In Missalibus Ambrosiano, & Mozarabico duæ Lectiones; altera e veteri, altera e novo Testamento leguntur; Et Mabillonius ex Gregorio Turonensi probat, tres olim in Galliis legi consuevisse, primam ex Prophetis, alteram ex Apostolo, tertiam ex Evangelistis. Nunc, paucis diebus exceptis, una tantum recitatur. In Missis privatis a Sacerdote Epistola legitur, in Solemnibus quidem a Subdiacono cantatur, a Sacerdote tamen etiam submissa voce dicitur. Id olim Lectores præstabant; nam in veteribus Subdiaconorum ordinationibus nihil reperitur, quod ad lectionem Epistolæ referri possit, ut ostendunt Haller, & Morinus, & colligitur ex Amalario, Micrologo, & Durando; quare Martene putat, sæculo VIII. Subdiaconos Epistolam legere cepisse. Hodie tamen proprium munus Subdiaconi evasit, ut ex ejusdem ordinatione apparet. Absente Subdiacono, quivis Clericus in minoribus constitutus potest Lectionem legere, sed absque manipulo juxta congregationis Rituum Rescripta apud Meratum, post Epistolam responditur *Deo gratias*, quam vocem vetustissimam esse patet ex Regula S. Benedicti, & ex Augustino.

EXERCITATIO XXVII.

De Graduali. (ex t. 9. l. 2. c. 5.)

Graduale, seu Antiphona, quæ post Epistolam dicitur, juxta S. Thomam *perfectum vitæ* significat. Hoc autem nomen obtinuit; vel quod in Altaris gradibus caneretur, ut vult Honorius; vel quod caneretur, cum Diaconus *Ambonis* gradus Evangelium lecturus conscenderet, putant B. Rhenanus, & Vener. Card. Bellarminus. Responsorium etiam vocatur, vel quia Lectioni convenire, & quodammodo respondere debet; vel quod alternis cantaretur vicibus, ut innuit Rabanus.

De *Graduali* fasce scripsit Ven. Card. Thomastius. Ejus vero Auctor, vel S. Cælestinus, vel S. Gregorius fuisse fertur, qui etiam illud post Epistolam dici jussit. Sed hic difficultatem ingerit Concilium Toletanum IV. an. 633. habitum, in quo præscribitur, ut post Epistolam, nullo Responsorio interjecto, statim legatur Evangelium. Verum recte Card. Bona observat, Concilium nequaquam ceterarum Ecclesiarum ritum improbare, sed Liturgiam solum Mozarabicam, quæ

quæ tunc in Hispania vigeat, sartam, te-
ctamque conservare voluisse.

Adnotandum interim Graduale utpote pœ-
nitentiæ, & doloris signum tempore Pascha-
li intermitti.

EXERCITATIO XXVIII.

De Alleluja, Tractu, & Sequentiis,
(*ex t. 9. l. 2. c. 5.*)

Post Graduale dicitur *Alleluja* quæ vox
Hebræica significat *Laudate Dominum*;
& Davidem Auctorem habet, nec alibi in
veteri Testamento, quam in Psalmis, &
Tobiæ XIII. reperitur. S. Joannes vero in
Apocalypsi narrat, se audivisse Choros An-
gelorum in Cœlo canentium *Alleluja*; qua-
re hæud immerito dicere licet, hoc Canti-
cum in Ecclesiam e Cœlo fuisse deductum.
Sozomenus contendit illud Romæ quondam
die *Pascha* tantum cantari consuevisse; cu-
jus sententiæ acrem oppugnatorem Card.
Bellarminum nactus est, quamquam nec
suis illi defuerit defensor Valesius. Quam
inter eos litem erudita interpretatione com-
ponere, ac conciliare studuit Cardin. Tho-
masius; itaut in Paschate solum solemniter
intonaretur. Ceteris vero diebus ad placitum
vel diceretur, vel omitteretur.

Tanta hujus vocis fuit apud omnes ve-
neratio, tanta sanctitas, tanta majestas, ut,
S. Isidoro teste, nunquam in aliud traducta
fuerit idicma; illamque S. Hieronymus
omni tempore, ab omni ætate, ab omni ho-
minum ordine, a pueris, ab agricolis inter
labores adhibitam fuisse scribat.

Omittitur vero *Alleluja* juxta Rubricas a
Septuagesima ad Sabbatum Sanctum in Mis-
sis de feria per Adventum, & in Vigiliis
jejuniorum, exceptis tamen Paschatis, &
Pentecostes; in quibus olim Missæ per no-
ctem celebrabantur; eademque erant ipsa-
rum Festivitatum Missæ, ut observat Bel-
lote. Lutherus probare contendit *Alleluja*,
etiam per Quadragesimam, & in majori Heb-
domada intonari debere; sed eum egregie
refellit Bellarminus. Cui suten per id tem-
pus omittatur, fuisse dissentit Theophilus Ray-
naudus: sicuti de ejus usâ medio inter Pa-
schæ, & Pentecostem tempore, ac de ejus
per Quadragesimam intermissione Albaspinaus.
Omittitur denique in Festo Ss. Inno-
centium, quod Ecclesia miserarum matrum,
quæ filios suos trucidari viderunt, planctus
ob oculos nostros penat, ut advertit Ama-
lianus. Dicitur vero in ejus Octava, &
Festivitate ipsa, si in Dominicam incidat;

quia in Resurrectione Domini, inquit Ho-
noriarius, eos Sanctis Associatos credimus.

Tractus a trahendo dicitur; nam juxta
Durandum, Bellarminum, & alios, tra-
ctum, & cum asperitate vocem & prolixita-
te verborum canitur. Dicitur a Septua-
gesima ad Pascha pro Alleluja, quo Tra-
ctus, ut ait Rupertus Abbas, Luctui con-
gruat, & his diebus mortem, quæ subin-
travit in mundum, lugeamus.

Sequentia, quæ etiam *jubilatio*, & *prosa*
appellatur, ita dicitur, qui Graduale con-
sequitur, Quatuor Sequentiis utitur Eccle-
sia Romana: prima est *Vilima Paschali*,
die Paschatis a Roberto Francorum Rege
sæculo XI. juxta Durandum composita. Al-
tera *Veni Sancte Spiritus* in Pentecoste; &
hoc B. Hermanno contracto ejusdem sæculi
tribuitur. Tertia *Lauda Sion*, in Festo
Corporis Christi, ejusque Auctor D. Thomas
dicitur. *Dies ire* in Missis Mortuorum,
quam scripsisse existimatur Latinus Cardin.
Ursinus, seu Frangipani Ord. Predicatorum,
qui ann. 1294. obiit. De his fusc Le Brun,
Macrus, & Perimezius, qui hujus ritus B.
Nothærum Sancti Galli Abbatem, qui inte-
gram volumem ejusmodi Profarum a se com-
positarum congescit, introductorem fuisse
parat. Alia Sequentia, *Lauda Sion Sal-
vatoris*: *Jesu nomen* dicitur in Festo Nomi-
nis Jesu, sed hæc apud Meratum propria
est Fratrum Minorum.

EXERCITATIO XXIX.

*De Reliquis Actionibus, quæ sunt a Sa-
cerdote in hac Missa parte.*
(*ex t. 9. l. 2. c. 6.*)

Præcipue actiones juxta Rubricas sunt Al-
tare osculari; ad cornu Epistolæ se con-
ferre; signo Crucis se signare, caput ad
Crucem convertere, & in quibusdam verbis
proferendis inclinare, in medio Altari *Ky-
ria* & *Gloria* recitare, ad cornu Epistolæ
redire, & in dicendis collectis manus ad
humeros extollere.

Osculum Altaris, & signum Crucis supe-
rius explicavimus. Ad reliquas actiones quod
attinet, olim *Gloria*, vel in medio Altari,
vel in cornu Epistolæ, ut adhuc Carthusiani,
& Fratres Predicatores faciunt, pro li-
bito dici poterat: Sed nunc in medio ad
conspectum Crucis, juxta Ritus Romanum
a sæculo XIII. inventum, recitatur.

Olim quoque populus verbis *Dominus
vobiscum* non in medio Altari, sed ut nunc
a Carthusianis, Carmelitis, & Fratribus

Prædicatoribus fit, ad cornu Epistolæ salu-
tabatur. Verum jam a quingentis, & ampli-
us annis apud Le Brun Sacerdos a medio
Altari ad populum conversus dicit *Dominus*
vobiscum.

Septies hoc in Missa repetit, quod adno-
tante Innocentio III. nos admonere valet,
ut explosis septem capitalibus vitiis septi-
formem gratiam a Deo impetremus. Porro
Sacerdos ad populum se non convertit post
Confiteor, quia totus est in anima sua ex-
pianda; nec ante Evangelium, quia in ver-
bo Dei annunciando versatur, neque ad
Præfationem, cum sublatum ad Deum ani-
mum, proximoque Sacrificio intentum ha-
beat.

Manus ad humeros elatas tenet juxta usi-
tatum tum in veteri, tum in novo Testa-
mento orandi modum; quamvis olim expan-
sis, sublatisque brachiis oraverint, ut sta-
tum Christi in Cruce extensi imitarentur;
quo orandi modo plures in Romæ Cœme-
teriis imagines depictæ videntur apud Bo-
fiam, & etiam nunc Religiosi quidam ordi-
nes utuntur. Consultius vero Ecclesia exi-
stimavit, ut ipso jam præcimente Tertul-
liano lib. de orat. cap. 13. *cum modestia,*
& humilitate ne ipsis quidem mani-
bus sublimis Sed temperate, &
probe elatis collecta recitarentur, ne veteri
retenta consuetudine inconcinnis gestibus,
indecoroque corporis habitui occasio detur.

Jam notum est, introitum cum reliquis
usque ad Evangelium in cornu Epistolæ:
Kyrie vero, *Gloria*, *Credo*, & ea, quæ ad
substantiam pertinent sacrificii, in medio
Altaris recitari. Reliquum est, ut de itu,
& reditu ab una ad alteram Altaris partem
verba faciamus. De quo solide observat
Micrologus, inde derivatum esse, ut Sacer-
dos a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii
transeat, quod cum Fideles *Offertorii* tem-
pore oblationes ad Altare deferrent, non
potuisset Sacerdos eas commode in primo
cornu accipere, & Evangelium legere, nisi
Missale ad aliud cornu transferretur. Et
Fouget hanc Micrologi observationem illu-
strans ait: olim in Missis solemnibus, ante-
quam Sacerdos ad Altare ascenderet, a
Subdiacono Epistolam, a Diacono Evan-
gelium legi consuevisse: postea Sacerdotem
ad Altare ascendisse, & ea quæ opus essent,
posito, ut supra, libro dixisse. In Missis
vero privatis institutum fuisse, ut in cornu
Epistolæ legerentur quæ in Missis solenni-
bus extra Altare leguntur; cætera vero
omnia, ut in solemnibus, ita & in priva-
tis in medio Altari perficerentur. Quia vero

in Missis solemnibus, post Communionem
Subdiaconus in cornu Evangelii Calicem
tergit, & componit, propterea Missale ad
cornu Epistolæ oblationibus non impediunt
refertur; atque inde idem Ritus in Missis
privatis est derivatus. Postea Sacerdos ite-
rum ad cornu Evangelii se confert, & Ini-
tium Evangelii S. Joannis legit, ubi pri-
mam Evangelium lectum fuerat. De quo
non est, cur multa anxietate quæramus;
nova enim ejus Evangelii ad Missam addi-
tio est, & decet, ut in eadem parte Alta-
ris secundum Evangelium legatur, in qua
primum recitatum fuit. Apud Mysticos cor-
nu Epistolæ Hebræos, qui primi ad Evan-
gelium vocati sunt; cornu vero Evangelii,
Ethnicos significat, qui Evangelium a Ju-
dæis rejectum receperunt; reditus vero ad
cornu Epistolæ futuram Hebræorum denotat
conversionem.

EXERCITATIO XXX.

De Evangelio. (xx t. 9. l. 2. c. 9.)

Lecta Epistola, & iis, quæ consequun-
tur, Sacerdos in medio Altari, ut ad
Evangelium legendum se paret, recitat Ora-
tionem *Munda cor meum*, petens a Deo,
ut quemadmodum labia Ilaie calculo mun-
davit ignito, ita sibi cor, & labia purifi-
cet, quo digne Sanctum annunciet Evan-
gelium.

Postea tam in Missa privata, quam in
Solemni dicit *Jube Domine benedicere*. At
Diaconus Evangelium cantaturus ait *Jube*
Domine &c. Sacerdos quippe benedictionem
a Deo petit, cui proprie vox *Dominus* com-
petit: Diaconus vero illam a Sacerdote po-
stulat, cui, utpote homini, vox diminuta
Domus tribuitur. Qua ratione Summus
Pontifex in Litanis *Domus* Apostolicus
appellatur. Porro cum benedictio a Deo
effragitur, gratias, quibus nobis opus est,
postulamus, ab homine autem poscimus, ut
Deum pro nobis oret. Videantur Du Can-
ge, & Macrois.

Inde Sacerdos ad cornu Evangelii se con-
fert, & dicto *Dominus vobiscum*, secuto-
que Ministri responso *Et cum spiritu tuo*,
pollice dexteræ simbolo Crucis librum in
principio Evangelii, ac suam frontem, os,
& pectus signat dicens: *Initium S. Evan-*
gelii, si principium alicujus Evangelii lega-
tur; vel *Sequentia &c.* si quod legendum,
e corpore Evangelii sumptum sit. Libro
vero Crucem imprimit, quod fit juxta In-
nocentium III. ut innuat hanc Crucifixi

librum esse: fronti vero, quod juxta Augustinum Crucem non erubescat: ori autem, & pectori, quod corde credatur ad justitiam, ore autem confesso fiat ad salutem. Tum junctis manibus, sive privatim, sive solemniter celebret, Evangelium legit. In majori Hebdomada, cum legitur historia Passionis Christi, lectioni præmittitur: *Passio Domini Nostri &c.* & omittuntur tam *Initium*, aut *Sequentia &c.* quam prædictum Crucis signum.

Ex vetustissima consuetudine populus Evangelium stando audit, ut significet, paratum se esse ad perficienda Domini mandata, quæ in eo leguntur. Et olim ad declarandam humilitatem, obsequiumque Deo præstandum, qui baculum habebat, juxta Amalarium ponebat; Religiosi vero Equestrium ordinem, vel manum gladio admovent, vel ipsum e vagina educunt, indicantes per hoc, se paratos esse ad sanguinem pro Christi Fide fundendum. Vide Card. Bonam.

Olim in Missa Solemni Lector Evangelium legebat, quæ consuetudo etiam nunc apud Græcos viget. Postea vero id munus in Evangelii honorem Diaconis demandatum est. Consuetudo hæc Evangelium in Fidei cæteribus legendi ab ipsis Ecclesiæ primordiis originem suam ducit; ut ex 2. ad Corint. 8. ex vetustis Liturgiis, & ex Eusebio eruitur. Illam quoque S. Justinus ex Apostolica repetit traditione; ac licet Morinus ex Epistola S. Gregorii M. ad Joannem Episcopum Siracusanum, ubi S. Pontifex ait, Apostolos, dicta solum oratione Dominicali, Hostiam consecrassent, arguat, Evangelium per multos annos in Missa lectum non fuisse; Morinum tamen egregie refellit P. Lupus; & Cardin. Bona existimat, Sanct. Gregorium, ad tempus illud respexisse, quo Evangelium nondum erat litteris commendatum.

Post illa Sacerdotis verba *Initium &c.* vel *Sequentia*, Minister respondet *Gloria tibi Domine*, & ad finem Evangelii addit *Laus tibi Christe*, quæ verba omittuntur Feria 6. in Parasceve, quo Christus opprobriis saturatus est. Olim post Evangelium dicebatur *Amen*, quod servatur in Ritu Mozarabico; vel *Deo gratias*, ut videre est apud Alensem. Sacerdos vero submissa voce subjicit: *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta*, quæ vox *delicta* hic culpas veniales significat, ut notat Le Brun; ac simul osculatur principium Evangelii, quod tamen non facit in Missis mortuorum, neque coram Papa vel Cardinali, aut Legato Apostolico, ubicumque hi sint; neque

coram Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ubi jurisdictionem habent; quibus omnibus Missale ad osculum offertur.

De hujusmodi osculo plura loquitur Joannes Episcopus Aurelianensis. Antiquitus vero non solum Sacerdos Evangeliorum librum osculabatur, sed liber ipse ad totius Cleri, populique osculum circumferebatur. Verum Honorius III. apud Meratum, & Raynaldum vetuit, ne cuiquam, etiam Principi, Evangelium offerretur osculandum, nisi Sacro Oleo sit perunctus.

EXERCITATIO XXXI.

De Sermone post Evangelium olim ad populum habito, & Missa Catechumenorum. (ex t. 9. l. 2. c.)

IN more positum erat apud Hebræos, ut post lectionem legis, & Prophetarum sermo ad populum haberetur, ut ex S. Luca, & ex Actis Apostol. colligitur. Ex Justino, & lib. 8. Constit. Apostolic. & ex S. Cypriano constat, post Evangelium Homiliam, seu sermonem haberi consuevisse. Hoc eruditissime tractat Ferrarius. Præter sermonem vero monita quædam populo exhibebantur, scilicet ut . . . *pro diversis necessitatibus preces funderent ad Dominum &c.* ut loquitur Concilium Aurelianense apud Ivonem.

Hanc consuetudinem Galli retinent apud Pougnet, & admonitiones *Prons* gallice dicuntur, ex Græco *Pronaos*, hoc est ab illa Templi parte, quæ a limine ad Chorum protenta Laicos continebat. In Italia quoque Parochi, qui munus suum exequi volunt, solent Festis diebus sermonem post Evangelium ad populum habere; cum Concilium Tridentinum instructionem gregis omnibus Pastoribus serio præcipiat.

Lectio Evangelio, & sermone habito, catechumenorum Missa peracta erat. Quod ut melius intelligatur, sciendum est, publicos poenitentes a Patribus in quatuor Classes distribui. Alii *Fletus* dicebantur, qui extra Templi januam peccata sua dessebant. Alii *Audientes*, & *Prostrati*, & hi in ea Templi parte, quæ *Narthex* appellabatur, cum Energumenis, & Catechumenis morabantur; qui omnes, sermone habito, a Diacono dimittebantur, & abibant; ut ex Jacobo Diacono in vita S. Pelagii colligitur. Alii demum *Consistentes*, qui cum cæteris Fidelibus Missa integræ aderant; non tamen Eucharistiæ participabant. Vetustioribus temporibus illa dimissio Evangelium precedebat;

bat; sed Concilium Arausicanum I. statuit, id subsequi debere; quod confirmavit Concilium Valentium. Omnia hæc eruditissime tractant Albaspinæus, & Bocquillot.

Prior itaque illa Missæ pars dicebatur *Missæ Catechumenorum*, quod horum major esset numerus; ut observant Vicecomes, & Morinus. Altera pars *Missæ Fidelium*, vel etiam *Sacramentorum* apud Ivonem Carnotensem appellatur, qui pravam suorum Canoniorum describens disciplinam ait: *Quia adibat Missam catechumenorum, subversugiebat Missam Sacramentorum*. Et S. Cæsarius Arelatensis addit, non satis esse, ut quis Missæ dicatur adfuisse, si sanctam Lectionem audierit, sed expectandum esse, donec Sacerdos Benedictionem populo impertierit.

EXERCITATIO XLII.

De Symbolo. (ex r. 9. l. 2. c. 6.)

Symbolum, quidquid nonnulli apud Vesium fenserint, signum quoddam, seu tesseram significat, qua Fideles ab Infidelibus fecernerentur; ducta similitudine ex militari signo, quo milites a transfugis distinguebantur, ut observat Rufinus; seu ex Syngrapha contractus, qua quispiam alteri obligatur; siquidem Christianus juxta S. Petrum Chryzologum cum Deo in Baptismate pacificatur.

Quatuor sunt Symbola: *Apostolicum*, *Nicænum*, *Constantinopolitanum*, & *Athanasianum*, quod S. Athanasio tribuitur. *Apostolicum* ab Apostolis conditum esse, demonstrat Natalis Alexander; quamvis, teste D. Hieronymo, non fuerit litteris commendatum, sed voce traditum, ne in manus caderet Infidelium; adeo, ut ante Constantinum nullus Scriptor, si Tertullianum excipias, qui libro de velandis Virginibus, & altero de præscriptionibus, quædam attigit, illud in sua scripta inseruerit.

Nicænum in Concilio Nicæno, Osius Cordubensis jussu Patrum composuit. *Constantinopolitanum* a Constantinopolitano secundo Oecumenico Concilio introductum fuit; cujus Auctor S. Gregorius Nazianzenus creditur; ut Marcus Ephesinus in Concilio Florentino contendit. Nullum vero inter hæc Symbola aliud discrimen intercedit, nisi quod Nicæni Patres, exorta Arij hæresi, ampliori verborum contextu sensum Apostolicum explicuerint. Constantinopolitani vero Prælati ad Macedonii errores & retundendos,

& evitandos, ac declarandam penitus Orthodoxam fidem quædam addiderint.

Ex his Symbolis in Missæ Sacrificio, statim post Evangelium recitatur illud; quod Constantinopolitani Patres congefferunt. Ac licet quidam Scholastici Magistram sententiarum secuti Nicænum illud esse credant, id tamen non alia ratione sustineri potest, quam quod per hoc intelligatur, omne id, quod Constantinopolitanum addit, jam in Nicæno implicite contentum fuisse.

Quæri hic posset, cur potius Constantinopolitanum, quam anteriora Symbola, ab Ecclesia adoptatum fuerit? Valfridius quidem Strabo id ex eo factum arbitratur, quod Musica esset accommodatissimum; sed melius Card. Bona ideo Ecclesiam hoc maluisse ait; quod in eo Orthodoxi articuli disertius explicantur; & Hæreses usque ad ea tempora ortæ profligantur.

De tempore, quo Symbolum in Missæ recitari cœperit, nunc est inquirendum. In Ecclesia Romana non ante XI. sæculum contigisse; quidam perveraciter propugnant, Abbatis Bernonis autoritate freti; qui libro *de rebus ad Missam spectantibus* cap. 2. diserte testatur, Henricum Imperatorem id a Benedicto VIII. impetrasse. Verum Romæ Symbolum IX. etiam jam sæculo post Evangelium dictum fuisse, ostendit Mabillonius, & Le Brun. Optime vero omnium Martene, qui Bernonem ita explicat, ut videlicet ille de Symboli cantu tum primum introducto; non autem de ejusdem recitatione intelligi debeat, ut ex Leonis III. collatione sub Carolo M. habita præclare confirmat.

In Hispania VI. jam sæculo Symbolum in Missæ recitatum fuisse, ex Concilio Toletano III. an. 589. congregato colligitur. In Gallia autem, & in Germania IX. jam sæculo receptum viguisse, ex supra citata Leonis III. collatione elucet, & ex Valfridio Strabone eruitur.

In Oriente an. 510. hunc Ritus in Missam a Timotheo Episcopo Constantinopolitano investum fuisse, affirmat Theodorus Lector. Nicephorus vero Callixtus in Petro Cnapæo intruso Antiochenæ Ecclesiæ Episcopo anno 471. tribuit. Daretur nobis hoc in loco conjecturandi occasio, quod, cum Cnapæus non alium ob finem Symbolum erroribus Theopasichtarum a se deformatum, Missæ addiderit, quam ut plures secum in labyrinthum perditionis abriperet; constitutum mox fuerit aut a Timotheo, aut ab alio quopiam Orthodoxo Antistite, ut genuinum, & purum ab omni errore Symbolum

lum a Catholicis pariter Sacerdotibus in Missa recitaretur; sicque dolosus Hæretici conatus redderetur. Qui deinde mos perpetuatus ab Orientali ad Occidentalem Ecclesiam promanavit.

In Missa Mozarabica idem Symbolum a Sacerdote, & Univerſo Clero, & populo non post Evangelium, sed post Canonem canitur, & interim Sacerdos hostiam consecratam super Calicem tenet, quasi declaret, eadem fide, qua unitatem Dei, Trinitatem Personarum, & Incarnationem Verbi, realem etiam Corporis, & Sanguinis Christi in Euchariſtia præſentiam se credere; ut notant Mabillon. & Bellotte.

Rationem autem, cur in Missa quandoque recitetur Symbolum, quandoque intermittatur, docet S. Thomas 3. par. qu. qu. art. 4. videlicet populus *in eo ostendit, se per fidem Christi doctrinæ* (in Evangelio jam lecto contentæ) *assentiri*, additque, illud cantari in Festis; *de quibus fit aliqua mentio in Symbolo: sicut in Festis Christi, B. Virginis, Apostolorum, & aliis hujusmodi.*

Actiones, quas Sacerdos, dum Symbolum recitat, facere debet, ut Rubricis designantur. Sic ad ultima verba, *Et vitam venturi sæculi*, signum Crucis a fronte ad pedus producit, ut totius fidei professio sigillo Crucis quodammodo obſiguetur, uti scribit Gavantus. Rufinus vero testatur, olim signum illud fieri consueviſſe ad verba *carnis Resurrectionem*, idque, quia in Symbolo, de quo Rufinus, quodque in Romana recitabatur Ecclesia, nulla erant verba de vita æterna, sed solum fiebat per *carnis Resurrectionem*; quod tradit etiam S. Hieronymus. Hinc tamen nemo inferat, Symbolum Apostolicum vitæ æternæ articulum non complecti; hic quippe in Resurrectionis articulo continetur, ut idem Rufinus prosequitur, & D. Thomas demonstrat.

Inter alia Rubricæ præscribunt, ut Sacerdos ad ea verba: *Et incarnatus*, genuflectat, quod Radulpho non probari videtur. Sed Honorius hunc Ritum laudat, quo indicatur, quamvis Christo, qui pro nobis Homo factus est, crucique affixus, debeatur adoratio. Eundem a Romano Pontifice Ritum servari, scribit Petrus Amelius. Honorio suffragatur Bellotte. Qui ait ita fieri in representationem, & Venerationem illius eximie humilitatis, qua humiliavit, & eximavit seipsum Filium Dei, formam servi accipiens, & habitum inventus ut homo. Additi insuper Canonicos Laudanenses in choro Missæ præſentes, stantes permanere vultu ad Orientem converso, Sacerdotem vero super

Altaris gradus genua flectere, quasi populum ad idipsum, & ad Christum secum adorandum invitet.

EXERCITATIO XLIII.

De Offertorio. (ex t. 9. lib. 2. c. 6.)

Post hæc Sacerdos populum salutatur verbis *Domini vobiscum*, & adorandum excitat verbo *Oremus*, ac dicit *Offertorium*, quo nomine juxta Card. Bona ea omnia continentur, quæ a Sacerdote, & a Ministris fiunt ab iis verbis *Domini vobiscum* usque ad clausam secretæ Orationis, cum Sacerdos elata voce dicit *Per omnia sæcula &c.*

Offertorium nomen suum ab eo traxit, quod Fideles juxta veterem consuetudinem panem, & vinum, aliaque in Sacrificii, & Sacerdotum usum offerrent. Nihil usque ad sæculum IV. in hac oblatione recitabatur; sed in Ecclesia Carthaginensi a S. Augustini temporibus mos invaluit, ut interim versiculi ex psalmis canerentur. Incertum vero est, utrum S. Gregorius M. an S. Cælestinus, an potius S. Eutychianus Auctores fuerint canendi antiphonam, quæ *Offertorium* dicitur.

Missæ Defunctorum Offertorium habet in modum Responsorii compositum. In quo consideranda sunt verba: *Domine, libera animas omnium Fidelium Defunctorum de pœnis inferni, de profundo lacu, de ore leonnis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum.* Quibus verbis Ecclesia nequaquam orat pro iis, qui perpetuis inferorum pœnis addicti sunt; neque ignorat, numquam futurum, ut animæ Purgatorii ad Inferos deſciantur; sicut etiam non obſtat, quod 2. Machab. 12. legitur, fufas fuiffe preces pro iis Hebræis, qui in pralio interfecti, deprehensi sunt habere donaria Indolis oblata, quod ex Deuteron. 7. lethale peccatum erat. Divus enim Thomas observat, eos donaria illa non falsa Religione, sed Jure belli tamquam prædam a victis abstulisse; quod veniale solum avaritiæ peccatum dici potest, adeoque licuisse pro iis orare.

Quidam contendunt, eam Antiphonam legi consueviſſe, cum ægrotus animam jam jam emitteret, ac inde Ecclesiam in Missis, & funeribus mortuorum ea uti cepiſſe arbitrantur; retrahendo videlicet preces ad temporis punctum, quo animæ corpus reliquerunt, eo prorsus modo, quo, etsi jam a multis Sæculis Verbum Divinum carnem as-

sum;

sumpserit, in Adventu dicit *Rorate Cœli desuper*, & similia, retrahendo preces ad tempora Prophetarum, qui Incarnationem Christi expectabant.

Medina fidenter affirmat, non esse Orationes Ecclesiæ tam subtiliter examinandas, quarum quedam multa continent minus vera; tolerantur autem, quia Fidelium pietatem nutriunt. Sed hoc merite refellit Azorius; probans Ecclesiam in illo Offertorio pœnas intelligere Purgatorii, & hoc appellare Infernum, cum uterque pœnarum locus sit: sicque orare, ut liberentur *de profundo*, &c., hoc est de carcere illo, ubi expiantur: ac petere, *ne absorbeat eas Tartarus* &c. id est, ne diutius in illo carcere detineantur.

Petrus Præpositivus Theologus Parisiensis in sua Summa Theologica, quæ manuscripta in Bibliothecis latet, docuit, damnatorum animas suffragiis juvari, ut a pœna immunes sint usque ad universale Judicium; sed D. Thomas hanc sententiam ex Origenianis erroribus profectam omnino improbat. Vide Sermonem I. secundæ tricesimæ Benedicti XII. De eodem Offertorio plura differit Sarnelius, & quidam Theologus Ordinis servorum B. M. V. in Tract., quem an. 1570. Bononiæ edidit.

EXERCITATIO XXXIV.

De Oratione Suscipe, Sancte Pater, & aqua cum vino mixtione. (ex t. 9. l. 2. cap. 6.)

POST Antiphonam, quæ Offertorium nominatur, quinque ad secretam usque dicuntur Orationes; videlicet: *Suscipe, Sancte Pater: Offerimus tibi; In spiritu humilitatis; Veni sanctificator; & Suscipe, Sancta Trinitas.* Walfridi, Amalarii, Rupertii, & Innocentii III. non admodum vetustas esse deducit. Dicto itaque Offertorio, Sacerdos patenam capit cum Hostia, eamque sublatam tenens dicit *Suscipe* &c. orans Aeternum Patrem juxta præceptum Apostoli, ut Hostiam suscipiat pro suis peccatis, & pro omnibus Fidelibus vivis, & Defunctis, ut omnes salutem æternam consequantur. Hostiam, etsi nondum consecratam, vocat *immaculatam*: Quæ verba non ad panem referenda sunt, sed ad futurum Christi Corpus, quasi diceret: *Suscipe immaculatam Hostiam, in quam panis, hic est convertendus*; ut animadvertunt Card. Bona, & Pouget; postea cum patena Signum Crucis faciens, quod juxta Honorium, & Du-

rândum Christum supra Crucem extensum, sequæ Patri Divino pro nobis offerentem menti nostræ proponit, Hostiam deponit, & patenam sub Corporali aliquantum tectam ad dexteram collocat.

Convertit se mox Sacerdos ad cornu Epistolæ, & Calicem Purificatorio extergit, acceptaque ampulla vinum in illum ingerit. Tum Signum Crucis (nisi celebret pro Defunctis) super aquæ ampullam effigurat dicens Orationem *Deus qui humana* &c. & paullulum aquæ in Calicem infundit: & hoc quidem in Missa privata. At in Solemni Subdiaconus Calicem tergit, & Diaconus, ampulla ab ejus manu sumpta, vinum in illum infundit; tum Sudiaconus ampullam aquæ Sacerdoti ostendens dicit, *Benedicite* &c. ipse vero Signo Crucis versus eam facto dicit *Deus qui humana* &c. & Subdiaconus aquam in Calicem immittit. In Missa Romani Pontificis juxta ordinem Rom. 15. apud Mabillonium Sacrista Calicem cum ternis Hostiis parat, unam ad Sacrificium, reliquas ad summovendam veneni suspicionem.

Multa jam inuimus superiori libro, ubi Exerc. IX. De vino, & aquæ ad Sacrificium adhibendis, tractavimus. Nunc accuratius quæpiam perspicienda. Quod igitur ad vini, & aquæ commixtionem attinet, non solum e Patrum Scriptis, verum etiam e Conciliis Florentino, & Tridentino, haud inverisimiliter deducere liceat, eam in ipsa Sacra Cœna, & prima Eucharistiæ institutione fuisse usurpatam. Quare etiam veteres quidam Theologi hanc commixtionem præcepto Divino tribuerant. Nunc tamen communis sententia illam ex Ecclesiastico tantum præcepto repetit, ita tamen, ut hoc ex Christi exemplo derivetur. Etenim Judæis apud Buxtorfium permissum erat in Paschali Cœna vinum aqua diluere, & Gaufridus Monachus in Epistola ad Cardinalem Episcopum Albanensem contendit, in Judæa vinum, quod robustius esset, aqua dilutum bibi consuevisse. Hinc arbitrari possumus, Christum, ut temperantiæ, & sobrietatis exemplum ederet, aquam in vinum infudisse: quod etiam iis Evangelii verbis *Hic est Calix* significari videri. Calix enim apud Orientales, ait P. Lupus, significat *Vas, in quo solebat vinum ad potum misceri*. Cumque Armeni apud Georgium Casandrum *aquam vino non admiscerent*, Joannes XXII. apud Raynaudum monuit Archiepiscopum Armenorum, id Christi exemplo minime congruere: & Sancta Congregatio de Propaganda Fide, hanc ipsam rationem

inter alias attulit, cum Armenis, quibus cum agebatur de eorum cum S. Romana Ecclesia unione, non esset permittendum, ut vinum solum adhiberent.

Ipse Joachimus Hildebrandus hoc Christi exemplum admittit, & faretur in utraque Ecclesia, tum Occidentali, tum Orientali eam commixtionem semper fuisse usurpata; nec improbat, sed concludit apud suos sectarios esse sublatam. Quod qua ratione faciat, ille viderit.

Pater Lupus agens de Aquariorum Hæresi, qui apud S. Epiphanium *solum aquam*, & de Armenorum Hæresi, qui *solum vinum* in Missa adhibebant, videtur iis consentire, qui putant, nisi aqua cum vino misceatur, non confici Sacramentum; & errare eos, qui hanc mixtionem Ecclesiæ præceptum esse docent. Ast nos a D. Thomæ sententia minime recedimus, qui asserit, ea mixtione significari populum Christo adunatum, & aquam, quæ de ejus latere fluxit; hæc vero ad usum Fidelium, & ad effectum Sacramenti, non ad essentiam pertinere; de quibus vide collationem 3. Lucionensem.

Apud Græcos juxta S. Basilii, & Chrysostomi Liturgias, dum ea, quæ ad Missam opus sunt, seorsim in mensa parantur, Sacerdos Lanceola panem transigit dicens: *Unus militum Lancea latus ejus aperuit, statimque exiit sanguis, & aqua.* Et Diaconus aquam frigidam infundit in Calicem: post Consecrationem Sacerdos aquam calidam benedicit, & Diaconus in Calicem immittit. Quem Ritus Theologi quidam vel confictum, vel improbum existimarunt; sed Card. Bona illum & dari, & improbandum non esse ostendit. Et Vice-Comes ait, per hoc mystice significari Spiritum Sanctum, qui igni comparatur, in hominum corda, & mentem delabi. Carthusiani, Fratres Prædicatores, & Cistercienses juxta veterem consuetudinem vinum, & aquam ante Missam ad Altare infundunt; vel quod hoc tempus ad id putent accommodatius vel juxta Card. Capisuechium, & illorum sententiam, qui aquam ante consecrationem in vinum mutari arbitrantur, ut plus temporis a commixtione ad Consecrationem decurrat, quo aqua in vinum, & utrumque in sanguinem convertatur.

Olim Sacerdos aquam non benedicebat, sed in modum Crucis Calici infundebat, ut videre est in Ordine Rom. apud Hittorpium, & in alio apud Chiapponum. Nunc non vinum, quod Christum Benedictione non indigentem significat, sed aquam benedicit,

quæ populum representat, qui non ab omni peccato purus Benedictione opus habet. Hæc Benedictio in Missis Defunctorum omittitur, vel quod in his ne in fine quidem benedicatur, vel quod aqua animarum in purgatorio detentaram, qui Benedictione non egent, Typus exprimitur.

Notatu dignissima sunt verba nobis per hujus aquæ, *Gr. vini Mysterium &c.* quæ in Oratione Deus, qui humane substantiæ &c. continentur, & ex S. Cypriano explicari possunt, qui ait: quod, cum per vinum Christus, per aquam vero populus significetur; quando aqua vino misceatur, Christo Populus adunatur, & conjungitur, inseparabiliter quidem, dum in Fide permanferit, quemadmodum aqua vino mixta ab eo inseparabilis est.

Alii existimant, per illam commixtionem Incarnationis significari Mysterium; cum humana natura Divinæ hypostatice fuerit, ut innuunt subsequenter verba *ejus divinitatis esse consortes &c.* quæ ex 2. D. Petri Epistola deprompta sunt. Alii volunt intelligi, ut antea adnotavimus, aquam, & Sanguinem, quæ a latere Christi defluerant. Unde Ambrosiani in ea commixtione dicunt: *De latere Christi exiit Sanguis, & aqua.* Ubi tamen animadvertendum occurrit, in admixtione aquæ plus vini quam aquæ adhibendum, ut ait Honorius III. in decretali *Perniciosus*, & Concilium Florentinum. Ex Communiori Theologorum sententia, ut plurimum tertia aquæ pars adhiberi potest.

EXERCITATIO XXXV.

*De Orationibus Offerimus tibi, Domine &c.
In spiritu humilitatis &c. & veni Sanctificator. (ex tom. 9. l. 2. c. 6.)*

A Qua in Calicem indita, atque Oratione conveniente dicta, Sacerdos in medio Altaris Calicem sublatum tenens, elevatis in Cælum oculis, dicit Orationem *Offerimus &c.* qua absoluta, signum Crucis cum Calice facit, illumque deponit, ac palla tegit. Idcirco autem dicit *Offerimus* non *Offero*, quia olim juxta Ritus Romanum apud Card. Bonam, Orationem illam in Missa Solemni cum Diacono recitabat; qui Ritus in Missa privata retentus est. Sed difficultatem ingerunt verba *Calicem salutaris*, cum in Calice tunc nihil, nisi vinum contineatur; Sed advertit Card. Bellarminus, dici *Calicem salutaris*, idest Christi, qui illum instituit; ac potuisse etiam sine absurdo *Calicem salutarem* appellari, id videlicet re-

ferendo ad futuram Consecrationem, uti ad *Hosiã Inmaculatã* adnotavimus.

Quod Calix palla cooperiatur, omni caret Mysterio; ut post Micrologum observat Gavantus. Ex antiqua disciplina apud eundem Micrologum in Romana Ecclesia Hostia, & Calix ita locabantur, ut lineam rectam a latere ad latus efficerent, quemadmodum Græci etiam nunc faciunt; sed ab anno 1485. juxta Le Brun, Hostia inter Sacerdotem, & Calicem recta collocari consuevit.

Superest, ut aliquid de Orationibus in *spiritu humilitatis*, & *Veni Sanctificator* dicamus. Utraque vetustissima est: ac prima in Missali Mozarabico, & in omnibus aliis reperitur, & desumpta est ex Cantico triumphatorum, qui Babylone in ignem conjecti sunt. Altera dirigitur ad Spiritum S., ut ipsum Verbum *veni* declarat; nam quando Pater exoratur, non dicitur *veni*, sed *Mitte*: neque item potest intelligi de Filio, pro quo fit deprecatio, & sane in quibusdam Gallie Ecclesiis olim dicebatur Hymnus *Veni Creator Spiritus*, vel *Veni Sancte Spiritus*. Et in Missa Mozarabica *Veni Sancte Spiritus Sanctificator*, cui consonant veteres Liturgiæ Græcæ, & Latine. Dirigitur autem ad Spiritum Sanctum, ut declaretur, quemadmodum Christi Corpus Spiritus S. opera in virginali Beatæ Mariæ utero formatum fuit, ita quoque per eundem confici super Altare.

EXERCITATIO XXXVI.

De ablutione Manuum. (ex tom. 9. lib. 2. cap. 6.)

DICTO *Veni Sanctificator* Sacerdos ad cornu Epistolæ se confert, ac Ministro aquam fundente, extremitates pollicis, & indicis lavat dicens Psalmum *Lavabo &c.* cum Gloria Patri; sed ultimus hic versus, utpote lætitiæ indicium, omittitur in Missis Defunctorum, & a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum, in quibus lætæ, & mæstitia omnia squallent.

Ablutionis rationes geminæ sunt; quarum altera ab ipsa rei natura, altera a Symbolica significatione proficiscitur. Utrumque D. Thomas 3. p. qu. 63. art. 3. ad primum; his verbis explicat: *Prima quidem, quia aliqua pretiosa tractare non consuevimus nisi manibus ablutis, unde indecens videtur, quod ad tantum Sacramentum aliquis accedat manibus etiam corporalibus inquinatis. Secundo, ut Dionysius (juxta ac*

S. Cyrillus.) *dicit, extremitatum ablutio significat emundationem etiam a minimis peccatis secundum illud Joannis cap. 14. qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, & talis emundatio requiritur ab eo, qui accedit ad Sacramentum.*

Olim duplex manuum fuerat ablutio, altera ante Offertorium, altera post incensum. Quæ etiam nunc in Missis cantatis retinetur. Vide Vertum Tom. 4. 174.

Accommodatissimus est huic actioni Psalmus *Lavabo*, & Missali Romano integer exhibetur cohærenter ad Liturgias Ss. Chrysostomi, & Basilii quamvis in quibusdam Ecclesiis quidam dumtaxat ejus versiculi recitentur. Querit Le Brun, quomodo Sacerdos dicat *Ego autem in innocentia mea ingressus sum*, siquidem hoc a Christiana humilitate videtur alienum. Verum statim sibi ipsi respondens subjungit, Sacerdotem simul fateri, sibi opus esse Redemptoris manu, & misericordia *redime me, & miserere mei*, neque timore peccandi carere, nisi Dens præsto sit: *Ne perdas cum impiis &c.* quibus Christiana continetur humilitas.

EXERCITATIO XXXVII.

De Oratione *Suscipe Sancta Trinitas*, & *Orate Fratres*. (ex t. 9. l. 2. c. 7.)

LOTIS manibus, Sacerdos ad medium Altare manibus junctis redit, ubi paullum inclinatus dicit Orationem *Suscipe S. Trinitas*. Porro manus junctæ, & Corporis inclinationes Sacerdotis humilitatem juxta S. Thomam expriment, & Christi obedientiam nobis commemorant.

Quam vetus sit hæc Oratio, definire non possumus. Micrologus, qui XI. seculo vixerat, scribit, eam consuetudine introductam fuisse. Verum cum sensus, & medulla illius orationis jam in Græcis Liturgiis, & in Missalibus, ac Sacramentariis Micrologo antiquioribus reperitur, censendum est, eam XI. seculo fuisse vetustiorē. Apud Fratres Prædicatores contractior paullulum, & apud Carthusianos penitus extra usum est; quod ultimum indicat, eam sæculo XI. in Ecclesia Gratianopolitana, unde idem Ordo Missale accepit, needum fuisse adhibitam. Olim Gallicana Ecclesia non offerebat disjunctim panem, & vinum, sed utrumque simul ad Orationem *Suscipe Sancta Trinitas*, quod etiam nunc apud Carmelitas, & Fratres Prædicatores obtinet. Hodiernus tamen Ritus antiquissimus est, ut ex Liturgia Ambrosiana patet.

Qui-

Quidam denique existimant; hanc Orationem antiquitus a populo, cum panem consecrandum offerret, recitatam fuisse; & hoc more sublato, Sacerdotem eam nomine populi dicere. Vid. Puoget Inst. Cath. l. 2.

In eadem Oratione mentio fit de Passione, Resurrectione; & Ascensione Christi, ut totum ejus exprimat Sacrificium. Porro in Sacrificiis Judaicis victima eligebatur, offerebatur, sacrificabatur sanguine circum Altare sparsa, incendebatur, ut quidquid vitii ei inesset, absumeretur; ac demum Populus Victimae comedeat. Et in Lege nova in Incarnatione Victimae, idest humanae Christi natura, electa: in Nativitate oblata; in Cruce, effusa Sanguine sacrificata; in Resurrectione, omni corruptibilitate, sublata, consumpta; in Ascensione a Deo accepta; & in Pentecoste Populo communicata fuit, nam tunc Discipuli Christo fuere incorporati.

Quapropter Ecclesia Graeca in hac Oratione Incarnationem, Nativitatem, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, & Spiritus Sancti Adventum memorat; Romana vero Ecclesia solum Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem; quod in tribus hisce Mysteriis, tam immolatio, quam consumptio Victimae optime representetur.

Primis Ecclesiae saeculis cunctae Orationes ad Deum Patrem, nulla ad Trinitatem dirigebatur; praeterquam enim, quod probe noverant in Patre tam Filii, quam Spiritus Sancti Divinitatem adorari, gravi etiam ad id inducebantur causa; ne videlicet Ethnicis, quibus Trinitatis Mysterium ignotum latuerat, occasionem praerent in Christianos Deorum multitudinem retorquendi. Rebus vero Ecclesiae in tuto collocatis, metuque hoc sublato, verita non est Ecclesia Romana, & Graeca, Orationem hanc *Suscipe Sancta Trinitas* adisciscere; in qua Sacerdos Trinitatem precatur, ut oblationem hanc suscipiat in honorem B. M. Virginis, & aliorum Sanctorum, utpote qui omnem honorem, & gloriam a Sacro Redemptionis Mysterio, ac Divini Filii oblatione sunt consequuti.

Conversus dein Sacerdos populum eos verbis, *Orate Fratres*, preces secum fundere jubet: cui Minister oratione, quae est huic mandato conformis, respondet; Sacerdos vero per gyrum reversus id voce *Amen* confirmat. Eam Orationem Radulphus S. Leoni I. tribuit: quod si verborum formam spectemus, libenter concedimus; si vero substantiam rei, antiquiorem paullulum ex Liturgiis S. Marco, & S. Jacobo vulgo adscriptis reperimus.

Adnotandum hic est, Christianos olim se invicem Fratres appellasse, quod Ethnicis pariter more receptum fuerat, licet diversa sane ratione: utpote qui amica hac appellatione nefanda quaque libidinum, & obscenitatis crimina tegebant. Unde Caecilius apud Minutium Felicem in Christianos declamans, eos eorundem scelerum participes calumniabatur &c. qui Octavius solide hunc in modum respondit: sic nos, quod invidetis, Fratres vocamus, ut unius Dei Parenti homines; ut confortes fidei, & spei cohaeredes. De quo erudite tractantem lege Kortoldium in opere, de calumniis Paganorum in veteres Christianos.

EXERCITATIO XXXVIII.

De Secretis, & Orationibus quae submissa voce dicuntur. (ex t. 9. l. 2. c. 7. & c. 23.)

Sacerdos dicto *Amen* sine *Oremus* recitat Orationes *secretas*, quae ita appellantur, quia submissa voce dicenda sunt, ita tamen ut ipsemet Sacerdos se audiat, & a circumstantibus non audiatur; Verba sunt Rubricae Missalis.

In quibusdam Missalibus secreta dicuntur *Orationes super oblata*; & Bossuetus scripsit vocem *secretas* idem esse ac *Secretio*. Verum id suspicando magis, quam asserendo, attulit. Unde perperam Novatores adversus Concilium Tridentinum Decretum statuerunt: *Secretas, & Canonem elata voce esse recitanda*.

Quae sit Ecclesiae mens in his Orationibus, declaratur in Secreta Missae Dominicae quintae post Pentecostem hisce verbis: *Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, & has oblationes famulorum tuorum benignus assume; ut quod singuli obtulerunt, ad honorem nominis tui cunctis proficiat ad salutem*. Sacerdos vero, ubi ad postremae secreta finem pervenit, dicit *Per omnia saecula saeculorum*; quae clausula ad Orationes recitatas pertinet, & elata voce dicitur, ut populus respondens *Amen*, eas confirmet, bene id post Micrologum observante Card. Bellamino.

Orationum in Missa quaedam elata voce, quaedam submissa recitari accuratissime docet Rubrica Missalis. Et quanquam ex Scriptura hujusmodi disciplina non constet, Ecclesia tamen iustis, gravibusque de causis id praecipit, ut bene advertit Suarez. Hunc ritum aliqui etiam e Catholicis oppugnant. Sed ut sanam in hac re doctrinam indicemus

mus, operæ pretium erit controversiæ præcipua capita pertractare.

Quæritur igitur 1. Etymologia vocis *Secræta*. Bossuetus ut supra diximus, putavit originem ducere a *Secerno*; priusquam enim recitarentur Orationes secræta, Pœnitentes, ac Catechumeni Ecclesia pellebantur, & oblationes solebant separari. Vertus autem præcipiti, quo est iudicio indubitanter affirmavit, quod Bossuetus hæsitanter proposuerat. At Martene a Mabillonio monitus adversus Vertum veram arripuit sententiam, & secrætas ideo appellari, quod secreto recitentur, validis probat rationibus, & antiquis documentis lib. v. de antiquis Eccles. rit. c. 4. art. 1. n. 5. consonant Amalarius, qui IX. sæculo, Remigius, qui X. & Ildebertus qui sæculo XII. scripsere.

Et quoniam juxta veterum monumenta Tridentina synodus damnat eos qui improbare audeant Ecclesiæ Romanæ ritum, quo pars Canonis, & consecrationis verba submissa voce recitari jubentur, Vertus ut ex hac se evolvat difficultate, verba *Submissa voce* explicat *Sine cantu*. Idem ante illum opinati sunt Georgius Cassander, & Matthæus Gallenus Vestrapellius. Sed perperam, cum Vetusissimus Ordo Romanus ante mille annos scriptus pro Monasteriis S. Benedicti hæc habet: *Dicat Orationem, & Secræta, nullo alio audiente nisi tantum ut venerit ad hoc verbum Per omnia sæcula sæculorum*. Ex quo quivis facile intelliget *Submissa voce* non significare *Sine Cantu*, sed *Secreto*, ut bene notat idem Martene loco cit. pag. 101. & 102. Sane tempore Tridentini nullus contendit canonem, & secrætas debere dici cum cantu. Tota controversia inter Catholicos, & Hæreticos ea erat, quod Hæretici non decere clamabant populum secretarum verba non audire, eumque ritum irridebant, quasi similem illi, quem Magi in suis incantationibus usurpant. Accedit quod Concilia Provincialia, præcipue Mediolanensia sub S. Carolo Borromæo eas preces submissa voce recitari jubent, & S. Pius V. in Rubrica Missalis de iis, quæ submissa voce recitanda sunt, ait: *Quæ vero secreta dicenda sunt, ita pronunciet, ut ipsemet se audiat, & a circumstantibus non audiatur*.

Quæritur 2. an hujusmodi disciplina recitandi scilicet submissa voce Canonem & Consecrationis verba, incepit sæculo VIII. an. X. ita ut antea omnia recitarentur clara voce, & quæ ab omnibus intelligerentur? Qui autem antea sæculo VIII. incepisse, fundan-

Tom. III.

tur præcipue in mirabili quodam evento, quem narrat Joannes Moschus, Prati Spiritualis auctor, nempe puerulos quosdam pastorum filios Ecclesiæ cæremonias in agro imitari, & Missam celebrare voluisse. Unus ex illis Sacerdotem simulabat, reliqui ministrorum partes agebant; pueri siquidem, qui Missæ aderant, juxta consuetudinem prope altare aditare solebant, & in quibusdam locis Presbyteri alta voce sacrificii verba proferebant, unde contigit, ut puer, qui Sacerdotis munus imitabatur, optime memoria retineret sanctæ oblationis verba. Cum igitur & ventum esset, ut puer ille panem frangeret, seque communicaret, ignis e celo delapsus petram, quæ velut in altare erecta erat, omniaque super eam posita absumpsit, pueri exanimati conciderant; sed cum postea ad se redissent, rem omnem narraunt, de qua Episcopus certior factus in eodem loco templum extruxit, pueris in monasterium collocatis. Cum autem Moschus scripserit anno 1020. aut 1030. & dicat se rem accepisse a sene quodam jam tunc non superstite, qui ex pueris unum de facie novisse testabatur: videtur contigisse miraculum circa VI. sæculum sub Imperatore Justiniano.

Hujusce eventus, quamvis confuse, & cum aliqua varietate meminerunt etiam Scriptores sæculi XII. Honorius in Gemma Animæ, Belleus, & Innocentius III. Nobis non venit in mentem dubitare de veritate Miraculi, sed intelligere non possumus, qua ratione disciplina recitandi submissa voce Canonem, & Consecrationis verba invaluerit sæculo VIII. ob miraculum, quod VI. sæculo contigit, præsertim cum nec Honorius nec Belleus, nec Innocentius diserte dicant, ubi & quando id statutum fuerit ab Ecclesia.

Cardinalis Bona rer. liturg. lib. 2. cap. 13. n. 1. aliis permotus rationibus opinatur hujusmodi ritum ineunte sæculo X. invaluisse, cum antea Sacerdos omnia diceret alta voce. Illum sequuntur Vertus, & Torneux, sed adversatur Le Brun. Ait Bona certissimum esse populum consuevisse post Consecrationem respondere *Amen*. Florus autem, qui vixit sub finem IX. sæculi, ultimus est, qui de hoc *Amen* mentionem faciat, unde conjicit paulo post illius ætatem morem hunc exolevisse, introductamque disciplinam recitandi submissa voce consecrationis verba.

Sane responderi a populo illud *Amen* habetur ex D. Justino, Tertulliano, D. Ambrosio, D. Leone, & aliis; verum

E

ex

ex Patrum testimonio non probatur illud *Amen* dici consuevisse immediate post verba consecrationis, quod unum probaret ea verba non submissa, sed alta voce recitari consuevisse. Etiam nunc post consecrationem non immediate, sed ante orationem Dominicam a Sacerdote clara voce dicitur *Per omnia secula seculorum* & a populo respondetur *Amen*. In veteri Sacramentario Missalis Gallicani, quod edidit Cardinalis Thomasius, non habetur *Amen* post verba consecrationis. In primo Ordine Romano, qui vetustior existimatur Gregorio Magno, invenitur *Amen* in fine Canonis. Testatur Le Brun se contulisse vetusta Missalia usque ad XII. seculum, & nullibi invenisse *Amen* nisi post illa verba *Per omnia secula seculorum*. Quod si in recentioribus, & manuscriptis Missalibus invenitur *Amen* immediate post verba consecrationis, præterquam quod dici possit illud additum esse privata auctoritate & contra disciplinam Ecclesie Romanæ, illud *Amen* populus non dicebat, sed Sacerdos. In Ecclesia quidem Græca alta voce pronuntiantur Verba consecrationis, & populus respondet *Amen*; verum id introductum fuit a Justiniano Imperatore, ut mox dicemus: Nec tamen ea consuetudo ad occidentem permeavit.

Quæritur igitur 3. quoniam tempore ritus invaluerit recitandi submissa voce preces, de quibus agimus. Et præmittendum est, non nisi IV. seculo sacras liturgias literis mandatas esse. Antea siquidem secretissima ea omnia tenebantur ab Episcopis, ab illisque edocebantur initiati Sacerdotes, ut colligitur ex Authore Ecclesiasticæ Hierarchie, quæ vulgo tribuitur Dionysio Areopagita, ex Innocentio I. & ex D. Ambrosio. In Constitutionibus Apostolicis quæ collectæ existimantur seculo IV. proxime post Præfationem adnotatur Pontificem secreto orare. Sacramentarium S. Gelassii, qui creatus fuit Pontifex anno 492. orationi super oblata titulum præfigit *Secreta*. In vetustissimis Missæ formis, quæ in Gallia usurpabantur ante Carolum Magnum, præscribitur ut canon, aliæque orationes secreto pronuntientur. Antiquus Ordo Romanus, quem Mabillonius putat esse VI. seculi post cantatum a choro *Sanctus Sanctus* &c. ita habet: *Surgit Pontifex, & tacite intrat in Canonem*. In ritu Mozarabo inter Orationes, quæ sub silentio recitari jubentur, illa est, quæ incipit *Adesto*, & in se continet consecrationis Verba. Id etiam colligitur ex omnibus Liturgiis Orientalibus Basilii, Chrysothomi, Cophtorum, Æthiopum,

Syrorum, Armenorum, Nestorianorum, & & Malabarorum, in quibus omnibus distincte præscribitur, quæ clara voce, quæ submissa dici debeant. Unde eruitur hujusmodi ritum antiquissimum esse, & in Ecclesia Romana a primis temporibus Apostolica traditione acceptum, cum Innocentius I. testetur liturgiam, qua tum temporis utebatur Romana Ecclesia, a B. Petro Apostolo esse traditam. Videatur Le Brun tom. 4.

Quæritur 4. an illa disciplina recitandæ submissa voce quasdam Missæ preces mutationem aliquam passa sit? In Orientali Ecclesia mutavit VI. seculo ob novellam CXXXII. Justiniani jubentis, ut Presbyteri, & Episcopi clara voce pronuntiant sanctam Oblationem, & Precationem. Hanc vero novellam suam aliquibus in locis obtinuisse effectum satis ostendit eventus de pueris Missam celebrantibus a nobis supra relatus; atque illud fatetur Le Brun, qui tamen probat aliquot Ecclesias arcanum, & silentium retinuisse etiam post Justiniani Constitutionem; idque colligitur ex moderno Græcorum ritu, qui voce alta consecrationis verba, at reliquas Canonis preces demissa voce recitant: Quamvis autem Justinianus temerarie de sacris ritibus jubere præsumperit, illud tamen maxime adnotandum, nullam veterem consuetudinem in sua novella allegasse. Neque dixisse quandam Missæ partem tono recitari solitam cantui opposito, sed secreto & quo a nemine exaudiretur; unde jubet, ut deinceps pronuntietur *ea voce quæ exaudiat*. Ex quo eruitur, quod antiquus Ecclesie orientalis mos erat hujusmodi preces submissa voce recitare; insuper eruitur contra novatores *submissa voce* non significare *sine Cantu* sed *Secreto*, id est, ut a nemine circumstantium exaudiat.

Quæritur 5. an Constitutio Justiniani ullam in occidentalem Ecclesiam variationem invexerit? Et indubitanter nullam omnino invexisse diximus. Abunde id probat Le Brun ex Sacramentariis, Missalibus, & Ordinibus Romanis, in quibus ostenditur servatum constantissime usum Secretarum precum, etiam temporibus, quæ decurrerunt post Justiniani constitutionem. Quod si adire libeat graves Authores, qui post X. seculum de Missæ sacrificio scripserunt, non deerunt argumenta, quibus probetur hujusmodi ritum nunquam in Occidentali Ecclesia esse intermissam. Ita testantur Innocentius III. Belletus, Hugo de S. Victore, Albertus Magnus, D. Thomas 3. part. quest. 83. art. 4. & D. Bonaventura in Expositione

ne Missæ, ubi ait: *Canon discrete, & sub silentio legendum est; & paulo post: Ecclesia statuit, ut Canon devote, & sub silentio legatur.*

Quæritur 6. sit ne aliqua ratio, & positiva lex, qua Canonem, aliasque preces submissa voce recitare jubeamur, & an aliquando tota dicatur Missa alta voce, quæ ab omnibus audiatur? Quoad primum, lex extat positiva de ea re in Concilio Tridentino, quod ejusdem legis rationem profert sess. 22. cap. 5. illis verbis: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine admniculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem suscollere; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quadam submissa voce, alia vero altiore in Missa pronuntientur, instituit.* Et can. 9. ejusd. sess. anathema dicit damnantibus Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & Consecrationis verba profertur, S. Synodus respicit ad tanti Mysterii sublimitatem, quæ postulat, ut Sacerdos quidem sciat omnia, quædam vero populo sint arcana, maxime vero Consecrationis Verba, cum operatio Spiritus S. convertens panem, & vinum in Corpus, & Sanguinem Christi non cadat sub sensibus. Innocentius III. lib. 2. Myster. Missæ cap. 54. hoc silentio dicit mystice representari latibulum Christi, cum scilicet Jesus, ut tradit Joannes cap. 2. abiit, & abscondit se, id est, Judæis non se præbuit videndum, cum agerent animo eum interficere.

Quo ad 2. quæstionis partem, in sola ordinatione Sacerdotum Missa dicitur alta voce ab Episcopo, quasi novos Sacerdotes doceat Missam celebrare; alta, inquam, voce, quantum sufficiat, ut ipsi novissime initiati cum eo possint recitare, & verba Consecrationis uno, eodemque tempore pronuntiare, ad exemplar Christi, qui in ultima Cœna panem, & vinum consecravit ea voce, quæ ab Apostolis, quos tunc Sacerdotio initiabat, audiri, percipique potuisset.

Ultimo quæritur: fueritne aliquis, qui introducere intenderit morem recitandi alta voce Secretas, Canonem, & Consecrationis verba; & quis ausu tam temerario resistere? Primus Petrus Suaris Protestantium nomine de hac re Catholicam Ecclesiam carpere ausus est. Secum ipsa ait pugnare S. Synodum, quæ jubet, ut Parochus populum instruat de aliquibus Missæ Mysteriis, de quibus erudiri debet; hoc autem cum eo non consentire, quod Missa latina lingua, quam populus ignorat, celebretur, & secreta pronuntientur ea voce, quæ a nemine

exaudiatur. Hanc iidem censuram rursus inculcat Courayer t. 2. Hist. concil. Trid. p. 328. utrumque egregie confutarunt Cardinalis Pallavicinus, & Natalis Alexander differtat. 12. Hist. Ecclesiast. sæculi XV. & XVI. art. 2. Savary Episcopus Sefuriorum, quosdam Presbyteros, qui alta voce canonem recitare præsumpserant, increpuit, & pœna suspensionis ipso facto incurrenda punivit. Card. de Bisy anno 1710. Missale edidit pro Ecclesia Meldensi. Qui vere eam editionem curavit, illa rubricæ verba *submissa voce* fraudolenter explicavit *sine cantu*, atque ut insinuaret canonem elata voce dici debere, singulis quibusque orationibus apposuit *Amen*. Cardinalis re comperta, se esse deceptum confessus est, & Missale se incio corruptum censura ipse notavit. Celebre est novissimum Missale Trecentæ, in quo inter cæteras novitates hæc etiam invenitur, secretas ea voce, quæ a populo audiatur, esse recitandas. Adversus illud Missale egregie scripsit Langletus Archiepiscopus Senonensis, veterem disciplinam strenue propugnans in Instruct. Pastoralis Parisiis edita anno 1737. & in libello: *De vera mente Ecclesiæ in sacris caeremoniis.*

Alios quoque Theologos Gallos adversus hanc novam disciplinam, quæ Novatorum opera sensim irrepserat, egregie scripsisse nemo est, qui nesciat. Probant illi veterem Ecclesiæ disciplinam ex Liturgiis Græcis, & Latinis, optimisque rationibus, ut videre est in Juvenino Tract. de Sacramentis, Renaudotio in dissertatione prævia ad Liturgias omnes Orientales, quas edidit, Mabillonio, Martene, & Le Brun, quorum supra sententias attulimus, Bellote in observat. ad ritus Ecclesiæ Laudonensis p. 529. & uberima eruditione idem confirmat Alaspinaus Aurelianensis Episcopus tract. de veteri Ecclesiæ politia in administr. Sacrament cap. 1. & 2.

Quamvis tamen in Gallia etiam nunc temporis plurimi sint, qui rubricæ de secretis observantiam tueantur, nobis tamen non placet opinio aliquorum circa originem hujus disciplinæ, ut Authoris tractatus de Missa, & divino Officio iterum Parisiis editi an. 1714., & Authoris tract. de optimo Missam audiendi modo secund. edit. Parisiensi an. 1681. cap. 6. pag. 257. Uterque hic Auctor opinatur morem recitandi canonem submissa voce ex eo profectum, quod cum chorus in solempni Missa caneret *Sanctus*, & cantus longè protraheretur, celebrans capit canonem interim dicere submissa voce; qui mos postea a solempni in pri-

vatum Missam defluxit. Displicet etiam Vallemontius, qui ait octavo sæculo, cum jam non demitterentur Energumeni, Cathemeni, Infideles, & publici pœnitentes, canonem cepisse submissa voce recitari, qui antea illis expulsis, ut mos erat, alta voce adstantibus solis Fidelibus dicebatur. Opiniones hujusmodi comentitias esse ex supra-dictis constat.

EXERCITATIO XXXIX.

De Præfatione. (ex t. 9. l. 2. c. 7.)

Præfatio apud Durandam, & Menardum ita dicitur, quod sacro præat Canon, ac preparatio quadam sit ad Sacrificium. *Illatio* a Mozarabibus, & *confessio* in Sacramentario Gallicano apud Mabillonium appellatur; nam Sacerdos ex Fidelium verbis infert, ac contestatur, dignum, & justum esse, Deo gratias agere, eumque collaudare; ut advertit Card. Bona.

Walfridus Strabo fatetur, ignotum sibi esse Præfationis Auctorem; in libro vero Pontificali hæc Oratio S. Gelasio I. tribuitur: Sed cum in Liturgia S. Jacobi, & in aliis monumentis S. Gelasio antiquioribus reperitur, Gavantus, Meratus, Bona, & alii putaverunt, eam vel Apostolis, vel Apostolicorum temporum viris esse adjudicandam, Gelasiumque quasdam solum voces adjecisse.

Incipit Præfatio ex salutatione *Dominus vobiscum*; neque tamen Sacerdos se ad Populum convertit, vel quia eum quodammodo dimiserit, cum dixit *Orate Fratres*, vel quia juxta Liturgias Ss. Jacobi, Basilii, & Chrystostomi Sanctuarium ante Præfationem clauderetur, ac circum Altare velum duce-retur, adeoque Sacerdos Populum videre non potuerit, ut observat Le Brun.

Novem numerantur Præfationes juxta ea, quæ Pelagius II. P. M. scripsit ad Episcopos Germaniæ, & Galliæ. Prima de Nativitate Domini; secunda de Epiphania; tertia de Quadragesima; quarta de Cruce; quinta de Paschate, sexta de Ascensione; septima de Pentecoste; octava de Ss. Trinitate; nona de Apostolis. Quibus Urbanus II. aliam addidit in Concilio Placentino, quæ est de B. Virgine. Et licet de præfate Pelagii II. Epistolæ sinceritate complures eruditissimi viri vehementer dubitent, illud tamen certissimum est, in Missalibus post annum 1200. editis novem illas duntaxat in Decreto Pelagii II. recensitas Præfationes reperiri; quibus dein addita est Præfatio

communis, quæ vel a Gelasio, vel a Gregorio M. originem suam trahit.

Undecim itaque Præfationibus Ecclesiæ Rom. Utitur: Græci una tantum. Mozarabes, & Ambrosiani plurimas Festivitatibus Ecclesiæ suæ adaptatas habent; quarum ultimas emendari jusserunt S. Carolus, & Fridericus Cardinales Borromæi.

Eæ omnes incipiunt his verbis, *Sursum Corda*; quibus respondet Minister *Habemus ad Dominum*. Et hoc quidem antiquissima consuetudine; ut ex Liturgiis Ss. Jacobi, Basilii, & Chrystostomi, atque ex Ss. Augustino, Cyrano, & Cyrillo colligitur. Calumniantur quidam Hæretici, mentis elevationem, quæ per hanc Orationem declaratur, in Ecclesiæ Romana, mutatam esse in Hostiæ, & Calicis elevationem; sed quam injuriose, perperamque id nobis oggerant, facile patet. Nam etiam nunc per formulam *Sursum Corda*, Fidelibus, ut antea, inculcatur, ut suam ad Deum mentem elevent; cujus vadimonium præstant omnes Auctores Catholici, qui de Missa scripserunt.

Cunctæ prorsus Præfationes in Hymnum desinunt *Sanctus &c.* quem Græci triumphalem; non ex Isaia VI. Angelicum appellamus. Et ex Matth. XXI. adduntur verba *Benedictus, qui venit &c.* Hymnus hic a Trifragio *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis* differt: Primus enim in omnibus habetur Liturgiis Græcis, & Latinis: Trifragium vero a Græcis quidem quotidie, sed in principio Liturgiæ canitur; a Latinis vero solum Feria 6. in Parasceve.

Sacerdos ea verba *Sanctus &c.* junctis manibus profert; ad illa vero *Benedictus qui venit &c.* se a fronte ad pectus Crucis signat. Dum autem *Sanctus &c.* dicitur, Minister Campanulam pulsat, idque Macrus ait fieri per abusum; immerito tamen, adhibetur enim ad excitandos adstantium animos ad devotionem; ac licet ejus origo incomperta sit, retinendus tamen est, ubi viget.

EXERCITATIO LX.

De Canone Missæ. (ex t. 9. l. 2. c. 7.)

Canon idem prorsus exprimit quod *Regula*, eaque voce Ecclesiæ utitur, ut significet Canonem esse Regulam, juxta quam novi Testamenti Sacrificium sit celebrandum. Hunc S. Gregorius *Preceam* appellat, Vigilius *Textum Canonice Preceis*, S.

Cyprianus *Orationem*, Walfridus, & alii *Actionem*; quod in eo Sacramenta Domini conficiantur: quamobrem *Orationi Communnicantes* titulus inscribitur: *infra Actionem*, seu *intra Actionem*. *Infra* enim, & *intra* apud Scriptores ejus ævi, idiotismo quodam Barbaro, sæpe confunduntur, & ad eandem rem declarandam adsumuntur.

Canonis initium ab *Oratione Te igitur &c.* sumitur, & usque ad *Orationem* Dominicalem submissa voce recitatur. Magna vero inter Doctores disceptatione quæritur, quo ejus origo referri debeat? nonnulli Gelasium l. alii Musæum Massiliensem Presbyterum, alii Voconium Episcopum Castellensem in Mauritania, alii S. Clementem Alexandrinum ejus Auctorem existimant. S. Gregorius autem illum a Scholastico quodam fuisse compositum asserit.

Ad quam dubitationem dilucidandam, novam, duplicemque aliam eruditi movere disputationem. Utrum videlicet S. Gregorius per *Scholasticum* proprium alicujus viri nomen, an vero hominem ingenii vi, doctrina, & eruditione clarum, ut passim a Sanctis Scripioribus epithetum *Scholastici* adhibetur, intellexerit? Dein utrum S. Gregorius Scholastico huic totum Canonem, an aliquam solum ejus partem adstruxerit? De quibus controversiis quidquid sit, nos iis non ulterius inhæredibus; verum litem ex Sacra Tridentina Synodo dirimemus, quæ sess. 22. cap. 4. de Sacrificio Missæ ita loquitur: *Ecclesia Catholica, Sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore puram, ut nihil in eo contineatur, quod non maxime Sanctitatem, & pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.* Quibus Concilii verbis innixi hæc duo affirmamus: Canonem hunc, & esse vetustissimum, & complures habere Auctores. Primum ex Vigilli Papæ, qui S. Gregorio antiquior est, Epistola ad Eucherium, seu Profatarum, comprobatur; confirmatur deinde ex S. Ambrosio l. 4. de Sac. c. 5. ubi pars illa Canonis: *Quam oblationem in Deus &c.* & illa, *qui pridie &c.* & illa, *supra quæ propitio diserte occurrit.* Quibus adde eruditissimam adnotationem Sanctissimi Domini Nostri Benedicti XIV. l. 1. de Canoniz. c. 5. ubi observat: in nostro Canone commemorationem fieri duntaxat Apostolorum, & Martyrum, non vero Confessorum, unde argute infert, Canonem esse sæculo IV.

priorem, cum cultus Martyribus tantum, nondum vero Confessoribus tribuebatur.

Quod autem ad complurium in eo conficiendo operam spectat, differemus inferius. Pauca nunc de S. Gregorii auctoritate dicenda sunt, quæ nostræ Sententiæ sane non officit: is enim *Scholasticus* nomen, vel juxta receptum apud Sacros Scriptores dicendi modum pro viro docto, & erudito usurpat; vel pro proprio alicujus hominis nomine: Si primum; nihil obest, quin dicamus Canonem ab Apostolis, eorumque proximis successoribus fuisse compositum; cum & isti hoc nomine insigniri mereantur. Si secundum; tunc S. Pontifex ita est explicandus, ut Scholastico suo *Orationem* duntaxat aliquam, non integrum Canonem tribuere contendat, veluti integra facti series insinuat: scribit enim S. Gregorius, se jussisse, *Pater noster*, post Canonem recitari, quum indignum sibi visum fuerit, *Orationem* a Scholastico compositam ante communionem recitari, *Orationem* vero Dominicalem non dici supra Corpus Christi.

Accedimus modo ad illas disquisitiones, quæ circa Canonis verba, & circa ea, quæ SS. Pontifices instituerunt, versantur. Multa Concilium Tridentinum, tamquam a Domino prolata, innuit, quæ tamen in Evangeliiis nequaquam inveniuntur. Sic in Consecratione Calicis inter verba Christi irrepperunt verba, *Mysterium Fidei*; item, *novi Testamenti, & eterni*, ac in Consecratione Panis dicitur, Christum oculos ad Cælum sustulisse, quæ cuncta in Evangelio non leguntur. Movenet hæc aliquam difficultatem; At respondet Innocentius III. complura Jesu Christi verba, factaque ab Evangelistis fuisse omissa, quæ ab Apostolis, vel verbo suppleta, vel facto expressa fuerunt, ac dein observat vocem *eterni* cum Evangelio probe congruere, cum in Evangelio legatur: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam eternam.* Recte quoque dici, *Mysterium Fidei*; cum aliud ibidem credatur, quam cernatur, & aliud cernatur, quam credatur. De elatione oculorum D. Thomas 3. p. q. 83. art. 4. ait, eam ab Apostolica traditione acceptam: *Rationabile enim videtur, ut qui in Suscitatione Lazari, ut habetur Joannis 2. & in Oratione, quam pro Discipulis fecit, Joannis 17. & cum duos panes, & quinque pisces multiplicavit: Lucæ 9. & Marci 6. Oculos levavit ad Patrem, in hujus Sacramenti institutione tanto magis hoc fecerit, tamquam*

quam in re potiori. Enodat postea binas alias difficultates inquires: quod ante dicatur *manducate*, & non, *comedite*; non differt quantum ad sensum &c. quod autem additur, *omnes*, intelligitur in verbis Evangelii, licet non exprimatur; quia ipse dixerat Joannis 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.*

Ad Sancterum Pontificum institutiones quod attinet, S. Leo in Canone addidit verba, *Sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam*, non vero Orationem, in qua ea reperiuntur. Nam Ss. Augustinus, & Ambrosius, Leone utique antiquiores, Orationis, *supra quae propitio*, meminerunt, ut advertit Pagius, S. Gregorius, teste Joanne Diacono, adiecit, *dieique nostros*, usque ad, *grege numerari*, & innuente Adalberto Episcopo, nomina Ss. Agathæ, Luciae, Agnetis, Cecilie, & Anastasie secundæ Canonis parti inseruit, cum animadvertisset, nullius S. Virginis ibi mentionem fieri.

Post S. Gregorium nullus Pontifex quidquam Canoni inseruit, aut in eo immutavit, ut observant Card. Bona & Thiers. Gregorius III. quidem jussit, in Missis, quæ in Oratorio omnium Sanctorum a se extruendo celebrarentur, nonnulla in Canone addi; sed advertit Walfridus, id fuisse particulare, & ad hoc facellam restrictum privilegium, non legem generalem. Ex hoc vero, quod in lib. Pontificali de Alexandro V. dicatur. *Hic Passionem Domini misuit in precatione Sacerdotum, quando Missa celebrantur*, inserunt nonnulli, eum Orationem, unde, & *memores &c.* introduxisse; de cujus Orationis formula quidquid sit, id tamen certum est, commemorationem passionis Domini ei nequam tribuendam; cum ea esse institutionis Divinæ, ipse Apostolus declaret I. ad Corinth. c. II. scribens: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & Calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

EXERCITATIO XLI.

De prima Canonis Oratione (ex t. 9.
l. 2. c. 13.)

Diximus, Canonem primum incipere, a te igitur Clementissime Pater, adjungimus nunc eam usque ad, *hanc igitur oblationem*, produci; adeoque ejus partes esse *memento*, & *communicantes*, ut ex clausula *Per eundem &c.* colligitur, quæ omnes Orationes absolvuntur: quia etiam

verba, *Communicantes*, omni sensu careant, nisi cum præcedentibus conjungerentur, de quo vide Bellarminum.

Ast cum multa in hac Oratione occurrant, quæ accuratorem explicationem merentur, non abs re erit, paulisper subsistere, & hic singularia quædam Canonis verba pertractare, sequenti vero capite de vivorum commemoratione quædam adferre. Dirigitur itaque Oratio principaliter ad Deum Patrem, non vero ad Ss. Trinitatem, cujus supra rationem reddimus. Dicuntur verba *Sancta Sacrificia, illibata*, quæ Innocentius III. explicat: *immaculata, quæ sine macula Cordis, & Corporis oportet offerri.*

Majorem difficultatem facessunt in *Memento &c.* verba illa *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, in quibus duo nobis perpendenda occurrunt: quo videlicet sensu adstantes Sacrificium offerre dicantur? & quam vim particula, *vel*, obtineat?

Quoad primum, crediderunt aliqui, Laicos, etiam absente Sacerdote, consecrare posse, his Tertulliani de exhortatione castit. c. 7. innixi verbis: *Nonne & Laici, Sacerdotes sumus . . . Ubi Ecclesiastici Ordinis non est confessus, & offers, & tingis:* cui addunt ex Theodoro: Frumentium quemdam Laicum Alexandria ad Indos profectum, nonnullos ad Fidem convertisse; deficientibus vero Episcopis, & Presbyteris, jussisse eos in unum convenire, resque sacras more in Romano Imperio recepto celebrare. Responderunt ad hæc egregie Petavius, & Alaspinaus, qui Inculenter demonstrarunt, vocem *offerre*, non semper significare, *Consecrare*; nec verosimile esse, Tertullianum ignorasse suæ ætatis disciplinam mittendi Sacerdotes ad Christianos in Carcere detentos, ut his Eucharistiam ministrarent; quod certè supervacaneum fuisset, si Laicis aliquando Missam celebrare licuisset. Conjicere itaque non immerito possumus, Tertullianum per ea verba declarare voluisse antiquum illum usum, quo Christianis licitum fuit, Sacram Eucharistiam domi etiam quandoque habere, eamque *offerre*, id est sumere. Quod vero ad Frumentium pertinet, adnotant: aut inter Romanos Mercatores, quos secum socios habuerat, quosdam fuisse Sacerdotes, aut a Frumentio eos convocatos fuisse, non ad Eucharistiam conficiendam, sed ad preces, more christianorum, Deo exhibendas; ut ex Rufino colligitur. De his præter supra laudatos, legi potest novissimus Scriptor Herminier.

Sed quod ad canonis Orationem pertinet, ideo ergo (ut cum Innocentio III. loquamur :) dicitur *Offerimus*, quia non solum offerunt Sacerdotes, sed etiam universi Fideles. Quamquam enim solius Sacerdotis sit celebrare, id tamen aliquo sensu ad Laicum etiam qui dona ad Altaris sustentationem offert, pertinet; Sacerdos quippe, juxta S. Hilarium, actione sua, Offerens autem per ejus actionem, cui elemosynam contulit, ad Sacrificium concurret. Quo sensu in Oratione; *Orate Fratres*, Sacerdos dicit; *ut mecum, ac vestrum Sacrificium &c.* Imò ipsa verba: *Missam celebrare*, sæpius apud medii ævi Scriptores nihil aliud expriment, quam per Sacerdotem Missam offerri curare: Sic Missas celebrasse dicuntur Adula, nobilis Matrona in vita S. Geltrudis Nivelensis apud Bollandistas; alia mulier apud S. Gregorium Turonensem, & Sigebaldus Angliæ rex apud Mabillonium. Ita, ut Theologi doceant a tribus Sacrificium offerri; a Christo videlicet, utpote, qui illud & instituerit, & etiam nunc Sacerdotis ministerio offerat: a Sacerdote, tum quod virtute Sacramentum conficiat, tum quod ex persona Christi consecrationis verba pronunciet; a Laicis demum, vel quod per Sacerdotes offerant, vel quod suam cum eorum intentione conjungant, vel quod externum aliquid ad Missam exhibeant. Vide Sylvium 3. p. q. 83. a. 1.

Nunc ad particulam, *vel*, progredimur; eam Menardus scripsit esse conjunctivam, quod adnotarunt etiam Gothofredus, Petrus de Marca, aliique viri docti apud Le-Brun. Quo illud evertitur, quod Gregorius Major Heterodoxus objicit apud Bellarminum, iis nempe verbis, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, correctionem quandam contineri; sed Orationis expeditus apparet sensus: Deo enim non solum peculiare persone, & circumstantes commendantur; sed ii etiam, pro quibus offertur Sacrificium, ac reliqui omnes, qui quoquo modo offerentes dicuntur.

Neque officit illa Micrologi animadversio agentis ea verba: *pro quibus tibi offerimus*, ab hac Oratione quondam abuisse; nec plus nos ferit, ea in antiquo Ordine Romano, & in pluribus vetustis Missalibus, teste Mabillonio apud Pouget, deesse; cum abunde nobis sufficiat, ea demum a Sancta Matre Ecclesia, & introducta, & confirmata fuisse. Unde vanam illorum asserimus conjecturam, qui ea ratione ducti, quod in aliquibus Missalibus antiquis jam verba, *qui tibi offerunt*: jam, *pro quibus tibi of-*

ferimus, existant, opinantur, idcirco utramque lectionem invecram esse, addita particula, *vel*, ut Sacerdos utramvis dicere possit; præsertim, quod particula, *vel*, in quibusdam Missalibus scripta sit Rubrica. Verum Pouget, & optionem illam, & consuetudinem scribendi particulam, *vel* Rubrica, merito rejicit; nam si alterutrum omittatur, verba subsequencia omni sensu destituuntur.

Plura de hac Oratione scribit Innocentius III. explicans etiam, cur Missæ Sacrificium hic dicatur *Sacrificium laudis*; sed quidpiam amplius in se continet, observabimus ex Concilio Tridentino sess. 22. De Sacrif. Missæ c. 3. illud esse *ex opere operato*, non modo *Latrenticum*, & *Eucharisticum*, sed etiam *Propitiatorium*, ac *Impetratorium*.

Nominatur igitur *Latrenticum*, & *Eucharisticum*, idest Sacrificium laudis, & gratiarum actionis; cum excellentiori modo proprietates contineat Sacrificiorum Veteris Legis, quæ in Dei honorem, & laudem, quæque in gratiarum actionem offerebantur, veluti docet S. Thomas, neque inficiantur Lutherus, & Calvinus apud Bellarminum.

Dicitur *Propitiatorium*, quo nimirum peccata expiantur, ut innuit Apostolus ad Hebr. 5., & post ipsum S. Cyprianus, & S. Augustinus. Adnotandum tamen hic est, peccatorum remissionem quantum ad culpam, diversimode ex hoc Sacrificio, ac ex Baptismo, & Pœnitentia proficisci: in his nempe peccata remittuntur gratiæ habitualis, seu sanctificantis infusione; in Missæ vero Sacrificio per pœnitentiæ donum, seu peculiaris gratiæ adiutorium, quo peccator ad contritionem excitatur, vel ad absolutionem in Sacramento pœnitentiæ digne consequendam adjuvatur. Pœna vero, quæ peccata, quo ad culpam abolita, sequitur, immediate per Sacrificium remittitur, ea tamen mensura, quam Divina misericordia definivit. Ita plane docent S. Thomas, & Bellarminus; eodemque modo vim, & efficaciam Sacrificii explicat Concilium Tridentinum.

Denique *Impetratorium* appellatur, quod spiritualia, & temporalia bona nobis conciliet; ut ex perpetuo Fidelium consensu, & ex Ss. Patrum auctoritate constat. Si enim in veteri Testamento hostiæ votivæ ad beneficia impetranda offerebantur, ut ex 2. Reg. ult., ex 2. Machab. 3., & ex 1. Esdr. 6. novimus, quis quæso hæc virtutem Sacrificio nostro denegare audeat? optime vero de hoc Bellarminus tom. 3. cont. lib. 6. de Missa, cap. 3. ait: *Si oblatio Eucharistiæ pro*

pro peccatis dimittendis valeat; certe etiam pro aliis necessitatibus, quæ ex peccato sunt, valere debet. Et si Deus hoc Sacrificio placatus in gratiam cum inimicis suis redit, quanto facilius ob idem Sacrificium adducetur, ut amicis, & reconciliatis bona temporalia tribuat.

Movet circa hæc difficultatem Vetroppellius Scriptor tempore concilii Tridentini vivens, qui in Tractatu suo de Missa questionem proponit, an Missæ omnes, seu boni, seu mali Sacerdotes celebrent, ejusdem sint efficaciam? Cui facile respondemus, si fructum Sacrificii ex opere operato a fructu ex opere operantis distinguamus. Triplex etenim est Sacrificii fructus; primus internus ex opere operato, qui semper sine immutatione obtinetur, dummodo nullum obstat impedimentum; secundus ex universa oritur Ecclesia, quatenus Sacerdotum ministerio utitur, & hujusmodi fructus, qui est ex opere operantis, potest augeri, & minui pro majore, vel minore sanctitate eorum, a quibus constat Ecclesia. Tertius itidem ex opere operantis est, qui a Sacerdote proficiscitur, adeoque ex ipsius meritis, vel demeritis major, vel minor, vel nullus esse intuitu suæ personæ potest; nihil tamen de fructu ex opere operato detrahit.

Procedimus ad verba *Communicantes, & memoria venerantes &c.* quæ nonnulli putant, ad ea D. Pauli referri, memoriis Sanctorum communicantes; sed verius Ecclesia per hæc verba significare videtur unionem Sanctorum, qui in Cælo sunt, cum Fidelibus, qui in terris degunt, quibus pro Divino Nomini Sanctorum virtutem, merita, gloriam commemorat.

Ante omnes B. Virginis intercessio imploratur, atpote quæ omnibus sanctior, juxta S. Ephrem, & gloriosior est. Denique duodecim Apostolorum, qui Ecclesiæ columnæ sunt, fit commemoratio; his additur D. Paulus, quem Ecclesia Romana a B. Petro nunquam sejungit, quippe a Christo Domino 1. ad Corinth. II. hujus Sacrificii institutionem accepit.

Post hos mentio fit duodecim maximi nominis Martyrum, qui omnes vel Romæ, vel in locis Patriarchatu Romano subjectis passi sunt; adeoque Cosmas, & Damianus, qui in Canone memorentur; alii sunt ab eis, qui in Asia, & Arabia floruerunt. Utrum vero per Xistum Pontifex hujus nominis primus, an secundus indiget, controversum est. Confessorum in Canone nulla occurrit mentio; quo si in Ambrosiana, aut

in alia Liturgia commemorentur, id ex particulari cujusque Ecclesiæ consuetudine defluxit.

Præcipue Actiones, quæ cum hac prima Oratione conjunguntur, sunt; Osculum Altaris; manus junctæ; terna Crucis ad verba hæc dona &c. super Hostiam, & Calicem signa.

De veteri Altareo sculandi disciplina loquitur sumus. Tria vero illa Crucis signa sunt vere benedictiones, quibus Dei invocatur omnipotentia, ut oblata in Corpus, & Sanguinem Christi convertat. Fiant autem signa Crucis, ut semper Redemptoris Passio nostris animi observetur. Ter repetuntur, ut significetur maximum hoc Mysterium a Ss. Trinitate perfici, observante Merbestio.

EXERCITATIO XLII.

De Commemoratione Vivorum. (ex t. 9. l. 2. c. 13.)

Explicatis præcipuis in Canone difficultatibus, de commemoratione vivorum loquendum nobis restat. Exorditur Sacerdos commemorationem suam pro Ecclesia Catholica generatim Deum precando, dein pro Summo Pontifice orationem fundit, qui mos pro Papa Romano orandi tam in Orientali, quam in Occidentali Ecclesia fuit vetatissimus. Et quidem, quod ad Orientem spectat, narrat Niceph. lib. 16, primum ausum esse Acacium Episcopum Constantinopolitanum nomen Felicis II. e Diptychis expungere. Unde patet antiquissimum fuisse hujus commemorationis usum, qui in omnibus etiam post Constantini Pogonati tempora scriptis Græcorum Liturgiis perpetuus reperitur; donec hæc per Photii Schisma intermissa sit consuetudo; licet postea, cum de utraque Ecclesia concilianda actum fuit, semper convenerit, Summi Pontificis nomen esse in Canonem restituendum.

Quod ad Occidentem pertinet, adeo vetus est orandi pro Papa in Canone consuetudo, ut ipsa ejus origo indagacionem nostram effugiat. Leges vero ostendi possunt, quibus ejus aut temporum calamitate, aut hominum malitia, in quibusdam Ecclesiis intermissa consuetudo, denuo restituta est; ut ex Concilio Vasensis C. 4., & ex S. Pelagii Papæ ad Episcopos Etruriæ increpacione, quæ apud Cigobardum tom. 2. pag. 49. extat, deducitur.

Mentio postea fit Episcopi, juxta præceptum Apostoli ad Hebr. 13. & in Orientali quidem Ecclesia Presbyter pro Episcopo, Epi-

Episcopus pro Archiepiscopo; hic pro Patriarcha orat; in Occidentali vero Sacerdos pro Episcopo; Episcopus, Archiepiscopus, & Cardinales, quamvis non sint Episcopi, pro se ipsis orant. Romæ Sacerdotes omitunt *Antistite nostro*, quia Papa est Urbis Ordinarius. Regulares Superiorem Generalem, Clerus Prælatum suum, etsi jurisdictionem quasi Episcopalem habeat, loco Episcopi nominare prohibentur: nec licet Presbytero in aliena diœcesi celebranti Episcopi sui nomen in locum Episcopi illius diœcesis substituere, ut norant Pouget, & Meratus.

In quibusdam locis juxta Apostolicam traditionem 1. ad Tim. 2. oratur pro Rege, idque olim fieri consuevisse, testantur Tertullianus, Origenes, & Dionysius Alexandrinus apud Eusebium. Le Brun observat in Liturgiis post Constantinum semper expressum fuisse nomen Imperatoris regnantis; atque addit, se in quibusdam manuscriptis post *pro Imperatore vel pro Rege* legisse notam ILL. quæ opinione Hostensii & aliorum doctorum virorum eadem significatione, quæ usitata nobis nota N. N. pollet.

Denique Sacerdos orat pro omnibus Fidelibus: *Et omnibus Orthodoxis &c.* Hæc defunt in antiquo Ordine Romano, & in quibusdam vetustis monumentis; quamobrem Micrologus scribit ea verba esse supervacanea, cum paulo post Sacerdos oret pro famulis, & famularibus Dei. Hæretici recentiores eadem redundare dicunt; quod paulo ante Sacerdos dixerit *pro Ecclesia tua &c.*

Ad Hæreticos respondet Bellarminus, quod cum generatim pro Ecclesia, deinde pro Papa, & pro aliis sigillatim preces fuisse fuerint, dequerit sane reliquos Fideles commemorari. Micrologi autem ratio exilis est; nam licet in *Memento* proxime sequenti *famulorum famularumque* mentio fiat, si tamen tantum, eæque intelliguntur, qui, aut quæ donis altari offerunt, aut Sacrificio intersunt. Vide Bonam, le Brun, & Natalem Alexandrum.

Prima hæc Oratio Canonis, ejusque præsertim pars *Memento*, in Missalibus quibusdam manuscriptis appellatur, *Oratio supra Diptycha*.

Porro Diptycha afferes quidam erant in tres partes divisi, & ita sibi juncti, ut complicari possent. In horum primum quorundam Sanctorum, & præsertim B. Virginis, Apostolorum, & Martyrum; in alterum Fidelium viventium nomina referebantur, qui dignitate eminerent; vel de Ecclesia essent optime meriti. Inter eos Romanus Ponti-

fex, Patriarcha, & alii ex Clero primi ponebantur; deinde Imperator, viri Principes, & omnis Fidelium cœtus. Tertius asser habebat nomina defunctorum, qui in Fidelium communione mortui fuerant. In Missis privatis, ut scribit Martene, Sacerdos, in Solemnibus Diaconus, & Subdiaconus ea nomina recitabant; non tamen omnium offerentium, sed eorum, qui præcipui essent, ne Sacræ Cæremoniæ nimis producerentur. Hæc optime pertractant Cabassutius, Ducange, Bona, alique recentiores.

Consuetudinem hanc palam ad altare offerentium nomina pronuntiandi. S. Hieronymus improbasse videtur; quamquam is de abusu, non de probo ejus usu intelligi debeat: Ac Micrologo, & Leone Hostensi constat, eam ad undecimum usque sæculum viguisse, eique postea morem fuisse substitutum, ut Sacerdos eos, qui Sacrificii fructum valde applicari, mentali Oratione Deo commendat.

EXERCITATIO XLIII.

De secunda Canonis Oratione. (ex t. 9. l. 1. c. 14.)

Secunda Canonis Oratio incipit, *Hanc igitur*; quæ petitiones, quatuor continentur. Prima est, ut Deus oblationem nostram placatus accipiat; secunda, ut dies nostros in sua pace disponat; tertia, ut ab æterna nos liberet damnatione; quarta ut in electorum suorum grege nos jubeat numerari. In Paschate, & Pentecoste, quadam in hac Oratione adduntur: quæ ad eos pertinent, qui per hos dies juxta veterem disciplinam baptizari, & Eucharistiam sumere consueverunt; ut advertunt Pouget, Grimaud, & Grancolas.

Cum in hac Oratione fit Oblationis mentio, oblatio faciendâ, non facta intelligitur. Ven. Beda narrat; D. Gregorium ad præcipuam a Deo implorandam opem huic orationi addidisse verba, *diesque nostros*, usque ad *grege numerari*.

Hic questionem movit Estius, quæ ratione peti possit a Domino, ut jubeat, *nos in electorum suorum grege numerari*; quum Dei voluntas sit immutabilis, neque prædestinatorum numerus, vel augeri, vel minus possit? Ad quod diluendum facit secunda Petri Apostolorum Principis epistola, in qua ait: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis*. Petitur itaque hac in Oratione, non ut Deus propositum suum mutet, sed causam pro effectu ponimus, orat-

tes, ut Deus nos, vel alios ad se converteret, & in Sancta conversatione confirmet, atque ad æternam fecilitatem perducatur, qui sunt effectus prædestinationis.

In hac Oratione Sacerdos extensas tenet manus super Hostiam, & Calicem, eoque ritu, ut ait Pouget, offert Deo, se, populumque Christianam cum Christo jamjam mystice immolando. Hunc morem jam Veteri in Lege, viguisse observat Bossuetus ad Levit. cap. 4. & 8. Ubi Sacerdos capiti immolanda victimæ manus imponit, indicans per hoc se conjungi cum victimâ, & cum ea Deo consecrari.

EXERCITATIO XLIV.

De tertia Canonis Oratione. (ex t. 9. l. 2. c. 15.)

Tertia Canonis Oratio incipit a verbis: *Quam oblationem &c.* & usque ad finem Consecrationis continuatur. In hac Oratione Ecclesia Deum orat, ut oblationem facere dignetur, *benedictam, adscriptam &c.* quorum verborum ea videtur optima explicatio, quæ affertur in Can. *Utrum*, de Consecr. dist. 2. qui a Gratiano tribuitur D. Augustino; sed revera e Paschasio sumptus est: *Rogamus, hanc oblationem benedictam, per quam omnes nos in caelo conscribamur; ratam, per quam visceribus Christi censeamur; rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur; acceptabilemque facere dignetur, quatenus & nos, per quod in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio semus.*

In eadem Oratione Ecclesia orat, ut fiat transubstantiatio, etsi hanc futuram certo sciat: neque vero absurdum est a Deo petere, quod certo novimus fore. Sic Patriarchæ magnis precibus sollicitarunt Christi adventum in carne, quem tamen venturum certo credebant. Sic Christus ad Patrem cœlestem clamavit: *Pater clarifica Filium tuum*; cum tamen clarificatio certo esset secutura. De eadem re S. Thomas docet, Sacerdotem non petere, ut impleatur consecratio, sed ut nobis fiat fructuosa, quod verba, *ut nobis Corpus, & Sanguis fiat*, indicare videntur.

Sacerdos, cum dicit, *benedictam*, Crucis signum ducit super Hostiam, & Calicem; idem facit, cum dicit, *adscriptam*, itidemque, cum dicit, *ratam, rationabilem &c.* Item Hostiam ad verba, *ut nobis corpus, & Calicem ad illa, & Sanguis fiat*, cruce signat. Qua in veneratione Crucis signum Christianis ab Ecclesiæ incunabulis fuerit, su-

perius jam innuimus; quare ejus crebra repetitio mira videri non debeat, præsertim in loco, ubi de benedictione materiæ ad consecrationem præparandæ agitur. Si mysticos quispiam hic sensus quærat, adeat S. Bonaventuram in expositione Missæ, & Durandum L. 4.

S. Bonaventura putat hæc quinque Crucis signa Christum significare passum in omnibus quinque corporis sensibus. Durandus vero ait prima tria Crucis signa super hostiam simul, & calicem significare nefariam Judæ proditionem, quæ Magistrum suum Sacerdotibus, Scribis, & Phariseis vendidit; duo vero reliqua alterum super hostiam, alterum super calicem significare vel duas Christi naturas, vel illum esse passum anima & corpore.

Pergit Sacerdos, & partim recitative, seu historice, & materialiter; partim recitative, & significative, ut Theologi loquuntur, exponit quæ pridie mortis suæ Christus fecit, & dixit. Quod ut intelligatur, notandum est, posse quempiam verba dicere, quæ alius dixerit, quin ea affirmet, vel neget; item posse verba dicere animo affirmandi, vel negandi. Porro primus modus dicitur *recitativus*, seu historicus & materialis: secundus *significativus*: Possit quoque verba, quæ alius dixerit, narrare, & simul quod ille affirmaverit, vel negaverit, animo affirmare, vel negare, & hic modus esset simul *recitativus, & significativus*.

His positis, verba Consecrationis a Sacerdote *significativè* dicuntur. Item communior est Theologorum sententia, *recitative, & significative* dici verba, *Accipite, & manducate*; & illa, *Accipite, & bibite, ex eo omnes*, nec non alia: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*. De quibus accuratior nobis inferius, ubi de Consecratione sermo erit.

Interim quedam observandæ sunt actiones, quæ in hac Oratione Sacerdos peragit. Hostiam siquidem manibus sumit, oculos ad Cœlum tollit, & crucis signum super eam ducit: Calicem similiter sumit, ac signo crucis signat; quæ omnia verbis, quæ interea proferuntur, & Christi in instituenda Eucharistia actionibus correspondent. Hostiam dein, & Calicem consecratis, Sacerdos unum genua flectit usque ad terram; Est enim Catholicæ Fidei dogma, externo Patriæ cultu Christum in Eucharistia Sacramento esse adorandum, de quo cultu fuit Juveninus. Et profecto Ecclesia cum Græca, tum Latina semper crediderunt externo Patriæ cultu Hostiam consecratam adorandam esse; imo An-

gelos ipsos circum Eucharistiam venerandos stare, firma fide adstruxit; ut ex D. Chrysofostomo Hom. 16. Pat. Antioch. elicitur, & Bossuetus tractatu de Missa cap. 28. fusius demonstrat.

Denique fit primum elevatio Hostiæ, accensa prius candela, quæ non nisi post communionem extinguitur.

Græci apud Card. Bonam, Armeni, & Abyssini apud Bzovium non statim post consecrationem, sed paulo ante Communionem Hostiam, & Calicem vetustissimo more elevant, ut Populus Sacramentum adoret. Mabillonius docet, & in Gallia elevationem Hostiæ, & Calicis, circa dimidium XI. sæculi fieri cœpisse, incompetente autem esse, an paulo post Romana Ecclesia ejusmodi disciplinam amplexa fuerit. Le Brun vero offendit ad duodecimum usque sæculum Hostiam, & Calicem ad ea verba, *omnis honor, & gloria*, elevari consuevisse; elevationem vero quæ nunc fit post consecrationem, introductam esse, ut, cum Berengarius vel realem Christi in Eucharistia præsentiam, vel panis conversionem in corpus Christi negaret, signum Catholica Fidei ederet, quo Fideles publice Christi in Eucharistia præsentiam adversus Berengarii Hæresim profiterentur. Neque tamen quispiam hinc sibi persuadeat, hoc fuisse primum adorationis Eucharistiæ initium; quæ quidem adoratio tum interna, tum externa a dogmate de reali Christi in Sacramento præsentia nunquam fuit sejuncta, ut contra Hæreticos eruditissime probat Bossuetus.

Constat itaque, primum tempore Berengarii post Consecrationem elevari cœpisse Hostiam, & Calicem, & utrumque quidem in quibusdam Ecclesiis, in quibusdam vero, inter quæ Romana, tantummodo Hostiam; donec disciplina utrumque post Consecrationem elevandi in omnes Ecclesias transiverit. Quamquam apud Carthusianos etiam nunc sola elevetur Hostia, & in quibusdam Ordinibus Regularibus nullum elevandi Calicis præceptum extet, calicisque elevatio ab illis præstetur, ne ab universæ Ecclesiæ Ritu diversi videantur. Profecto B. Bonaventuræ tempore in more positum erat, ut sola Hostia elevaretur; ut ex eodem S. Doctore apparet. Beilöre ad hanc rem ritum quarundam commemorat, qui tria Crucis signa cum Hostia in sublime sublata docebant. Objici hic contra sententiam nostram posset, antiquiorem longe Berengario hunc elevandæ post Consecrationem Hostiæ ritum esse, cum ejus in Missali Mozarabo, & in Decreto Pelagii I. habeatur mentio. Verum præter quam

quod in Amalario, Walfrido, Micrologo, & Ordinibus Romanis, elevatio hæc retineatur, certum est, quidquid de hoc in Missali Mozarabico affertur, a Cardinali Ximene additum fuisse; Decretum vero Pelagii supposititium esse, omnibus eruditius constat. Calix a quibusdam Regularibus olim palla coopertus elevabatur, quæ tamen consuetudo penitus ab usu recessit.

Hæc Hostiam, & Calicem elevandi disciplina inducta, mos quoque inductus est, ut Minister Campanulam pulset: *ut sementes Fidelium ad Orationes excitentur*, quem admodum legitur in quodam Decreto Guillelmi Parisiensis Episcopi apud Card. Bonam, & in alio Card. Guidonis, in Germania Legati. In Ecclesia Romana elevationis tempore silentium servatur, & Christus tacite adoratur; quod decrevit etiam Provinciale Concilium Colonienſe an. 1536, jussitque post Missam cani Orationes, quæ pro pace, aliisque necessitatibus antea in elevatione canebantur. In quibusdam tamen Ecclesiis Galliæ, cum elevatur Hostia, Populus intonat Hymnum; *O salutaris Hostia*; quem morem juxta Card. Bonam, & alios, ejus Regni Episcopi, petente Ludovico XII., induxerunt ad Dei opem implorandam in bellis, quibus Princeps ille premebatur.

Hostius Card. Warmiensis Episcopus qui Legatus Concilio præfuit Tridentino, consuetudinem laudat, ut ad Eucharistiæ elevationem adstantes genua flectant. De hoc magna fuit sub Honorio III. inter Decanum, & Canonicos Lugdunensis Ecclesiæ controversia. Decanus quippe exigebat, ut Canonici ad Hostiæ elevationem genua flecterent, at ipsi solam inclinationem admittent. Demandatum fuit Cardinalibus de Lothoringiæ, & Tournonio hujus controversiæ examen, qui ne turba excitarentur, pronunciarunt, nihil innovandum, maximam tamen servandam esse reverentiam; ut refert Grimaud.

Adjungere hic juvat, ipsam Lutherum acrem disciplinæ Catholicæ impugnatorem, ritum elevandi Hostiam, quidquid Carolostadius in contrarium ei persuadere contenderit, in Missæ formula, quam Ecclesiæ Wittenbergensi præscribit, retinuisse, ut abunde testatur Hæsch. Hildebrandus in opere suo *Sacra publica veteris Ecclesiæ in conspectum reddita*.

EXERCITATIO XLV.

De forma consecrationis. (ex t. 9. l. 2. c. 15.)

UTraque Ecclesia Orientalis, & Occidentalis in hoc consentiunt, Bossueto teste, quod virtus illa, qua panis, & vinum in Christi Corpus, & sanguinem convertuntur, essentialiter in verbis Christi consistat; adeoque ab ipsis consecrationis forma sit desumenda. Quod vero ad hanc vocem, *forma*, attinet, ostendit Morinus, res, & verba, quibus Sacramenta constant, his vocibus, *materia*, & *forma*, quas e Peripateticorum schola Theologia adiecit, jam a pluribus saeculis, in utraque Ecclesia significari coepisse, easque tanquam utiles esse retinendas; ut fecit Concilium Tridentinum.

Formam consecrationis panis ea Christi verba: *Hoc est Corpus meum*, constituunt; consecrationem vini illa: *Hic est Calix sanguinis mei*; hisque prolatis panis in Corpus, vinum in sanguinem Christi convertantur, quae conversio ab Ecclesia Catholica, *Transsubstantiatio*, appellatur.

Porro graviter erraret, qui formam consecrationis *recitative* dimittat, dici affirmaret; cum enim Sacerdos ex persona Christi loquatur, & agat, profecto consecrationem *significative*, ut Theologi loquuntur, & *formaliter* profert. Quamquam D. Thomas sentire videatur, utroque modo, id est, *recitative* & *significative*, verba consecrationis proferri.

Offert se hic non levis difficultas ex liturgiis Graecis, & Mozarabicis; ubi post verba *Hoc est Corpus* Sacerdos Deum orat, ut *mittat Spiritum Sanctum super proposita dona*, & panem faciat Corpus Christi, vinum vero sanguinem ejus, immutans ea Spiritu Sancto suo; ex quibus verbis videntur non existimare, vi priorum verborum facta esse Transsubstantiationem.

Verum haec de re in Concilio Florentino interrogati Graeci responderunt, se credere, Transsubstantiationem fieri vi verborum Christi; per subsequentes vero orationes peti, ut Corpus, & Sanguis Christi conferant ad remissionem peccatorum. Neque enim novum est apud ipsos, rem jam concessam, quasi nondum concessa sit, postulare; ut faciunt quoque in administratione Baptismi juxta Rituale Severi in Biblioth. novis. Ss. PP. Quod quidem nequaquam argui potest; nam etiam mulier Hæmorrhissa, ut Christi

vestem titigit, continuo convaluit; & tamen postea Christus ei dixit: *esto sana a plaga tua*; quo exemplo utitur Genuinus Hæreticus adversus Nicolaum Cabasilam Græcum, qui in sua Liturgia putavit, Transsubstantiationem fieri post memoratas Sacerdotis Orationes, & Benedictiones. Eodem profusum modo hunc Græcorum, & Mozarabum ritum explicavit Card. de Turrecremata in Oratione, quam jussu Eugenii IV. in Concilio Florentino habuit. Idem in eodem Concilio Card. Bessarion declaravit, cujus ea de re Oratio extat in opere, cui titulus: *Liturgia sive Missa Ss. Patrum*, editio Antwerpæ en. 1562. Et in eandem explicationem Syri quoque consentiunt apud S. Maronem.

Antoninus Augustinus Touzee differt. inter eas, quas edidit cum S. Cyrilli Operibus, probandum suscepit, consecrationem non in Christi verbis tantum, sed etiam in precibus ab Ecclesia institutis consistere. Eandem sententiam amplexus est Le Bruin. Sed adversus Touzee erudite scripsit P. Josephus Augustinus Orsi Ord. Prædicatorum; Et P. Bougeant Societatis Jesu Presbyter Brunum solide refutavit. Quare Juveninus, & Tournellius bene asserunt, constantem esse utriusque Ecclesie Occidentalis, & Orientalis consensum; ut forma consecrationis in verbis Christi præcise habeatur, precibus quibuscumque exclusis; & Du-Hamel concludit, eam Divinam; non humanam institutioni tribuendam esse; in quo universa Ecclesia, cuncti Ss. Patres, & omniaque Concilia conveniunt. Sane Concilium Florentinum in Decreto pro instr. Armen. ait: *Forma hujus Sacramenti (Eucharistiae) sunt verba Salvatoris; quibus hoc Sacramentum conficitur. Sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum; nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus &c.* Preces autem non sunt verba Salvatoris, nec Sacerdos illa profert in persona Christi, sed suo, vel Ecclesie nomine, ut per se patet.

EXERCITATIO XLVI.

De Consecratione Panis, & Vini.

(ex t. 9. l. 2. c. 15.)

Patres in Canone sunt actiones, quae tamquam a Christo factae commemorantur. Christum nempe in manus accepisse panem, oculos ad Caelum sustulisse, gratias egisse, benedixisse, fregisse panem, ac praevisse Discipulis suis. Porro panem accepisse, constat ex Evangelio; de oculorum elevatione alibi

alibi sermonem fecimus; quare illud nunc examinandum superest, utrum discrimen alium sit inter gratiarum actionem, & benedictionem; num utraq; differat a consecratione; denique utrum ante, an post consecrationem panis fractus fuerit?

D. Thomas iis adherere videtur, qui putant, idem in Christo fuisse benedicere, & consecrare; panem vero prius consecrasse, deinde fregisse, & hunc sensum haberi posse etiam verbis *Evangelii non mutatis*. Soto putat, Christum panem fregisse, deinde Discipulis præbuisse dicentem, *Accipite &c.*, & verba porrigitis fuisse pariter, & consecrantis. Suarez vero sentit, Benedictionem, & gratiarum actionem res esse distinctas; verba vero, *accipit, benedicit, fregit, dedit*, actiones significare eo peractas ordine, quem describunt Evangelista, quamquam non omnes ante Consecrationem peragi poterint; & Christum juxta Tridentina Synodi Doctrinam panem consecrasse, antequam illum frangeret.

At clarus, & simplex Ordo videtur, quem describit Sylvius, nempe Christum accepisse panem, gratias egisse, benedixisse, deinde consecrasse, ac dixisse: *Accipite, & manducate: Hoc est Corpus meum*; ac demum fregisse, & Discipulis distributum fuisse. Ac verisimilius quidem est, consecrationem ante fractionem fuisse factam: ut colligitur ex Apostol. I. ad Corinth. 10., & ex more panem prius in Missa consecrandi, post frangendi. Quod vero Evangelistarum narrationem pertinet, ipsi res a Christo gestas narrarunt, non eam seriem, & ordinem; quod præter alia Evangelicorum loca, confirmatur ex Marci, cap. 14. ubi ait Evangelista: *Et biberunt ex illo omnes*; cum tamen nondum narrasset, Christum dixisse: *Hic est sanguis meus*. Christum veram vinum consecrasse, antequam ex eo biberent Apostoli, certissimum est.

At dispiciendam nunc, quam sit forma consecrationis panis? Communi sententia ex D. Thoma affirmat, hanc formam contineri his verbis: *Hoc est Corpus meum*; prolatis a Sacerdote, cum intentione conficiendi Sacramentum; intentio enim facit, ut ea verba quasi ex persona Christi prolata intelligantur, adeoque ad formam consecrationis, ejusque validitatem, quidquid Sotus senserit, sufficiunt; etiam si precedentia non recitentur, ut confirmant Salmanticensis.

Major Theologorum sententia formam consecrationis Calicis concludit verbis: *Hic est Calix sanguinis mei*, quamquam Divus Tho-

mas videatur eam producere usque ad ea verba: *Hoc quotiescumque &c.*; & ita cum D. Thoma sentiendum esse nonnulli Thomiste, apud Cardin. Capisuecum, & Salmanticensis affirmant. At Soto, Card. Gottus, & alii volunt, eum non de essentia, sed de integritate forme locutum esse; magnum vero interesse discrimen inter essentiam, & integritatem.

Quoad consecrationis hujus verborum sensum, & intelligentiam potandum est, locutionem illam: *Hic est Calix Sanguinis mei*, juxta D. Thomam esse figuratam; & per metonymiam expressam, ita ut sensus sit: *Hic est sanguis meus, contentus in Calice*; additur, *novi, & aeterni Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* ad quæ verba idem S. Doctor observat, dici sanguinem novi Testamenti, quod non per figuram, ut in veteri Testamento, sed revera effusus sit; vocem vero *multi* juxta modum loquendi sacrarum Scripturarum significare *omnes*; ita ut sanguis Christi pro omnibus effusus sit; pro omnibus quidem quoad sufficientiam, & pro solis electis quoad efficaciam.

Paululum aquæ, ut alibi diximus, una cum vino in Calicem infunditur; & hinc quæri solet, num aqua in Christi sanguinem convertatur; item utrum prius in vinum, deinde in sanguinem; an immediate in sanguinem transubstantietur.

Prima quæstio sæculo XII. in Gallia excitata fuit, de qua Gaufridus Monachus Cisterciens. apud Baronium prolixam scripsit Epistolam ad Cardinalem Episcopum Albanensem; sed quid Cardinalem Episcopum Atincompertum est. Nonnulli apud Innocentium III. in cap. *cum Martha* de celebr. Missæ putant vinum in sanguinem, aquam vero converti in aquam, quæ de latere Christi defluxit; sed hæc pia potius, quam Theologica opinio est. Alii sentiunt, aquam vino junctam per se manere, veluti circumdatam speciebus vini; hæc autem a D. Thoma improbatur, cum omne, quod in Calice est, patriæ cultu adoretur. Quamobrem optime sentire videmur, si dicamus aquam æque, ac vinum in sanguinem Christi converti, idque ex Justino, Irenæo, & Cypriano solide demonstrari potest.

An veto prius in vinum, deinde in sanguinem convertatur; disputant Theologi Scholastici, de qua re felse Card. Capisuecus. Nos obiter monemus, sententiam illorum, qui aquam primum in vinum mutari arbitrantur, ab Innocent. III. c. cum Martha de Celebrat. Missarum vocari probabiliorem.

Ipsemet Innocent. lib. 4. de Myster. Altaris cap. 3. ita scribit: *Quis ambigat aquam in vinum transire, cum multa vino modicum infunditur aqua? Idem colligitur ex Rituali Romano, & Catechismo S. Pit. V. ubi dicitur oportere aquam modicam infundi, quia aqua illa convertitur in vinum.* *Sententia Scriptorum Ecclesiasticorum.* Sane Florentinum docet materiam hujus Sacramenti esse vinum de vite; oportet igitur aquam in vinum mutari, ut sit materia Sacramenti, cum Ecclesia mutare non possit materiam Sacramentorum. Non negamus tamen contrariam opinionem sua habere rationis, & auctoritatis momenta; imo hodie probabilior haberi; non enim contrarie suffragatur, quod Fratres Prædicatores, alique Regulares aquam in Calicem ante Missam infundant; moment enim Juveninus, & Herminier id non fieri, ut tempus suppetat, quo aqua convertatur in vinum: sed *Ritum esse juxta nonnullas Liturgias prescriptum; ut id totum, quod in Sacrificio debet offerri, ante ipsummet Sacrificium preparatur.*

EXERCITATIO XLVII.

De quarta Canonis Oratione.
(*ex t. 9. l. 2. c. 16.*)

CUM tertia Oratio, de qua priori capite actum est, concludatur verbis, *Hæc quotiescumque feceritis &c.*; ut videlicet declaretur, neminem tanta audacia futurum, qui augustissimum hoc, nisi debite vocatus, celebraret Mysterium, apposite sequitur quarta Oratio, unde & memores, in qua Sacerdos etiam nomine Populi, Passionis, Resurrectionis, & Ascensionis commemoratis, Aterno Patri Divini Filii Corpus, & Sanguinem offert: Hostiam scilicet puram; Sanctam, & immaculatam, de ejus donis, ac datis; aut, ut Græci illud exprimunt: *tua ex tuis*; quo pacto hujus oblationis natura explicabatur; quippe in qua Deo offertur substantia, Corpus nimirum, & sanguis Christi, facta ex alia substantia, scilicet pane, & vino.

Quarta hæc Oratio dicitur usque ad *Memento*, & variè in ea reperiuntur Lektionen: sic in quibusdam Missalibus apud Bernardum legitur: *Unde & memores sumus*; quæ vox *sumus* apud S. Ambrosium, & sece in omnibus aliis non occurrit; sic in ceteris Sacramentariis, & Missalibus apud Le Brun inter verba, *Domini nostri* inter-

jicitur vox *Dei*; ita ut legatur, *Domini Dei nostri*. Verum, cum hæc vox; est optima, jmsiduo a Missali etiam recognito, & Summorum Pontificum auctoritate entendato absit, omittenda est ab eo, qui Ritum sequitur Romanum, & ab his solum dicenda, quorum petuliares ab Ecclesia non improbatu Ritum eam habent.

Verba: *Hostiam puram, Hostiam Sanctam, Hostiam immaculatam*; sunt iis similia, quæ habentur ad Rom. 22. *Hostiam viventem &c.*, eaque explicans Sotus ait: significare differentiam inter Sacrificium nostrum, & Sacrificia Gentium, oblationesque Veteris Legis; quod scilicet Hostia hæc nostra sit *pura, & purificans, Sancta, & Sanctificans, immaculata, & maculas tergens*. Quod vero adjungitur, *Panem vite æternæ, & Calicem salutis perpetuæ; definitionem, & explicationem ejusdem Hostiæ secum fert*; ut enim Sacerdotes Veteris Legis de Sacrificiis edebant, quibus vitam temporalem sustentabant, sic Christiani usu, & potu Sacrosancti Sacrificii spirituales, atque adeo æternam salutem sibi comparant.

Quædam in hac Oratione actiones sunt particulares, quædam generaliores. In quibusdam Gallia Ecclesiis sæculo 12. Sacerdotes in hac Oratione brachia in modum Crucis elevabant in memoriam Passionis Christi, ut etiam nunc Carthusiani, Dominicani, & Carmelitæ faciunt. Id vero nunquam usurpavit Ecclesia Romana, quæ satis esse existimavit ad Christi Passionem, quæ in Oratione discrete commemoratur, significandam, si Sacerdos manus teneat ante pectus expansas. Generales actiones sunt quinque Crucis signa, quæ Sacerdos ducit ad verba *Hostiam puram &c.*

Bossuetus hoc inter Benedictiones, quæ super Hostiam, & Calicem ante Consecrationem, & eas, quæ post Consecrationem fiunt, discrimen esse ait, quod benedictio ante Consecrationem aliquid efficiat tum erga Sacramentum consecrandum, tum erga hominem, qui per illud vult sanctificari; post Consecrationem vero, non ad Corpus Divinum, sed ad eos referri, qui illud sumpturi sunt, ut digne illud suspiciant; aut si Corpus Christi respiciant, Benedictiones, & gratias exprimere, quibus illud abundat, & quas in nos effundere cupit, nisi peccata nostra obstant. Similia ferme scribit Gilbertus Grimaud.

Alterius opinionis est S. Thomas, qui contendit, ea Crucis signa post Consecrationem non esse Benedictiones, sed commeme-

rationes virtutis, & efficaciz Sacramenti Eucharistiz, quæ virtus e Crucis oritur Sacrificio, quod in Missa representatur. Curat quippe Ecclesia, ut in Sacerdotum, & adstantium animis imprimat, idem esse Sacrificium Altaris cum Sacrificio Crucis, ac cupit, ut præsertim Sacerdotes post Consecrationem menti suæ Christum in Cruce immolatum proponant, atque idcirco vult, omne verbum, quod exprimit Corpus, & Sanguinem Domini, cum signo Crucis proferri; sicque declaratur, Hostiam, & quod in Calice continetur, idem esse Corpus, quod Cruci fuit affixum, & ipsum Sanguinem, qui in Cruce effusus est.

Idem S. Doct̃or docet, ea quinque Crucis signa denotare quinque Jesu Christi plagas; & Micrologus observat, Crucis signa in Missa mystice nos admonere, dum semel fiunt, *unitatis essentia*, dum ter, *Trinitatis*; dum quinque, *quinque Christi vulnerum*.

Quare temerarie nimis Maldonatus asseruit, nullum post Consecrationem adhibendum esse Crucis signum; non enim Eucharistia, ut ille falso opinatur, benedicitur; verum Passionis, ut supra denotavimus, commemoratio in mentibus nostris excitatur.

Post Consecrationem Sacerdos pollicem, & indicem jungit, eosque nunquam, nisi ad tractandam S. Hostiam, & post ablutio- nem sejungit. S. Thomas id fieri ait, ut, si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur; de qua actione tamen altum apud Veteres est silentium.

Post hæc Sacerdos Deum orat, ut ad oblata dona Corporis, & sanguinis Christi propitio, & sereno vultu respicere dignetur: non quod, ut delirat Luthesus, censeat, se Mediatorem esse inter Patrem, & Christum; sed quod, ut observat Bellarminus, licet oblatio, sive rem oblatam, sive offerentem præcipuum, qui Christus est, spectemus, semper accepta sit, fieri tamen possit, ut ex parte Sacerdotis, vel Populi minus placeat; ideo Sacerdos Deum orat, *ut propitio, ac sereno vultu Oblata respiciat, & accipiat, quemadmodum accepit Abelis munera, Abrahæ Sacrificium, & Melchisedechi oblationem*. Hæc enim Sacrificia nostrum hoc Sacrificium pulere representant. Nam sicut Abel Deo obtulit Primogenitos gregis sui Genes. 4. & ad Hebr. II. justus, & innocens a Fratre Cain interfectus est; sic Christus sese tamquam Primogenitum, ut dicitur ad Rom. 8. obtulit, & a Judæis fratribus necatus est. Sicut Isaac immolatus

est, quin vitam amitteret, ita Christus mortuus est, ut ad novam vitam reduceret. Sicut Melchisedech (Sacerdos Dei Altissimi) Genes. 14. panem, & vinum Deo obtulit in Sacrificium, ita Christus in Eucharistia sub specie panis, & vini corpus, & sanguinem suum Deo Patri per manus Sacerdotis offert.

Non tamen hæc sola sunt veteris Legis Sacrificia, quæ immaculatum, quæ sanctum, quæ tremendum hoc novi Testamenti expressere Mysterium. Ab ipso quasi mundi ortu oblationes exordium sumpsere, & naturalis ratio suaserat, externo quodam cultus signo internæ venerationis obsequium demonstrare. Nihil autem tunc certis præscriptum est præceptis: propria cuique conscientia, & Dux, & Magistra ordinandorum Sacrificiorum fuit; donec Deus per Moysen electo sibi populo certas Leges, certoque Ritum, & Sacrificia imposuit. Inter hæc tria fuere præcipua: *Holocausa* videlicet, *Pacifica*, & *Propitiatoria*, & hæc quidem Sacrificia in eo consistebant, ut vivum, mundumque animal cederetur, ejusque sanguis ad placandum Deum, eique debitum honorem tribuendum effunderetur. Quæ omnia Sacrificium, quod peragendum erat in Calvario, & Christi sanguinem in Cruce pro Redemptione humani generis effundendum, adumbrabant.

Perperam igitur temerarii quidam aut Novatores, aut Critici Holocaustorum originem ab Ethnicis, & Aegyptiis derivant. Rem enim accuratius indaganti certo patebit, continuata serie a primis Patriarchis ad Moysen usque sacrificandi morem exitisse, atque Ethnicos potius ab his, quam hos ab illis Ritum immolandi adoptasse; licet apud veteres Patres incorruptus semper permanferit, a Gentibus vero insana superstitione in nefandas Idolorum adorationes detortus fuerit. Antiquissimus omnium, qui supersit, codex id nobis testatur; videlicet Moysis Creationis, & populi Israelitici Historia; idque etiam ipsa Ethnicorum, licet fabulis involuta, scripta confirmant.

Sed ad Canonem redeamus, in quo gravi inter Doctores contentioni occasionem præbent verba illa, *sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam*, utram scilicet ea ad Missæ Sacrificium, an ad Sacrificium Melchisedechi referenda sint? Hoc postremum pluribus probat Le Brun; primum affirmat Pougnet; Nos vero cum Suarez dicimus, utrumvis intelligas, bonum iis verbis sensum contineri:

De Melchisedecho plures olim hæreticæ opi-

opiniones circumferebantur, ut apud D. Hieronymum, & Epiphanium videre licet. De quibus quidquid sit, nos modo indubitatum tenemus, eum fuisse gente Canaanum, Salem, seu Hierosolymæ Regem, & Sacerdotem; qui juxta Apostolum ad Hebr. 7. Christum representavit; nam secundum ejus, non vero secundum Aaronis ordinem Christus Sacerdotium exercuit; idque, vel quia Aaronis Sacrificia cruenta fuere, Melchisedechi vero incrementa; vel quia Aaronis Sacerdotium ad multos sibi invicem succedentes delatum est; Melchisedechi, cujus nulla invenitur genealogia, nemo successit, quod Christi Sacerdotium egregie exprimit, ut explicat Tridentina Synodus.

Fuit itaque Melchisedech Sacerdos, ac panem, & vinum obtulit, & quidem in Sacrificium, ut adnotat causalis enim in textu Gen. 14. erat enim Sacerdos &c. Quamquam autem Lutherani, & Calvinistæ obgarniant, ab Hebræo textu abesse particulam, *venim*; & adesse conjunctivam, *Et*, seu *autem*; Hebraicæ tamen linguæ periti testantur, particulam, *Et*, vel *autem* sepiissime apud Hebræos vim causalis habere. Quapropter venerandi primorum etiam Ecclesiæ seculorum Patres Ss. Cyprianus, Hieronymus, & Augustinus in hoc Melchisedechi Sacrificio expressam Sacrificii nostri figuram nobis proposuerunt.

Verborum deinde, *sanctum Sacrificium, immaculatam Hostiam*, planissimus, & maxime proprius est sensus, si ad Novæ Legis Sacrificium referantur; siquidem de hoc Sacrificio, juxta Justinum Martyrem, Irenæum, & Tridentinam Synodum, Malachias loquitur, ubi ait: *In omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* In Missa enim id omne fit, quod ad essentiam pertinet Sacrificii, & docent Theologi, Sacrificium esse oblationem rei sensibilis cum ejus destructione, vel immutatione factam, & mystice consecratam Deo in recognitionem ejus supremi dominii. Hæ autem conditiones omnes, in Missa implentur. Nam Missa etiam in Sanctorum honorem celebrata, non illis, sed soli Deo offertur, ut monet Concilium Trid., & juxta Apostolum ad Hebr. 5. a solo Sacerdote peragitur, ac mystico ritu celebratur, eoque modo, quo in incremento Sacrificio fieri potest, victima destruitur, vel quia Sacramentales species consumuntur, vel quia per Consecrationem Corpus, Sanguis, Anima, & Divinitas Christi, substantiæ panis, & vini substituantur,

quod ad victimam in Sacrificio incremento destructionem abunde sufficit; vel quia licet in Missa Christus, qui est victima, non destruat *quoad esse simpliciter*, ut loquuntur Theologi, destruitur tamen *quoad esse sacramentale*.

Claudit demum hanc Orationem Sacerdos, petendo a Deo, ut jubeat, *per manus Angeli in sublime Altare sumi, in conspectu Divinae Majestatis suæ Oblata perferri &c.* Quæ postrema verba intellecta difficilia esse, affirmat Florus, & cum eo Innocentius III.; qui tamen ea sic explicat, ut Deus jubeat vota, & preces Fidei in conspectum Divinae Majestatis ministerio Angelorum perferri, ut eorundem intercessione Deo gratæ sint. Quam explicationem Theologi omnes cum S. Thoma amplectuntur, qui etiam nomine Angeli Jesum intelligit, utpote vocatum magni Consilii Angelum. Videantur Bellarminus, Suarez, & Le Brun.

In postrema hac quartæ Orationis parte Sacerdos profunde se inclinât, quod supplicanti optime convenit, & vetustissimo more receptum est, cum ejus jam meminerint Amalaris, & Micrologus. Junctas etiam Sacerdos tenet manus, & olim in pluribus Galliæ, & Germaniæ Ecclesiis in Crucem decussatas, ut nunc Carthusiani, Dominicani, & Carmelitæ usurpant: demum osculatur Altare, ac super Hostiam, Calicem, & se ipsum Crucis signum ducit, ad reducenda videlicet sibi in memoriam salutaris Passionis mysteria. Qui horum Symbolicas rationes cepit, adeat Innoc. III. Qui loquitur de mysterio trium signorum crucis l. 5. myst. Missæ cap. 5. atque, duci Crucis signum super corpus propter sudorem corporis, quo Christus in sua Passione maduit: super Calicem propter guttas Sanguinis, quem in Passione fudit; Sacerdotem autem se ipsum signare, quia Christus procidit in faciem suam. D. Thomas 3. p. quest. 83. art. 5. ad tertium hæc tria Crucis signa ita explicat: *Representatur extensio corporis, & effusio Sanguinis, & fructus Passionis per triam cruce signationem, quæ fit super illis verbis Corpus, & Sanguinem sumpsimus omni benedictione &c.* Videndus etiam Durandus, & D. Bonaventura in expositione Missæ cap. 3.

EXERCITATIO XLVIII.

De quinta Canonis Oratione, ubi de Commemoratione Mortuorum. (ex t. 9. l. 2. c. 17.)

HÆc Oratio incipit, *Memento etiam Domine*, ubi oratur pro Defunctis. Nonnulli ob vocem illam, *etiam*, aliud peculiare *Memento* præcessisse; alii eam redundare existimarunt. Verum utrorumque opinio curiosa magis, quam solida est, cum facile videamus, *Memento* istud Mortuorum tanquam continuationem memoriæ Vivorum considerari debere.

Præter ea, quæ supra ex libris Machabæorum attulimus, Liturgiæ antiquissimæ, Tertullianus, Augustinus, Chryllostomus, aliique Sancti Patres sufficientia nobis suppeditant testimonia, quæ suadeant, Mortuorum in Missæ Sacrificio commemorationem ab Apostolicis, aut iis proximis temporibus originem ducere.

Orat autem Sacerdos præcipue pro animabus, pro quibus hoc Sacrificium specialiter offert, deinde pro omnibus in Purgatorio detentis, ut Deus illis tribuat *locum refrigerii*, ut scilicet ab igne liberentur, *locum lucis*, ut e tenebris eruantur, *locum pacis*, ut a mentis anxietate respirent.

Porto aliquando ex caritate, interdum ex iustitia tenemur pro Defunctis orare, ut ostendit Gilbertus Grimaud. Numquam vero pro damnatis Sacrificium est offerendum: quod si ob ignorantiam, quam de rebus istis habemus, vel pro damnatis, vel pro beatis offerri contingat; tunc ejus fructus in Ecclesiæ Thesaurio remanet, quem Deus iis dispersit animabus, quibus levamen aliquod vult afferre, de qua re S. Augustinus in Enchiridion.

Appellatur hæc Oratio in vetustis monumentis Oratio super Diptycha, quia Mortuorum olim nomina, ut & Vivorum, alta voce recitabantur, ut superius explicuimus; Episcopi etiam, qui Ecclesiam rexerant, aliique aliarum Diocesium nominabantur, si tamen in Catholica Fide, & communione obiissent; Hæreseos enim, & criminum enormium rei e Sacris Diptychis expungebantur.

Quæ disciplina juxta Martene, ad XII. usque seculum viguit, eamque obsoletam Card. Antonius de Crequy Episcopus Ambianensis an. 1574. in sua Ecclesia revocavit; & etiam nunc in Ecclesia Parisiensi quædam illius vestigia supersunt.

Tom. III.

EXERCITATIO XLIX.

De sexta Canonis Oratione. (ex t. 9. l. 2. c. 18.)

Sexta, & ultima Canonis Oratio incipit, *Nobis quoque peccatoribus*, quæ verba elata paululum voce dicuntur, & in consuetam clausulam, *Per omnia sæcula &c.* respondente Populo *Amen*, desinit. Feria tamen sexta Parasæves neque hæc, neque quinque præcedentes Canonis Orationes recitantur; sed abluitionem manuum statim Oratio Dominicalis sequitur.

Porro in hac sexta Oratione Sacerdos Deum precatur, ut se, & Adstantes, quorum nomine Sacrificium offert, in Sanctorum Consortium non estimator meriti, sed venia largitor admittat. Novit quippe Ecclesia, ad illud obtinendum necessariam esse gratiam, & veniam peccatorum, quæ sine nostris meritis datur per Christum Dominum nostrum. Aliam Hugo Menardus vocis *meriti* affert interpretationem, qui illam idem ac demeritum & peccatum significare asserit, juxta illud Augustini, *de cura pro mortuis*, cap. I., *quorum tam mala sunt merita*.

Distinctorum deinde Ordinum Sanctos Sacerdos invocat, diversos tamen omnes ab illis, qui in Canone ante Consecrationem dicto commemorati fuere. Hi secundum Martyrii tempus afferuntur, & sunt: Joannes Baptista; Stephanus Diaconus; Matthias Apostolus; Barnabas Discipulus; Ignatius Episcopus; Alexander Pontifex; Marcellinus Presbyter; Petrus Exorcista; quibus adjunguntur duæ Sanctæ Matronæ; Felicitas, & Perpetua, & quinque Virgines: Agatha, Lucia, Agnes, Cæcilia, & Anastasia.

Reperimus quidem in quibusdam Liturgiis, alia quoque Sanctorum, ac præcipue Confessorum nomina adjici; verum cum antiquitas non alterius, quam Martyris in Missæ Sacrificio meminisse concessum fuerit, specialis hæc quarundam Ecclesiarum disciplina nos minime movere debet, veterique totius Ecclesiæ consuetudini firmiter est inhærendum.

Cum autem duplex Sanctorum fiat commemoratio, una ante altera post Consecrationem; observandum est, per illam nos postulare, ut eorum obtineamus suffragia, communionem consequamur, virtutes, & gratias, quas nobis ex Sancto Sacrificio possumus polliceri, adipiscamur. Per hanc

G

vero

vero Deum oramus, ut in Sanctorum coetum nos admittere dignetur, veluti considerat Gilbertus Grimaud.

In hac Missa parte olim novi fructus, legumina, mel, carnes, Auctore S. Autychiano, benedici ad Altare consueverant; cujus Benedictionis plura Martene monumenta refert. Arbitrantur nonnulli, Benedictionem hanc post verba, *largitor admitte &c.* factam fuisse, atque sic sequentia, *per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas &c.*, aut solum ad fructus, carnes, aliasque res Benedictioni oblatas, aut ad Eucharistiam simul, & fructus referri debere. Verum dubitat de hoc Brunus, cum in aliquibus Ecclesiis frugum Benedictio ante Consecrationem, & peculiari quidem Oratione adhibita fieri consueverit. De hoc quidquid sit, illud exploratum habemus, ejusmodi Benedictionem, neque olim in qualibet Missa usurpatam fuisse, neque nunc in hac Missa parte fieri; verba vero, *Per quem &c.*, semper dici; quapropter eadem optime explicari poterunt, nulla frugum, & unica Eucharistiae habita ratione.

S. Bonsventura, Suarez, & alii hanc nobis offerunt interpretationem, ut scilicet dicatur; *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, quia Deus Pater omnia per Christum creavit, & jugiter renovat; *Sanctificas*: quia in Christo dona ad Altare oblata, sunt Sacra, & ab usu communi remota; *Vivificas*; quia Deus per Jesum patrem, & vinum vivificat convertens in verum illius Corpus, & Sanguinem; *benedicis, & præsias nobis*: quia Deus cœlestes super eadem Benedictiones diffundit, atque sic benedicta nobis in veram vitam largitur; *per ipsum*: Christus enim Deus, & Homo est verus Dei, & Hominum mediator; *& cum ipso* Deus enim est Deo aequalis; *& in ipso*; cum Patri sit consubstantialis; *est tibi Deo Patri Omnipotenti in unitate Spiritus Sancti omnis honor, & gloria*: Deo enim Patri per Filium, cum Filio, & in Filio, & in unitate Spiritus Sancti est omnis honor, & gloria.

Sacerdos ad verba, *sanctificas, vivificas, benedicis*, tria Crucis signa super Hostiam, & Calicem ducit; eaque juxta S. Thomam tres illas Christi in Cruce Orationes, *Pater ignosce illis; & Deus meus, ut quid dereliquisti me?* item, *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, nobis ob oculos ponere possunt. Pergit Sacerdos, & hostiam pollice, & indice tenens tria rursus ab una ad alteram Calicis oram Crucis signa facit dicens, *per ipsum, cum ipso, & in ipso*:

Ubi juxta Meratum recordari poterit ejus, quod Christus passus sit in corpore, in anima, & in honore; inde Sacerdos Hostiam adhuc tenens alia duo inter se, & Calicem Crucis signa ducit ad verba; *est tibi Deo Patri, Omnipotenti, in unitate Spiritus Sancti*. His vero signis extra Calicem factis Meratus nos instrui cupit, nequaquam dici posse Patrem, aut Spiritum Sanctum passum fuisse. S. Thomas addit dici posse, tot Crucis signa indicare, hujus Sacrificii consecrationem, acceptationem, & fructum, e virtute Crucis Christi manare.

Tandem Sacerdos Hostiam super Calicem tenens, dicit, *omnis honor, & gloria*, & utrumque paululum elevat, non tamen plusquam quaternos digitos, nec populo Sacra Mysteria ostendit. Tunc thure adolendi Eucharistiam consuetudo in quibusdam Ecclesiis invaluit, in aliquibus vero campanam pulsandi mos obtinuit, ut videre licet apud Mabillon., & Le Brun. Hæc elevatio longe vetustior est prima illa Consecrationis elevatione, & ante XII. sæculum ad hæc verba *omnis honor, & gloria*, fiebat, ad quæ Corpus Christi simul cum Calice populo circumstanti adorandum proponebatur. Introdacta autem secunda, posterior hæc elevatio ad hodiernum morem reducta est.

EXERCITATIO L.

De Oratione Dominica, (ex t. 9.
l. 2. c. 19.)

Nonnulli putant, Orationem Dominicalem partem Canonis esse, sed verior opinio apud Bellarminum sextam Orationem pro Canonis termino statuit. Orationi Dominicali Sacerdos verba præmittit: *Oremus, Præceptis Salutaribus moniti &c.* quæ vetustissima sunt, ut ex D. Hieronymo colligitur, eodemque fere modo Græci, Maronitæ, Mozarabes, & Ambrosiani pie præfantur.

Ipsis Apostolorum temporibus Dominicam Orationem in Missæ Sacrificio recitatam simul cum aliis precibus fuisse, jam superius abunde contra Novatores quosdam, & Hæreticos demonstravimus. Nihil igitur nobis superest, quam ut ritum, quo circa illam servatur, pertractemus.

Recitat eam Sacerdos elata voce, *ut vel eo pacto*, adstruente Belleto, *adhortetur, qui in fraterno sunt odio, & ad concordiam discordes excitentur antequam communiæ. At potiorum fortasse rationem sup-*

sappeditat Arcani disciplina, juxta quam neque Symbolum, neque Oratio Dominicalis dicebatur, ubi essent infideles, aut Catechumeni; hi enim neutrum docebantur, antequam in *Competentium* classem commigrassent. Quapropter in Horis Canonis Oratio Dominica submissa recitatur voce, quia iis Infideles, & Catechumeni adesse poterant; elata vero dicitur voce in Missa, quia ab hac Missæ parte ii abesse cogebantur, ut alibi diximus.

In Missa Græcorum tam solemnem, quam privata Oratio eadem nedum a Sacerdote, sed ab universo etiam populo, S. Gregorio M. teste recitari consueverat, ut ex vita S. Joannis Eleemosinarii Episcopi Alexandrini colligitur, & late ostendit Martene. Quando etiam in Ecclesia Gallicana aliquando observatum fuisse, ex miraculis S. Martini apud Gregorium Turonensem eruitur. In fine Orationis Dominicæ Sacerdos submissa voce dicit *Amen*, quo verbo oratio eadem apud Evangelistas clauditur, Abest tamen a Sacramentario S. Gregorii, quod edidit Menardus, fortasse, quia Oratio illa veluti continuatur per subsequentem orationem *Libera nos*, cui Minister addit *Amen*.

EXERCITATIO LI.

De Oratione, *Libera nos*. (ex t. 9.
l. 2. c. 19.)

IN hac Oratione Sacerdos Dominum] precatur, ut nos liberet a malis præteritis, id est peccatis, *presentibus*, scilicet tentationibus ad peccandum impellentibus; *futuris*, quæ sunt pænæ peccatis debitæ. Item ut nobis pacem largitur; nam cum peccato vera pax esse nequit. Et quia mala, quibus liberari petimus, diserte recesentur, idcirco a Ritualibus hæc Oratio græce *Embolismus* appellatur. Inde confugimus ad B. M. Virginem, Apostolos Petrum, & Andream, & omnes sanctos. Et olim juxta Micrologum dicebat Sacerdoti quoslibet alios Sanctos adjicere. In Codice Tiliano post S. Andream, Ss. Gervasius, & Protasius, & ab Ambrosio S. Ambrosius nominantur.

Porro S. Andreas hic ideo nominatur, quod primus ad Apostolatam vocatus fuerit. Et quamquam Ss. Cyprianus, & Gregorius hunc primatum S. Petro tribuant, id tamen non de tempore vocationis, sed de dignitate est intelligendam. Juxta antiquum Ordinem Romanum XI. apud Mabilloniam olim Festum S. Andree non secus ac solemnitas B. Petri a Romano Pontifice celebrabatur, &

officium partim ad altare S. Andree, partim ad S. Petri recitabatur. In Commentariis Pii II. extat præclara Oratio ab eodem habita, cum S. Andree Caput sibi ex Achaja missum excepit.

Ad hæc Orationem in Missa privata Sacerdos patena, quæ sub corporali jacebat, accipit; in Missis vero solemnibus Subdiaconus illam ab Offertorio usque ad finem Orationis Dominicæ velo involutam tenet, & mox evolutam Sacerdoti super Altare tradit; quam Cæremoniam a Parisiensi Ecclesia Acolythus peragit; in aliis Ecclesiis Diaconus patenam populo ostendit, antequam super Altare illam ponat, idque putat Pouget idcirco fieri, quod ad Communicationem populus invitetur.

Sacerdos ad ea verba, & *omnibus Sanctis*, patena se signo Crucis signat: nam per crucem Christus ea omnia disjecit, quibus pax nostra perturbatur. Tum eam ad verba, *in diebus nostris*, osculatur; quia patena instrumentum est pacis, & vas, ubi Sacra ponitur Eucharistia, quæ Christianorum est pax. Inde patenæ Hostiam superimponit, quo facilius ad frangendum tollere possit.

Natalis Alexander ritum hunc putat ad pium Sanctarum mulierum Officium referri, quæ emerunt aromata, ut . . . ungerent . . . Jesum, . . . & dicebant . . . Quis revolvat lapidem ab ostio monumenti? patenam autem hujus lapidis esse symbolum. Per illud Crucis signum, ait, annuntiarum, per Crucem, & per Sacrificium pagata esse omnia in Cælo, & in terris: per osculum vero ostendi, Christum desiderio satisfacisse Sanctarum mulierum, quibus obviam occurrit, & quas salutavit dicens. *Avete*.

EXERCITATIO LII.

De parte Missæ inter infractionem Hostiæ, & Communionem Sacerdotis. (ex t. 9.
l. 2. c. 20.)

Dictis superioribus precibus, Sacerdos genuflexione facta, sumit Hostiam, ac super Calicem frangit dicens, *per eundem &c.*: tum Hostiæ fragmento teno Crucis signa super Calicem ducit pronuncians hæc verba: *Pax Domini sit semper vobiscum*; ac fragmentum ipsum in Calicem immittit, addens: *Hæc commixtio, & consecratio Corporis & Sanguinis Domini &c.*

In quadam ex formulis ritus Ambrosiani legitur: *Corpus tuum frangitur, Christe*. Cum vero Fides Catholica nos edoceat, in-

tegrum Christi Corpus esse in quolibet Hostiæ fragmento, integrumque a Fidelibus summi, idcirco nonnulli ea verba a Canone Ambrosiana expungenda esse censuerunt.

His restitit Joseph Antonius Saxius Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus Epistola Mediolani edita an. 1731. Atque ex veteribus Ecclesiasticis monumentis erudite probavit, eam loquendi formam in Professionis Catholice formula reperiri, quam ab Humberto Cardinali præscriptam Berengarius in Concilio an. 1159. habito, Præsidente Nicolao II. recitavit; & ex hac, verba illa Canoni Ambrosiani desumpta esse contendit. Ad cuius sententiæ confirmationem etiam facit, quod simili quoque loquendi modo juxta Pontificale Romanum utatur Episcopus in Benedictione patens.

Porro facta Consecratione, remanet panis, & vini quantitas, color, & sapor, quæ *Accidentia*, in Concilio Constantiensi; & *species*, in Tridentino appellantur: illque accidentibus subest Corpus, Sanguis, Anima, & Divinitas Christi; Et ideo, ait S. Thomas, ipsum Corpus Christi non frangitur, nisi secundum Speciem Sacramentalem. Et hoc modo intelligenda est Confessio Berengarii, ut fractio . . . referatur ad speciem Sacramentalem, sub qua vere est Corpus Christi. Accidentia itaque, seu species, non Corpus Christi utpote incorruptibile, & impassibile, frangi possunt; adeoque si accurate, & Theologice loquamur, non est dicendum frangitur Corpus Christi, sed franguntur species: quamquam Theologice etiam dici possit: frangitur Corpus Christi, propter communicationem idiomatum, cui etiam in Eucharistia locus datur; qui post Juveninum idem Sixius advertit. Atque in hunc modum prædicta Ambrosianæ Liturgiæ verba sunt explicanda. Nonnulli naturam corporis ponunt in extensione: neque admittunt varia, & absoluta accidentia distincta a materia; verum juxta Catholicam Fidem fatentur, post Consecrationem in Eucharistia non remanere panis, & vini substantiam; sed species. Contendant autem, Deum per se, & proxime in nostros sensus agere, & coram Pane Eucharistico easdem modificationes in anima nostra, & impressiones excitare, quas panis ante Consecrationem operabatur. Sed hi quomodo fractionem prædictam recte explicare possint, vix concipiunt. Siquidem D. Paulus 1. ad Corinth. 1. v. 16. ait. *Panis, quem frangimus; nonne participatio corporis Domini est?* Cum igitur Corpus Christi vere non frangatur, & modificationes illæ frangi non possint, reli-

quum est, ut dicamus frangi species, seu accidentia panis, quæ re ipsa manent in Sacramento. Adde quod illa opinio modificationum videtur proscripita Romæ, ubi damnata est hæc propositio Josephi Balli: *Accidentia Eucharistica non sunt accidentia realia, sed mere illusiones, & præfigiæ oculorum*. Illam damnavit Inquisitio Panormitana.

Quod autem illa realia, & absoluta accidentia distincta a materia, seu substantia nota fuerint Patribus etiam ante millenarium, patet ex D. Ambros. relato a Mag. Sentent. in 4. din. 12. *Nihil falsi putandum est in Sacramento veritatis, vel sicut fit in Magorum præfigiis, ubi delusione quadam saluntur oculi, ut videant esse quod non est*. Ex D. August. citato a Valden. tom. 2. c. 83. *Nec credendum est, quod substantia panis, vel vini remaneat, sed panis in Corpus Christi, & Vinum in Sanguinem vertitur*. Ex Auth. Glossæ ordinariæ in cap. 11. 1. ad Corinthios: *Quæ autem remanent de prioribus substantia accidentia, scilicet color, sapor, forma, pondus nec ipsum corpus Christi afficiunt, nec in ea fundantur*. Ex Alenino lib. de Divinis Officiis cap. de Missa. *Consultens Deus infirmitati nostre, qui non solemus carnes crudas manducare, & sanguinem bibere, facit, ut in pristina remaneant forma duo illa munera, & est in veritate Corpus Christi, & Sanguis*. Post millenarium autem passim apud PP. invenitur sermonem institui de hujusmodi accidentibus. Pro omnibus sufficiat D. Anselmus seculo XI. ac proinde antiquis PP. proximior qui lib. de Corpore Domini ita ait: *Contra omnem secularis Philosophiæ rationem, & intellectum mutata panis substantia in aliam substantiam ad quodam mysterii obsequium quædam accidentia, quæ illi inherebant, sic transfuit non mutata, ut Corpus Domini, licet adsit albedo, non faciat album, nec rotunditas rotundum*.

Quidquid tamen de hoc sit, ejusmodi fractionis ipse Christus Auctor fuit in Eucharistiæ institutione, qui accepit panem, fregit &c. Eiusdemque mentio fit in Actis Apost. c. 2. & 1. ad Corinth. 10, & in omni Liturgia Hostiæ fractura præscribitur.

Græci Hostiam in partes quatuor dividunt, quarum unam sumit Sacerdos; altera distribuitur populo; tertia reservatur infirmis; quarta in Calicem immittitur. Qui Mozarabum sequuntur ritum, Hostiam dividunt in partes novem, & cum de Christi Mysteriis eis nomen imponent, primam vocant *In-carnationem*; secundam, *Nativitatem*; tertiam,

tiam, *Circumcisionem*; quartam, *Transfigurationem*; quintam, *Passionem*; sextam, *Mortem*; septimam, *Resurrectionem*; octavam, *Gloriam Christi in Cælo*; nonam, *Christi Regnum*, cum veniet iudicaturus Orbem.

Latini Hostiam in tres partes frangunt, quarum unam in Calicem injectam Sacerdos cum Sanguine, reliquas seorsim a Sanguine sumit. Olim vero una in Calicem immissa, altera a Sacerdote sumpta, tertia in plures frangebatur Particulas, quæ adstantibus, vel infirmis reservabantur. Quædam hujusmodi ritus in Missa Solemni Summi Pontificis, & in Missa, quæ celebratur in Consecratione Episcopi, vestigio supersunt; Pontifex enim altera sumpta, immissa in Calicem altera, tertiam in duas partes dissectam Diacono, & Subdiacono præbet: Episcopus vero Consecrator unam immittit in Calicem, altera ipse se, tertia Episcopum, qui consecratur, communicat.

Plures apud S. Bonaventuram, Hugonem a S. Victore, & alios sunt mysticæ rationes, cur Hostia in tres partes frangatur. Satis vero sit ea afferre, quæ S. Thomas secutus Can. *Triforme*, de Consecr. dist. 2. scripsit: nempe Hostiam in Calicem immissam significare in Cælo cum Corpore, & Anima esse Christum partem, quam sumit Sacerdos, innuere ambulantes adhuc in terra, qui Sacramentis utuntur, & ita *Passionibus conteruntur*, ut panis comestus dentibus atteritur; tertiam, quæ pro infirmis reservatur, denotare eos, quorum corpora usque ad iudicii diem in Sepulcro, animæ vero, vel in Purgatorio, vel in Cælo detinentur. Similem explicationem tradit Innocentius III. Addit S. Thomas, obsolescente quidem ætate sua morem tertiam partem reservandi, sensum tamen mysticum propterea minime cessasse. Alii apud ipsam dixerunt, partem, quæ in Calicem injicitur, significare Viventes in terris; alteram, quæ reservatur, Beatos, quoad animam, & corpus; ea, quæ comeditur, ceteros.

Populum salutat Sacerdos dicens; *Pax Domini &c.* neque ad eum se vertit, quod in Hostia fractione sit occupatus, eique benedicit per Hostiæ meritum, tria ducens super Calicem Crucis signa, quibus, vel juxta S. Thomam inquitur, Christam die tertia resurrexisse, vel juxta Innocentium III, Sanctissimam Trinitatem Christi Crucifixi animam corpori reddidisse.

Olim Sacerdos ante verba *Pax Domini &c.*, benedictionem dabat, quam Sacrorum Rituum S. scriptores Episcopalem appellant, quod ad

Episcopum pertineret, ut videre est apud Menardum. Apud Mozorabes etiam quisque Sacerdos celebrans ejusmodi benedictionem Populo impertiebatur, qui mox ad Gallicanam Ecclesiam juxta Mabilionium permanavit; sed Concilium Toletanum IV. can. 8. illud sustulit.

Vetustissima est consuetudo partem Hostiæ in Calicem immittendi, eaque præscriptæ in Liturgia S. Jacobi, & in Concilio Arausicano an. 441. Olim Eucharistia ab una ad aliam Ecclesiam, & a Summo Pontifice ad Subarbitrios Episcopos mittebatur. In duobus prioribus Romanis Ordinibus legitur, Papæ ad Altare proficiscenti, ut solemniter celebraret, Eucharistiam ab alio Sacerdote consecram, & in parvo ciborio asservatam exhiberi consuevisse, quam antequam Missam adorabat, ac postea in Missa ad verba *Pax Domini &c.*, ejus Particulam in Calicem immittebat, deinde aliam Particulam Hostiæ, quam ipse consecrasset, item in Calicem injiciebat. Id ipsum servabat Episcopus Subarbitrius, cui Pontifex Eucharistiam, seu Fermentum misisset; idque factam putat Mabilionius in comment. ad Ord. Rom., ut *Sacrificii unitas, atque unio Pontificis cum Sacerdote, qui sancta prius consecrasset, & Episcopi cum Pontifice commendaretur.*

Neque vero actio hæc particulam Hostiæ in Calicem immittendi mysterio caret. Cum enim in Missa usque ad hanc partem Christi Passio, & mors per Consecrationem Corporis, & Sanguinis separatim factam representata fuerit, reliquum erat, ut ejus resurrectio exprimeretur: quod optime fit per ejus particulæ in Calicem immisionem, cum sic optime representetur Corporis cum Sanguine conjunctio, uti observant Micrologus, & Innocentius III.

Hanc actionem Pouget, Auctor Catechismi Montispeffulani, & Vertus ortam putant ex ritu exhibendi Populo communionem sub utraque specie; deficiente enim vino consecrato, Hostiæ consecratæ particula in vinum non consecratum injiciebatur, illudque si non consecratum, saltem Sacræ contactu Hostiæ benedictum Populo præbebatur. Sed hanc sententiam nequaquam amplectimur, non quod existimemus, ejus Auctores credidisse, vinum non consecratum Sacræ Hostiæ contactu consecrari; ipsi quippe fatentur vinum per illum contactum benedictum solum, non consecratum fieri; sed quod nullum omnino validum documentum afferant, quo probent actionem illam, de qua nobis hic sermo est, ex usu immittendi Sacræ Hostiæ particulam in vinum non consecratum.

cratum manasse. Accedit, quod olim vix aliam ob causam Sacram Hostiam in commune vinum intingere licuerit, quam ut infirmis panis consecratus præberetur; ut ita egre fides adhibenda sit ei opinioni, quæ ex particulari hac, & tam arctis inclusa limitibus consuetudine; adeo sanctum, & in omnibus Liturgiis præscriptum, semperque in Missa usurpatum ritum profluere asserit.

In hac eadem actione Sacerdos dicit Orationem: *Hæc commixtio, & Consecratio Corporis, & Sanguinis &c.*; quæ Oratio omittitur a Carthusianis, a Feria sexta Majoris Hebdomadæ; quia tunc Hostia in vinum non consecratum immittitur. Innocentius III. vocem, *commixtio* referri vult, ad *species panis, & vini, quibus continetur Corpus, & Sanguis*. Altera vox *Consecratio* in quibusdam Gallie Ecclesiis omittitur, teste Pouget. Ejus tamen, & Orationis antiquitatem probat Bellarminus, eamque sic explicat, ut petamus: non, *ut unio fiat Consecratio, sed Consecratio autem facta sit nobis ad vitam æternam salutaris*. Ad di potest, Corpus consecratum sub specie panis dici Consecrationem Corporis, & Sanguinem consecratum sub specie vini dici Consecrationem Sanguinis; adeoque utrumque in Calice commixtum dici posse: *Consecratio Corporis, & Sanguinis*.

Postea Sacerdos inclinatus ter dicit *Agnus Dei*, ac ter sibi in signum contritionis pectus percutit, dicens, *miserere nobis*; quod itidem facit ad tertium *Agnus Dei*, ubi dicit *dona nobis pacem*. In Missis Defunctorum non percutit sibi pectus, nec dicit *miserere nobis*, ut significet juxta Hugonem de S. Victore, & Gavantum, Defunctorum se magis, quam sui memorem esse. Inde tres dicit Orationes, non ex antiqua Summorum Pontificum institutione, sed piorum hominum traditione, ut post Micrologium scribunt Bellarminus, Gavantus, & alii. Post harum Orationum primam, si danda sit Pax, dicit *Pax tecum*, quique pacem accipit respondet, & *cum spiritu tuo*.

D. Thomas agens de hoc ritu danda pacis docet, Populum parari ad Sacramentum percipiendum per pacem; in Missis vero Defunctorum non dari Pacem, quia tunc non pro præsentis pace Sacrificium offertur, sed pro requie Mortuorum, ac propterea harum Orationum prima ex præscriptione Rubricæ omittitur. Observavit quoque Albaspinæus, Missas Defunctorum olim fuisse privatas; Pacem vero in Solemnibus duntaxat dari consuevisse. In Missa quoque

Feriæ 6. in Parasceve pax in signum maroris omittitur.

Pax olim osculo impertiebatur, idque, *ut caritate*, ait S. Isidorus, *omnes reconciliati invicem, digni Sacramento Corporis, & Sanguinis Christi consocientur*. Et hæc consuetudo usque ad Innoc. III. tempora viguit.

Nunc Pax datur per amplexum, vel parva quedam præbetur ad osculum tabella, quam quidam *Osculatorium* appellant, in qua Crucifixi imago depicta est. Et hanc Card. Bona putat a Franciscanis Fratribus osculo substitutam fuisse, qui ut alios ritus, ita hunc quoque non sine ratione mutarunt. Refert quippe Bellotte, Christianorum oscula, quorundam hominum malitia, in ejusmodi oscula abiisse, quæ Ethnici impuræ, criminosaque amicitia causa sibi offerebant. Sacerdos, antequam det pacem, osculatur Altare, ut ostendat, se pacem dare non posse, nisi a Christo, quem Altare representat, illam prius acceperit. Olim osculabatur Hostiam, sed id nostra ætate illicitum est. Ceterum de Pacis osculo, quod etiam sanctum appellatur, mentionem faciunt Apostolus ad Rom. 16. B. Petrus Epist. 1. c. 5., Tertullianus, D. Augustinus, & alii. Græci, ceterique Orientales, atque Mozarabes pacem dant ante Præfationem. Apud Maronitas Sacerdos ante Præfationem Pacem dat Altari, & Sacris Mysteriis, deinde Miltro, ac tandem Populus sibi invicem pacem largitur. Vid. Perimezzium.

EXERCITATIO LIII.

*De Communione Sacerdotis,
(ex t. 9. l. 2. c. 21.)*

Post tertiam orationem, *Perceptio*; Sacerdos dicit ex *Psal. 115. Panem Cælestem accipiam &c.*, ac duas Hostiæ partes sinistra super patenam tenens, dextera terenis pectus sibi percutit vicibus, totiesque ingeminat, *Domino, non sum dignus &c.* quæ verba, paucis immutatis, ex Centurionis historia apud Matthæum c. 5. deducta, jam Origenis, & Chrylostomi tempore in usu fuisse, eorum Scripta declarant.

Inde easdem duas Hostiæ partes dextera accipit, ac signo Crucis se ipse signans dicit: *Corpus Domini nostri &c.*, & inclinatus Hostiam sumit. Postea ex eodem *Psal. 115. dicit: Quid retribuam &c.*, ac patena fragmenta super corporale colligit, ipsamque, & digitos super Calicem extergit. Calicem accipit, & ex eodem *Psalmo dicit*

cit; *Calicem salutaris &c.* & ex *Psalmo 17. Laudans invocabo Dominum &c.*; tum totum sanguinem cum particula in eo posita bibit.

Quivis Episcopus, seu Sacerdos stans Eucharistiam percipit. Ipse summus Pontifex post fractionem Hostiæ ad solum ascendit, ibique consistit, & stans erectus, complicatis manibus, Eucharistiæ Sacramentum expectat, nec prius sedet, quam os, & digitos purificaverit.

Nonnulli olim Romani Pontifices in solemnibus Missa in folio sedentes, facie ad populum conversa, Eucharistiam sumere consueverunt, ut Christi Passionem, & mortem exprimerent, qui palam passus, & mortuus est. Nunc vero summus Pontifex, facie ad populum conversa, sed in folio stans, se, aliosque communicat, corpore tamen inclinato; ob quam inclinationem ipse populo procul, & ex adverso adspicienti videtur sedens communicare, ut post S. Bonaventuram observarunt Rocca, & Casalius.

Olim Episcopi particulam Hostiæ in calicem positam, Diacono, & Subdiacono cum sanguine, qui superesset, relinquebant sumendam; hic tamen mos ab hodierno usu recessit, & solum a Romano Pontifice in Missa solemniter retinetur.

Peracta sic communione, Sacerdos dicit orationem: *Quod ore sumpsimus &c.* & accepto a ministro in Calicem vino, se purificat. De hac purificatione loquitur Innoc. III. in cap. *ex parte* de celebr. Miss., quem textum memorans S. Thomas, *vinum*, inquit, *ratione humiditatis sue est ablutivum, & ideo sumitur post susceptionem hujus Sacramenti ad abluendum os, sine aliqua reliqua remaneant; quod pertinet ad reverentiam Sacramenti.*

Pergit Sacerdos, ac vino, & aqua pollicem, & indices super Calicem abluat dicens: *Corpus tuum, Domine &c.* & hanc quidem ablationem Durandus ait, olim in locum mundum conjici consuevisse; nunc vero ob reverentiam Sacramenti, & propter periculum, ne quod fragmentum digitis, aut calici aliqua gutta sanguinis adhæserit, hauritur, & quod idem juxta S. Pium V. ab ea Calicis parte, a qua S. Sanguis haustus fuerat. Quid veteres hic præstiterint, incompertum esse testatur Card. Bona: tuto tamen dici potest, Ministros altaris diligenter cavisse, ne quid remaneret præter particulas, quæ communicandis infirmis afferrentur. Adnotandum pariter censeo, nemini licere in secunda hac purificatione solam adhibere aquam. Quamquam enim ea-

dem cum vino abluendi facultate polleat, non decet tamen, imo nefas est ab antiquis Ecclesiæ ritibus, & usque receptis caeremoniis discedere.

Quæritur nunc, in quo Sacrificii Essentia consistat? Sunt quidam, qui eam in Communionem consistere; Consecrationem vero actionem quandam præviam, ac preparatoriam esse, arbitrantur. Alii, inter quos Auctor Collationum Lycionensium, eam in Consecratione ponunt, oblationem autem, & Communionem partes esse sacrificii integrales existimant. At Salmanticensium sententia nobis omnium maxime probatur, qui essentiam Sacrificii in consecratione simul, & communionem collocant.

EXERCITATIO LIV.

De Communionem populi. (ex t. 9. l. 2. c. 22.)

POST Sacerdotis Communionem, si qui in Missa Eucharistiam velint suscipere, ad altare accedunt, & *Confiteor* a Ministro, *Mercatur*, & *Indulgentiam &c.* a Sacerdote recitatis, hic Pyxidem accipit, & dextera tenens Corpus Christi, semel dicit, *Eccce Agnus &c.* ter; *Domine non sum dignus &c.* Tum unicuique porrigit Sacramentum, facto antea cum hostia supra Pyxidem crucis signo, atque hæc verba proferens, *Corpus Domini nostri &c.*

Olim, observante Gavanto, *Confiteor*, ante communionem dici non consueverat, & Brunus ritum hunc ab Ordine Mendicantium sæculo XIII. introductum existimat. Omittitur in Ordinatione Presbyteri, cum Episcopus eum communicat, idque quia *concelebrat Pontifici*, ut habetur in Pontificali Romano: ac Episcopus solum dicit; *Corpus Domini nostri &c.* & Sacerdos respondet *Amen*: quæ verba quidam præcudam traditioni tribuunt; constat tamen ex vita S. Gregorii a Joanne Diacono scripta maximè esse antiquitatis.

Primis Ecclesiæ sæculis Eucharistia in manus virorum communicandorum tradebatur, postea ab iis sumenda, uti colligere licet ex Tertulliano, & ex D. Cypriano apud Pamela. Fœminis vero in linteum mundum, quod *Dominicale* appellabant, collocabatur, atque se pariter ipsæ communicabant, ut innuit S. Augustinus, & Concilium Antifiodorense. Baronius observat, olim sumptuosis Eucharistiam quasdam mensulas spongiæ politas apponi consuevisse; quibus mensulis

bedie linteamina successerunt, ut si quid forte decidat, his excipiatur.

Singulis, qui Eucharistiam sumserint, Minister vinum præbet, quo si velint, hausto, deglutire possint particulæ fragmenta, quæ ori, vel gutturi hæserint. Hanc consuetudinem Verus existimat, reliquias esse communionis, quæ sub utraque specie populo dabatur. Verum perperam eum id asserere demonstrat Brunus ex his, quæ de D. Chrysostomo referunt apud Palladium, *admonebat, scilicet, omnes, ut post communionem aquam, aut pasillum degustarent, ne cum saliva... aliquid e symbolo sacramenti... expuerent.* Martene deinde probat, morem hunc Monachorum instituto magis, magisque invaluisse, atque, ne forsitan quispiam arbitretur, per vinum Christi Sanguinem Laicis distribui, Concilium Provinciale Bituricen. an. 1384. & Concilium Aquense ann. 1583. statuerunt, vinum pro ejusmodi purificatione exhibendum esse in vase, *quod formam Calicis non præferat, neque sit Calix ad Consecrationem paratus.* Et Card. de Lugo improbatam, & minime ferendam esse docet consuetudinem a quibusdam Parochis introductam, qui si duas eadem die Missas celebrare deberent, in prima Missa Calicem cum vino purificabant, illudque in ipso Calice ob reverentiam Sacramenti bibendum offerebant laico, qui panem sumpsisset Eucharisticum.

EXERCITATIO LV.

De Missa privata, in qua nulli Communio administratur. (ex t. 9. l. 2. c. 22.)

PAUCA hic dicenda sunt de Missa, in qua nemo adstantium communicat. Ac Missa quidem apud nostros controversiarum Scriptores privata dicitur, vel quia in privato loco, vel quia in die festo, vel quod non ad Altare majus Ecclesiæ celebratur, nec Parochialis est, seu conventualis; vel quod privatae cuidam personæ medius Missæ fructus applicetur; vel denique quod solus Sacerdos Eucharistiam suscipiat. Missam postremo hoc nomine privata abrogare conati sunt, infernali perciti œstro, Lutherus, Calvinus, & Kemnitius.

His restitit Sacrosancta Tridentina Synodus, quæ sess. 22. docet, se optare quidem, *ut in singulis Missis Fideles adstantes... Sacramentali Eucharistia perceptione communicarent... nec tamen Missas illas, in quibus solus Sacerdos communicat, ut pri-*

varas, & illicitas damnare, sed probare, atque commendare. Quin etiam anathema illis infligit, qui dixerint, *Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, atque abrogandas.*

Non possumus quidem inficiari, veteres Christianos, qui Missæ intererant, omnes Eucharistiam suscipere consuevisse. Id quippe disertè refertur Micrologus, & Justinus Martyr, & habetur can. 23. Concil. Illiberitani, & in aliis vetustis monumentis. Imo in Germania, & alibi fortasse, seculo IX. quidam, qui pluribus eadem die Missis intererant, in eorum singulis V Valfrido Strabone teste, Eucharistiam percipiebant. Verum id zelo, & devotioni primorum Christianorum, non præcepto aut Divino instituto tribuendum est. Quare sancte etiam, & juste optat S. Synodus, ut qui Missæ interant, Sacramentum percipiant; sed æque sancte, & juste Missas commendat, in quibus solus Sacerdos communicat. Neque enim ad Sacrificii essentiam pertinet, ut ei aliqui intersint, & de Sacramento participant. Sacrificium enim ad Deum refertur, & ejus fructus æque ad absentes, quam ad præsentem pervenire potest.

Neque nos offendit illic Chrysostomi locus Hom. 3. in cap. 1. Epist. ad Eph. *Frustra, inquit, habetur oblatio quotidiana, cum nemo sit, qui participet.* Nam licet eos hic reprehendat S. Doctor, qui Missæ adstantes non communicabant, quod & Tridentinæ Synodi desiderio consonat; Non tamen quotidianam Sacrificii celebrationem, etiam si nullus Eucharistia pascatur, courgit; teporem tantum assistentium, non fervorem Sacrificantium inecat. Nec vox *frustra* ad Sacrificium, sed ab oblationem refertur; celebratio enim Missæ, partim ordinatur ad Sacrificium Deo offerendum, partim ad Populum Sacro illo pane reficiendum; quod si nemo communicet, frustra sit oblatio, quoad posteriorem, non quoad priorem finem, ut egregie respondet Card. Bellarminus, & ut ex aliis Chrysostomi locis confirmat Natalis Alexander.

Cæterum tota quæstio ad tria reduci potest, vel enim adversarii nostri contendunt, ad licitum, validumque Sacrificium opus esse, ut omnes omnino adstantes Sacramentum percipiant; & jam hoc neque felicioribus Ecclesiæ temporibus contigit, cum teste D. Chrysostomo Hom. 6. *Diaconus Communionis tempore terribili clamore, quasi quidam præco manum in altum tollens clamaverit: sancta sanctis, si quis non sanctus, non accedat: Quod etiam nunc in Ecclesia Græca usur-*

usurpatur; vel postulant, ut omnes ab omni peccato mundi in Missa communicare debeant; aut hoc conciliari nequit cum vetustis canonibus, qui refrigerente Fidelium caritate, quosdam dumtaxat solemnes dies statuunt, quibus Fideles Sacramentum percipiant. Vel denique ad Sacrificii validitatem poscunt, ut aliquot saltem ex iis, qui bene dispositi sunt, Eucharistiam in Missa sumant. Ad id quoque inaniter adstruitur, cum nullum de hoc in Ecclesia positivum extet præceptum; quod enim Christus *Luc. 22.* dicat: *Hoc facite in meam commemorationem*, id est præceptum solum affirmativum, cui parendum est, *pro loco, tempore, & personis*, ut loquuntur Theologi. Ex quibus omnibus patet, optandum quidem esse Fidelium in percipiendâ Divina Eucharistia zelum, non tamen ad sacrificii validitatem requiri alterius, quam sacrificantis communionem.

Favet concilium Toletanum XII. an. 681. habitum. Damnât enim perversam quorundam Sacerdotum consuetudinem, qui plures eadem die Missas celebrantes, in postrematum tantum communicabant, statuitque, *ut quoties sacrificans Corpus, & sanguinem Christi in Altari immolat, toties perceptioni Corporis, & Sanguinis Christi se participem præbeat*; Cum paulo superius dixisset *Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur?* Ex quo colligitur, Concilium postulare ad sacrificiam, ut quamquam adstantium nemo communiqueet, sacerdos tamen, quotiescumque celebrat, Sacramentum percipiat. Cujus Concilii auctoritas abunde sufficit, ut adstruamus, licite Missam celebrari posse, etsi præter Sacerdotem nemo ex adstantibus communiqueet.

Vehemens haud ita pridem Cremæ orta est contentio, utrum Sacerdos celebrans Missam ex præcepto Divino teneatur adstantibus, qui Eucharistiam bene dispositi postulent, ministrare? Controversiam sustulit Ss. D. N. Benedictus XIV. qui ad omnes Italiae Episcopos Encyclicam scripsit Epistolam 12. Novembr. 1742. in qua morem quidem laudat Eucharistiam ministrandi adstantibus, sed ad eam suscipiendam rite parati sunt; monet tamen, si Episcopi vetent, ne in quibusdam circumstantiis, & locis Eucharistia in Missa adstantibus ministraretur, non idcirco adversus eorum jussa turbas excitandas esse; hæc quippe ipsæ subministrant indicia hominum, qui ad Eucharistiam suscipiendam non bene dispositi cenferi debeant, præsertim cum hoc tempore tam multæ sint Ecclē-

siæ, tam multa Altaria, tam multi Sacerdotes celebrantes, ut si quis ad Altare, ubi Episcopus justis de causis Eucharistiam ministrari noluerit, communicare nequeat, alibi desiderium suum abunde explere valeat.

EXERCITATIO LVII.

De Communionem sub una solum specie,
(*ex t. 9. l. 2. c. 22.*)

Generatim aliqua de Laicorum Communionem differimus. Accedendum nunc ad morem, quo Ecclesia in ea impertienda utitur. Olim Fidelibus sub panis, & vini speciebus distribuebatur; Nunc vero sub foliis panis accidentibus distribuitur. In quo Tridentinæ Synodo inhærendum est, quæ docet Jesum quidem hoc Sacramentum sub specie panis, & vini instituisse, & sub utraque specie suis dedisse discipulis; nullam vero extare Divinum præceptum, quo Clerici, & Laici hoc Sacramentum non conficientes, ad id sub utraque specie sumendum obstringantur; neque ex ipsa Institutione præceptum hoc inferri posse. Quod ipsum docuit Concilium Constantiense, ac Tridentina Synodus pluribus Sacræ Scripturæ locis probat; ut ex *Act. Apost. cap. 1. Erant omnes perseverantes in Oratione; & Communionem fractionis panis;* & *1. ad Cor. 10. Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* & *cap. 11. Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne &c.* ubi particula, *vel*, quæ nequaquam conjunctiva, sed disjunctiva est, clare innuit, licere cuique sub utralibet specie Eucharistiam sumere.

Et sane si institutioni quoad omnes circumstantias inhærendum esset, Eucharistia post Cœnam tantum præbendâ foret, quemadmodum etiam lotio pedum, aliaque multa observari deberent, quæ Christus gessit; quod tamen nemo dixerit. Neque obstant verba *Matth. 26. Bibite ex hoc omnes;* vox enim *omnes* hic Apostolos respicit. Neque illud *Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem;* hæc quippe verba Christus dixit post consecrationem panis, & ante consecrationem Calicis; Quod autem ait D. Paulus *1. ad Cor. 11. Hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem,* id non absolute, sed hypothetice expressum videmus; non scilicet, ut omnes e Calice bibere teneantur, sed ut quotiescumque biberint, in Christi memoriam bibant. Neque ulterius officit locus Joannis, *Nisi manduca-*

caveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem &c. Nam particula, & hic vim habet disjunctivam, quod novum non est in sacris paginis, ut ceteris omissis, constat ex I. ad Cor. II., ubi paulo post, quam Apostolus ait: *Quicumque manducaverit panem, vel biberit Calicem &c.* addit: *Qui manducat, & bibit indigne &c.* ubi satis manifestum est, particulam, &, non copulative, sed disjunctive esse accipiendam.

Docet quoque Tridentina Synodus, nulli Catholico dubitandum esse, quin ad æternam salutem Communio sub specie panis sufficiat. Idque præter ea, quæ huc usque attulimus, illa præcipue confirmat ratio, quod totus, & integer Christus non minus sub specie vini, quam sub specie panis contineatur; ex quo Synodus ipsa infertur: *ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.*

Hunc Articulum nonnemo calumniatur, quasi S. Synodus fateatur, eum, qui unam tantum accipit speciem, aliqua non necessaria gratia fraudari. Verum id refellit Card. Pallavicinus. Ac licet Card. Bellarminus non neget, disputari adhuc inter Theologos, an plus gratiæ consequatur, ut utramque, quam qui alterutram speciem sumit; neque hanc controversiam fuisse a Concilio diremptam fateatur; probabilius tamen esse putat, & sensui Synodi magis consonum, æqualem ab utroque fructum obtineri, si uterque sit æqualiter dispositus.

Addit S. Synodus, non infrequentem superioribus temporibus fuisse alterutrum speciei usum; quo plane innuitur, haud ita rara fuisse eorum exempla, qui Eucharistiam sub una tantum specie sumerent. Atque ut exempla omittamus, quæ de hac re Ecclesiastica Historia suppeditat; luculentissimum habemus in Ecclesia Romana ante Pontificatum Leonis M. argumentum promiscui usus Eucharistiæ, vel sub utraque, vel sub alterutra specie. Nam cum Romæ maxima esset suspicio latentium quorundam Manichæorum, qui inter ceteros errores affirmabant, vinum esse Diaboli opus, & idcirco in Eucharistia unam solum panis speciem participabant, neque tamen a ceteris Fidelibus dignoscebantur, cum id, & a vere credentibus passim usurparetur: iussit S. Leo, tamquam Manichæos habendos, puniendosque, quotquot Eucharistiam sub vini quoque specie non sumerent. Quod ipsum statuit S. Gelasius apud Gratianum in *Can. Compertimus*, de Consecr. dist. 2.

Pergit Tridentina Synodus, & postquam

dixit, Ecclesiam auctoritatem habere statuendi, seu mutandi in administrandis Sacramentis, salva eorum substantia, quidquid, vel ad eorundem Sacramentorum venerationem, vel ad accipientium utilitatem, conducere existimasset; subdit, introductam fuisse consuetudinem; ut qui Missam non celebraret, Sacramentum sub specie dumtaxat panis susciperet; quam consuetudinem gravibus, & iustis de causis approbandam, & pro lege habendam esse decrevit. Id vero de Occidentali Ecclesia intelligendum est. Nam in Ecclesia Orientali, etsi per Quadragesimam, Sabbatis, & Dominicis exceptis, Eucharistia sub specie tantum panis præbeatur; tamen cum publica sitia Templis Communio, omnibus sub utraque specie datur; unicuique scilicet Sacra porrigitur Particula Sanguine intincta, & posita in cochleari, cujus exile, & prælongum est manubrium; quam consuetudinem, ab Humberto Sylvæ candidæ Cardinali improbatam, defendit Card. Bona. Pro infirmis vero grandior panis Fertia 5. in Cœna Domini consecratur, cujus quartam partem sumit Sacerdos; tres reliquæ partes in particulis, quas *Meridas*, seu *Margaritas* vocant, dividantur, ex quæ Sanguine intinctæ, statimque igni ad motu exsiccantur, ut per integrum annum, conservari, & cum opus est, moribundis communi vino emollitæ exhiberi possint, ut refert Allatus.

Quod vero ad Occidentalem Ecclesiam pertinet, D. Thomas, qui obiit an. 1274, postquam docuit, Sacramenti perfectionem non in usu Fidelium, sed in materiæ Consecratione consistere, testatur: cante reverentiæ Sacramenti consulendum esse, & ob metum, ne præbendo Eucharistiam Pueris, Juvenibus, Senibus, Sanguis effunderetur, in quibusdam Ecclesiis consuetudinem invaluisse, præbendi Eucharistiam sub specie dumtaxat panis. Accedit alia ratio: ne scilicet simpliciores crederent, totum, integramque Christum sub ea specie non contineri. Similia scripserunt Rodolphus Abbas S. Trudonis, qui vixit an. 1110., Rupertus Pullus Card., qui vixit 1160., & D. Thomæ cœvus Alexander Alensis. Quam consuetudinem longe, lateque diffusam Concilium Constantiense an. 1415. adversus Joannem Hus, & Hieronymum Pragensem pro lege habendam esse sancivit, eosque damnavit, qui contrarium tuerentur. Idem an. 1437. adversus Taboritas, & Calixtinos decrevit Concilium Basileense, & Tridentina Synodus an. 1562. adversus Lutheranos, & Calvinistas.

Tota hæc Doctrina Catholicæ innititur veritati, juxta quam totus, integerque Christus sub specie panis æque ac sub specie vini continetur; cui quidem Doctrinæ nil detrahunt eorum calumniæ, qui opinantur, a Christianâ esse caritate alienam subducto Calicis usu; Fideles uberiori illa fraudare gratia, quam bibendo Sanguinem consequerentur. Leges quippe de Eucharistiæ ministrandæ ritu, non modo argumentum gratiæ in suscipientibus Sacramentum, sed etiam hujus dignitatem, & venerationem respiciunt; alias illas etiam nutarent Ecclesiæ Leges, quæ vetant, ne quis sæpius, quam semel, eadem die communicet, aut sacrificet, cum & per frequentiore communionem augmentum gratiæ obtineatur. Vide Card. Pallavicinum Histor. Concil. Trident., & Pastoralem instructionem Card. de Tencan. adversus Courayeri novissima scholia ad Hist. Conc. Frid. Petri Suavis.

Cum autem Cæsaris, Galliarumque Regis Oratores Calicis usum etiam Laicis concedi postulassent, spe ducti eos, qui a Fide Catholica desciverant, hoc consilio ad signum Ecclesiæ reductum iri, Synodus Tridentina in varia Patrum opinione rem totam Romano Antistiti decidendam reliquit. Probe enim novit, jam olim a Summis Pontificibus, consideratis temporum circumstantiis, hanc facultatem Fidelibus tributam fuisse. Ubi tamen adnotandum, Pontifices semper voluisse, ut qui usum Calicis postulassent, discrete primum profiterentur, sese credere totum, & integrum Christum, tam sub una, quam sub altera specie contineri; uti colligitur ex Ænea Sylvio, seu Pio II. in Histor. Bohemor. Illud quoque semper prospexit Ecclesia, ut debita reverentia in participatione S. Sanguinis observaretur, ipsaque hæc concessionem, & dispensationem non alium scopum spectarent, quam ut Nationes devix ad unitatem Catholicam revocarentur. Atque in hunc finem Episcopus Pragensis in Synodo an. 1426. habita usum Calicis Hussitis permisit; quod tamen Martinus V. reprobavit apud Raynaldum ad an. 1426. Concilium itidem Basiliense eundem usum Bohemis, & Moravis, sub prædicta conditione concessit; sed abusus inde ortus, concessio revocata est; cujus rei documentum extat. Tom. 4. Spicilegii pag. 403. Paulus quoque III. & Julius III. suis in Germania Nunciis facultatem dederunt concedendi usum Calicis; qua tamen ipsi usi non fuerunt.

In casu vero nostro, Tridentino Concilio jam absoluto, Pius IV., teste Georgio Cal-

sandro Epist. III. Archiepiscopis, & Electoribus Ecclesiasticis facultatem concessit, ut in sua quisque provincia Catholicos deputaret Sacerdotes, qui sub utraque specie Eucharistiæ devote postulantibus ministrarent, addita conditione superius insinuatâ; ut scilicet ii, qui Eucharistiæ sub utraque specie præberi sibi vellent, profiterentur, *tam sub una, quam sub utraque specie verum, & integrum Christi Corpus contineri*. Adjunxit, ut declararent, Ecclesiam Romanam neque errasse, neque errare, quæ, exceptis Sacerdotibus, Missam celebrantibus, sub sola panis specie ceteris Eucharistiæ largitur. Hujus indulti impulsu dux ex tribus Lutheranorum partibus ad Ecclesiam Romanam remigrarunt; quod cum postea fucate, atque subdolo solum animo factum esse plurimæque in dies oritur scandala Pontifices intellexissent, Indultum Pii IV. primum a S. Pio V., deinde a Gregorio XIV. revocatum est, apud Raynaldum ad an. 1564.

Olim Romanus Pontifex in solemnî Missa, quam in Coronatione sua celebrabat, omnibus Cardinalibus Diaconis Eucharistiæ sub utraque specie præbebat (ut constat ex quadam Epistola de Urbani VI. electione in spicilegii Tom. 4. edita, pag. 306.) & ante exortam Hussitarum Hæresim Imperatori quoque, & Regi, non tamen Reginæ, sub utraque specie Eucharistiæ ministrare consueverat. Verum id post Hussitarum Hæresim sublatum legimus. Extat quippe apud Mabillonum in Mus. Ital. Tom. 1. Libellus Augustini Patritii, in quo Auctor narrat, Paulum II. occasione adventus Romam Frederici III. Imperatoris, Missam celebrasse, in eaque Imperatorem, Diaconum, & Subdiaconum propter Hussitarum Hæresim sub specie panis tantum communicasse. Idem apud Raynaldum ad an. 1530. Carolus V. Bononiæ a Clemente VII. coronatus est, & in solemnî Pontificis Missa Imperator, alique Principes sub specie tantum panis, Diaconus vero, & Subdiaconus sub utraque specie Eucharistiæ susceperant. Nunc in solemnî Romani Pontificis Missa Diaconus dumtaxat, & Subdiaconus Sacramentum sub utraque specie accipiunt, nec non Francorum Reges ex speciali privilegio in die suæ Coronationis, & in mortis articulo, imo quocumque id optarent, sub utraque specie communicandi potestatem habent. Quod privilegium etiam, teste Spondano ad an. 1352., Ecclesiæ S. Dionysii prope Lutetiam Diaconus in Dominicis, Festivisque solemnibus, & Ministri Cluniacensis Ecclesiæ in omnibus Festivis de præ-

cepto, obtinuerunt, ut docet Mabillonius in Comment. ad Ord. Rom. num. 9.

EXERCITATIO LVII.

De Orationibus post Communionem.
(ex t. 9. lib. 2. cap. 24.)

Sacerdos, sumpta ablutione, & Calice iterum composito, ad cornu Epistolæ se confert; & legit Antiphonam, quæ *Communionis* dicitur apud Gavantum, quia canebatur, dum populo Eucharistia distribuebatur. Canebatur vero alternis vicibus, donec Pontifex, qui Missam celebrabat, nutu monuisset, ut intonaretur *Gloria Patri*, teste Ord. Rom. num. 20.

Dicta Communionis Sacerdos e medio Altari populum salutatur dicens *Dominus vobiscum*, & ad Missale rediens Orationes, quæ post *Communionem* vocantur, recitat, ad gratias Deo agendas, quod tanta Mysteria nobis impartiri voluerit; unde olim hæc Missæ pars gratiarum actio dicta fuit; ut videre est apud Augustinum, & Rupertum. In quibusdam etiam locis hæc Oratio vocatur, *Complenda*, seu *Oratio ad Complendum*, id est Oratio, qua res tota finitur. Dicuntur dein totidem Orationes juxta Rubricas Missalis, quotquot Collectæ Canonis Præfationi præmissæ fuerunt. Per Quadragesimam vero in Missa feriali Sacerdos post formulam, *Humilitate capita vestra Deo*, addit Orationem, *super Populum*, quæ vetustissima est, ut colligitur e Sacramentario Gelasiano a Cardin. Thomasio edito, ac antiquitus per totum annum recitabatur, nunc vero solum per Quadragesimam; ut videlicet populus divino munia- tur præsidio adversus Diaboli insidias, quæ metuendæ magis sunt diebus Pœnitentiæ, ut explicat Amalarius, & Micrologus.

EXERCITATIO LVIII.

De Benedictione supra Populum.
(ex t. 9. l. 2. cap. 24.)

Haud item vetus est consuetudo benedicendi populo in fine Missæ; de ea enim silent Amalarius, Florus, alique xi. sæculi Scriptores. Ejus tamen mentionem facit Micrologus. Licet eam non ubique viguisse, ex eo eruatur, quod de ea fiant Ritualia Cisterciensium, & Præmonstratensium; qui Ordines exiguo post Micrologum tempore instituti fuerunt. Carthusiani, neque in solemnibus Missis populo benedicunt, nisi in

Templis extraneis celebrent. Rationem reddit Recoffen. in Missæ expositione Basileæ edita an. 1519., videlicet, quod Solitarii populum, cui benedicant, non habeant.

Et hæc quidem Benedictionem a Presbyteris populo impartendam respiciunt. Quod vero ad Benedictionem Episcopalem pertinet; ea vetustissima est, eamque *Martialis Episcopus, Apostolorum Discipulus, ex Magisterio Apostolorum tradidit*; ut ait Honorius in Gemma animæ; cujus vetustissimæ consuetudinis alia exhibet argumenta Christianus Lupus? Guido Abbas, qui xi. sæculo in Italia floruit, refert, ætate sua consuetudinem inolevisse, ut *Presbyteri post finem Missæ benedicant*. Sed controversatur, an ea consuetudo ab omnibus recepta, aut ab Apostolica sede approbata fuerit? De ea quippe silet Rupertus Abbas, qui ineunte sæculo xii. vixit, & S. Bernardus ipsis Abbatibus, licet Pontificalibus insigniti sint ornamentis, benedicendi facultatem denegat. Innocentius III. eam solis tribuit Episcopis. Nunc vero etiam Presbyteris convenit, Sede Apostolica approbante; quod tamen de simplici solum Benedictione intelligendum est. Nostre enim oportet, ternis olim Crucis signis Sacerdotes populo benedixisse; quod S. Pius V. in solis Missis solemnibus servari voluit; Clemens vero VIII. apud Meratum statuit, ut etiam in his Presbyteri uno tantum signo populo benedicant. Abbatibus autem regularibus ex Alexandri VII. Decretis potestas sit ternas dandi Benedictiones in Missis tantum Pontificalibus. Sicut autem varius mos circa benedicendi jura, ita pariter circa Benedictionum tempora observatus fuit. Sic antiquitus Benedictio quoque dabatur in Missis Defunctorum, non item nunc; quia in his Missis omittenda sunt quæcumque Solemnitatem redolent, ut advertit Le Brun. In Cathedrali Segarbiensi vetus consuetudo est, ut Canonicus, qui Missam Conventualem cantaverit, sub finem Missæ non det Benedictionem; consuetudinem mutari Episcopus postulavit, sed plures ex Canonicis resistere, & Doctores quidam Sorbonici apud Pontas, re discussa, nil innovandum censuerunt.

EXERCITATIO LIX.

*De Verbis, & Actionibus inter Communio-
nem, & Evangelium S. Joannis.
(ex t. 9. l. 2. c. 24.)*

DE Antiphona, quæ *Communio* dicitur, & de Orationibus, quæ post *Communio* vocantur, superius verba fecimus. Alibi quoque de formula, *Ita Missa est*, aliqua attulimus: videlicet a Diacono Catechumenos post expletam eorum Missam dimitti consuevisse, nunc vero de eadem formula, quatenus ad dimittendos post Sacrificii finem Fideles adhibetur, sermonem faciemus. Ea in omnibus Missis dicitur, in quibus, *Gloria in excelsis*, usurpatur, & hanc sensum præfert: *vobis abire licet, nam sit Missa, id est dimisso*. Græci in ejus locum substituant verba: *In pace Christi camus*, respondente populo, *In nomine Domini*. Porro Card. Bellarminus post Micrologum observat, dici consuevisse; *Ita Missa est*, in Missis dierum Festorum; illis enim plerumque populus intererat, non vero in Missis Ferialibus, quibus plerumque Clerici, & Monachi aderant, qui non dimittebantur, cum illis Divinum Officium continuandum foret. Ac Card. Bona putat, eam formulam omissam fuisse, quando populus non illi post Missam discesserat, sed ad Horas Canonicas, aut alias preces recitandas remanserat, eamque consuetudinem etiam in Missis quotidianis inyaluisse.

Quando autem omittitur, *Gloria in excelsis*, loco, *Ita Missa est*, dicitur *Benedicamus Domino*, ut invitetur populus ad gratias de expleto Sacrificio Deo agendas. Ubi Card. Bellarminus observat, in Dominicis Adventus, & Quadragesimæ dici *Benedicamus Domino*, ad ejus temporis incertitiam significandam. Tam post *Ita Missa est*, quam post *Benedicamus Domino*, Minister addit *Deo gratias*: qui ritus, quidquid somniaverit Vertus, & quamquam a Clericis Ecclesiæ Parisiensis omittatur, verustissimus est: a Carthusianis quoque usurpatur, habeturque in Amalario, & in Ordinibus Romanis.

In Missa pro Defunctis dicitur *Requiescant in pace, quod ex sola consuetudine*, ait Belletus, *natus est*, vel quia Missa tota ad ipsius quietem a Deo impetrandam tendit; vel quia post Missam populus non erat dimittendus, qui remanebat ad cadaveris sepulturam, aliasque preces pro Defunctis sol-

ventas. Porro Sacerdos, *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*, dicit, cum salutato populo ad Altare revertitur: idque, quia populum cohortatur, ut cum eo benedicat Domino, & oret pro anima Defunctorum.

In hac Missa parte Sacerdos bis populum salutatur dicens, *Dominus vobiscum*. *Prima salutatio*, inquit Biel, *Benedictionem illam significat, quam Christus ascensurus in Cœlum Discipulis dedisse legitur*. *ultima salutatio vitam æternam, quam Christus ascendens ingressus est*.

Orationem, *Placeat*, Sacerdos secreto recitat, quia peculiaris pro ipso Oratio est; inclinatus vero illam dicit, quia illam ad Sanctissimam Trinitatem dirigit. Hæc Oratio reperitur in pluribus Sacramentariis post sæculum IX. scriptis; & in Missa Illyrica, & in aliis apud Menardum, eamque explicat Biel.

EXERCITATIO LX.

*De Evangelio S. Joannis, & gratiarum
actione post Missam. (ex tom. 9.
l. 2. c. 24.)*

Post Benedictionem, & in Missis Defunctorum post Orationem, *Placeat*, Sacerdos se confert ad cornu Evangelii; dicto, *Dominus vobiscum*, Symbolo Crucis initium Evangelii, frontem, os, & pectus signat; legit deinde Evangelium S. Joannis, vel aliud, quod loco illius in aliquibus diebus Rubrica præscribit. In Evangelio autem S. Joannis ad illa verba: *Et Verbum caro factum est*, genuflectit, divinamque Verbum adorat, quod eo se dimisit, ut humanam carnem assumeret. Minister respondet, *Deo gratias*, ut Missa in gratiarum desinat actionem.

Gilbertus Grimaud in Lit. Sacra multa congerit monumenta, quibus Evangelii hujus apud veteres Christianos venerationem dilucider, atque demonstret illud olim post Baptismum Parvulorum, post Viaticum, & post extremam unctionem legi consuevisse: De prima tamen hujus usus origine dubitare videtur, quod nunc non amplius controversitur, cum omnes fere Theologi Guillelmo Bario consentiant, qui in *Notitia brevi Romæ Pontificum* id S. Pio V. tribuit scribens: *Inter alia ordinavit in fine Missæ a Sacerdotibus Evangelium S.*

Joannis; (quod ante non ex mandato hinc inde dicebatur) quia est veluti compendium mysteriorum principalium Fidei nostrae, Sanctissima Trinitatis, creationis mundi, Incarnationis Christi; qua proficitur tunc Sacerdos suo, & totius Ecclesiae nomine.

Sunt denique orationes quaedam, quas post expletam Missam Sacerdos dicit in gratiarum actionem, inter quas vetus est trium puerorum Hymnus *Benedicite*, uti monet Card. Bona *Rerum Liturg. l. 2. c. 2. num. 9.*

P A R S T E R T I A

DE QUIBUSDAM CASIBUS MORALIBUS IN MISSA OCCURRENTIBUS.

EXERCITATIO LXI.

Utrum Christus Jesus Apostolis, & Sacerdotibus praeceptum imposuerit celebrandi Missam? Utrum hoc teneatur praecepto Sacerdos, qui neque curam animarum habet, neque alium praecipuum ritulum, quo Missam celebrare teneatur? (ex t. 9. l. 3. c. 1.)

Pertractatis iis, quae specialiter ad Missae ritus spectabant, progredimur ad quaestiones morales, quae ad sacrosancti hujus sacrificii celebrationem maxime necessariae videntur. Et quidem quoad ea, quae praeceptum institutionis Missae respiciunt, jam supra complura attulimus: nunc adnotamus Tridentinam Synodum *Sess. 22. ad Sacrif. Miss. can. 2.* absolute definisse, anathematis etiam poena refragantibus imposita, Christum Dominum iis verbis, *Hoc facite in meam Commemorationem*, Apostolis, & Sacerdotibus praecipuisse, ut mysticum hoc Sacrificium in supremi Numinis gloriam, in Passionis memoriam, in Fidelium utilitatem caelesti Patri offerant. Quod etiam probat Apostoli locus ad *Hebr. 5. Omnis Pontifex . . . pro hominibus constituitur . . . ut offerat dona & Sacrificia*. Plures hujus praecipi congruentias D. Thomas considerat; quarum ea praecipua est, ut Fidelium animis memoria continuo habeat Passionis Christi; quam congruentiam praclare explicat Honorius in Gemma animae videlicet, *ut Christiani . . . & Sacerdotes . . . ardentissimo ejus (Christi) amore teneantur, & ejus mortificationem in suo corpore . . . circumferant*.

Nemo itaque de hujusmodi praecipto dubitare, salva Fide Catholica, potest. Illud tamen aliquando in dubium revocatum fuit, an hoc praeciptum singulos obliget Sacerdo-

tes? Et D. Thomas quidem eorum rejicit opinionem, qui affirmabant, sacerdotem posse a Missa celebranda toto vitae suae tempore abstinere, quin peccet, nisi curam habeat animarum, propter quam cogatur celebrare, ut populus Missae intersit, & Eucharistiam accipiat. Optime animadvertit S. Doctor, quod *Unusquisque teneatur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum . . . Opportunitas autem Sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad Fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrare, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui Sacrificium offertur*. Respondet deinde Angelicus Doctor objectioni illorum, qui agebant non minus ad Sacerdotem pertinere Eucharistiam conficere quam alia etiam Sacramenta administrare: cum vero ad haec non nisi in cura animarum teneatur, dicendum neque ad prius adstringi. Respondet, inquam, D. Thomas demonstrando alia Sacramenta ad usum solum Fidelium, Oblationem vero tam ad usum Fidelium, quam ad Deum referri, cui ex ordine jam suscepto obligatur.

EXERCITATIO LXII.

Quibus anni diebus Sacerdos, qui nullum, praeter Sacerdotium, ritulum habet, obligetur ad Sacrificium celebrandum; & an si legitime non impediatur, graviter peccet nunquam celebrando? (ex t. 9. l. 3. c. 1.)

Indagandum nunc est, quibus diebus Sacerdos nulla cura animarum, aut beneficio adstrictus, celebrare teneatur? Nonnulli Canonistae existimarunt, hunc Sacerdotem obligari ad celebrandum quotidie, ac moraliter peccare, quoties id negligit. Sed nimis duram hanc opinionem S. Antonius repu-

reputat. D. Thomas obligari eum dicit ad celebrandum in illis Solemnitatibus, in quibus *Fideles Communicare consueverunt*; Quod Sotus ita explicat, ut arbitretur, S. Doctorem non de novissimo locutum esse præcepto communicandi in Paschate, sed de vetere instituto suscipiendi Eucharistiam in Nativitate Domini; in Paschate Resurrectionis, & Pentecostes.

Sed verius dicendum est, S. Doctoris doctrinam cum Tridentina synodo consentire, quæ sacerdotibus animarum curam non habentibus præscribit, ut diebus Dominicis, & solemnibus Festis Missam celebrent. Idem statuit S. Carolus Borromæus in suo 1. Concilio Provinciali, & Concilium Rhemense ann. 1583., & Concilium Tolosanum an. 1594. habitum. Verum contingere potest, ut aliis etiam diebus teneatur Sacerdos Missam celebrare, puta si a Superiore suo jubetur, aut Missa opus sit ad particulam consecrandam, aut aliis de causis, quas suscipiuntur morales Auctores apud Passerinum.

At difficilior hic se offert quæstio, an scilicet Sacerdos, qui legitime non impeditur, Missam iis diebus, quos diximus, celebrare omittens mortaliter peccet? Id sane non definit D. Thomas; affirmat tamen Sotus, & ante ipsum Silvester. Juvenius vero, qui post Trid. Synodum scripsit, ingenue declarat, se non audere definire, an S. Synodi præceptum ejusmodi sit, ut ei, qui non pareat, lethalem culpam inurat.

De quo quidquid sit, id tamen certum indubitatumque tenemus, mortaliter peccare Sacerdotem, qui nunquam per annum celebraret. Quapropter S. Pius V. ab operibus Card. Cajetani propositionem illam jussit expungi, quæ asserbat, non nisi venialiter peccare Sacerdotem, qui nunquam per annum offerret. Unde ulterius inferimus, non posse absolvi Sacerdotem, qui in animum induxisset suum, nunquam per annum Missam celebrare, etiam si pro excusatione delinquendi consuetudinem, & peccandi habitum adduceret: prava enim voluntas nemine tuetur, effrænæque passiones coercendæ, atque rationis jugo premendæ sunt.

EXERCITATIO LXIII.

Utrum convenientius sit, & ad mentem Ecclesie propius accedat celebrare, an non celebrare quotidie, & celebrare frequenter, an minus frequenter? (ex t. 9. l. 3. c. 2.)

SUAREZ ad hanc quæstionem docet, quotidie Missam esse celebrandam; atque hoc ipsum Sacerdotibus inculcandum esse, ut scilicet singulis diebus mysticum hoc sacrificium offerant: tum quia sacrificandi munus non privatum, sed publicum est, nec Sacerdoti tantum, sed universali prodest Ecclesie; tum quia Sacerdos peculiare jus habet sacrificandi, eique præcipuum præsto est Dei auxilium, ut digne possit celebrare. Fateatur tamen decere interdum, ut vel propter reverentiam, vel propter timorem a sacrificando abstinemus, quod tamen vix absque spiritualis Patris, aut parentis viri consilio faciendum. Persicus ad hanc quæstionem observat, celebrare Missam bonum esse, *ex genere suo*, abstinere autem bonum esse *per accidens*; bonum vero *per se* longe melius esse, quam bonum *per accidens*. Pluribus aliis rationibus frequentem Missæ celebrationem suadet S. Bonaventura, & S. Antoninus, quas suscipiunt in Dictionario suo Pontas explicat cap. *Missæ*.

Sunt tamen, qui putant consultius esse, si pauciores Missæ celebrentur. Ac primo quidem ex Tertulliano, & Amalario dicunt pretiosius esse, *quidquid raro fit*. Addunt secundo, Auctorem de Imitatione Christi, adversum homines clamare, qui de hoc inestimabili dono nihil, aut parum cogitant, & quotidiana consuetudine in negligentiam, & indifferentiam decidunt. Tertio Odonis Abbatis Cluniacensis sententiam obtrudunt, qui affirmavit, in Ecclesie primordiis rarius, sed majori cum devotione Missam celebratam fuisse. Contendant demum, Sacerdotes rarius celebrantes, experientia teste, cum sensibili compunctione cordis, & multis cum lacrymis sacrificium offerre; ideoque non raro a prudentibus animarum Directoribus omittendæ Missæ consilium suppeditari.

Verumtamen argumenta hæc non tanti sunt, ut illis adhareamus. Primum enim, quod innunt, ad rem non pertinet; cum Sacrificii pretium non ex raro ejus usu, sed ex spiritualibus bonis, quæ ex eo manant, æstimandum sit; nec alterum nos ferit; cum enim frequentissimam Missæ celebrationem laudamus, illud certe volumus, eum, qui celebrat, bene esse dispositum. Tertium sequen-

quenti expendetur capite. Quartum vero ambiguitatem aliquam involvit; neque enim; quod sensibili cordis compunctione, & lacrymarum dono careamus, aut defectu aliquo laboremus, quotidiana propterea intermittenda est Missæ celebratio. Satis quippe est si celebrans indignus non sit, omnemque moralem, & quæ in hominem cadere potest, diligentiam adhibeat; Unde Joannes Gerson consideratione æt. excusationem hanc afferenti ita respondet: *sed frigidus sum, dicit, aut tepidus. Sæpe suscipit initium celebrationis hominem parum devotum, & frigidum, quem in fine calefcentem dimittit, & fervidum.* -

Quod ad Directorum consilia pertinet, generalem limitat regulam, non vero evertit, aliisque sanctissimorum virorum exemplis restringitur. Sic S. Philippum Nerium tradit Baccius in ejus vita, omnibus Sacerdotibus, quorum Confessiones audiebat, consuluisse, ut quotidie celebrarent; quibusdam vero id vetasse, ut eos mortificationi sabigeret, eisque majoris meriti occasionem præberet. Et S. Franciscus Salesius Sacerdotem quemdam, qui seu ob juvenilem ætatem, seu ob humilitatem, Dominicis tantum, & festis diebus celebrare solebat, solidissimis rationibus ad frequentiore Sacramenti usum adduxit.

EXERCITATIO LXIV.

An primo, medioque Ecclesia evorata Sacerdotum celebratio fuerit? (ex t. 9. l. 3. c. 2.)

Sunt, qui existimant olim rarum solum; non quotidianum Missæ celebrandæ Sacerdotibus fuisse usum. Horum monumenta hic congeremus. Dicunt itaque. Petrus Blesensis episc. 86. ad Alexandrum Monachum Carthusianum ait, *Petrus, & Paulus Apostoli atque ceteri, quorum laus est in Evangelio, non leguntur singulis diebus, salutis Hostiam immolasse;* Idemque verisimile est fecisse etiam eos, qui Apostolis proxime successerunt, & ceteros, qui sequentibus sæculis vixere, ut colligere licet ex veteribus monumentis, quæ Martene in lucem protulit. Præterea in libro Pontificali de Pontifice *Deus dedit* habetur; *constituit secundam Missam in clero;* unde infert Petrus Urbeveranus, & Vicecomes olim non nisi unam celebrari Missam consuevisse; & in vitis Patrum legitur, aliquem Sacerdotio initiatum primam dumtaxat Missam, nullam vero aliam celebrare voluisse, ut videre est apud D. Thomam. Ex Epistola

quoque S. Epiphani ad Johannem Hierosolymitanum conjicitur, S. Hieronymum Sacrificium nunquam obtulisse.

Cui consentire ajunt quod Guignes quintus Carthusianorum Generalis in suis Statutis ait: *Raro hic Missa canitur;* & sane ex vita S. Antelmi, ex eodem Ordine Episcopi Bellòvacensis colligitur, Missam tunc in eo Ordine non nisi die Dominico celebratam fuisse. Porro *Missam cantare* juxta eorum temporum idiotismum idem est, ac *recitare*, ut ostendit Mabillonius. S. Franciscus in sua Epistola, seu Testamento Fratribus suis injungit ut unica Missa quotidie in Conventibus, licet plures adsint Sacerdotes, diceretur *secundum formam S. R. E.* Idque, notat Fleury, S. Franciscum jussisse in majorem Missæ venerationem. Denique etiam nunc in Ecclesiis Græcorum unica per diem Missa celebratur, ut videre est apud Thiers, & Georginyts; eademque est, Dandino teste, Maronitarum disciplina, & Abyssinorum apud Card. de Lugo: item Moscovitarum apud Sigismundum L. B. de Herbestein.

Atque hæc sunt, quæ ex Ecclesiastica Historia depromere licuit ad hanc questionem pertinentia. Sed sua cuique vel facta, vel auctoritati responsio præsto est. Apostolos quippe, eorumque Successores ostendit Vicecomes in toto terrarum orbe Missam celebrasse, idque quotidie factum esse Walfeidus infert ex iis Actorum Apostolicorum locis: *erant perseverantes in... Communionem fractionis panis; & quotidie perdurantes... & frangentes circa domos panem.* Hoc ipsum disertè asseritur in Act. S. Andrea, quibus copulant primorum Ecclesiæ sæculorum monumenta, & exempla apud S. Cyprianum, S. Gregorium Magnum, Bedam, & alios; unde solide deducitur Missam ab Episcopis, aliisque Sacerdotibus quotidie celebratam fuisse.

Quod de Pontifice *Deus dedit* asseritur, ex eo penitus corrui, quod S. Leo M. jam ante providerit, ut Missæ multiplicarentur, & Populi necessitati satisfaceret, quemadmodum videre est in Can. *Nec esse*, de Consecr. dist. 2. Exempla eorum, qui Sacerdotio initiati, vel nunquam, vel semel tantum in vita Missam celebrarunt, generalem regulam statuere non possunt, uti advertunt Durandus, & Victoria. De B. Hieronymo nil aliud ex Epistola S. Epiphani in vincitur, quam noluisse eum in Monasterio Bethlemítico, Diocesis, ut contendebat Joannes Patriarcha, Hierosolymitanæ, Missam celebrare, ne ejusdem Antislitis offensionem

jacurreret, cum quo illi aliunde diffidium ob ordinationem ab alio susceptam fuerat. Nunquam vero eum neque Romæ, neque cum varias Regiones peragravit, neque in Eremo Missam celebrasse, incredibile prorsus Tournelyus existimat. Ceterum si quæ reperiantur proborum hominum exempla, qui raro Sacrificium fecerint, opponenda illis sunt innumera aliorum, qui sanctitate clari, nunquam, nisi morbo præpediti, Missam omisere, ut notavit Ss. D. N. in opere Canoniz. l. 3. c. 27. n. 3.

Nec quidquam obstat vetus Carthusianorum consuetudo, utpote eorum solitudini, aliisque singularibus circumstantiis innixa; quæ tamen juxta eorum Ordinis principia remitti poterat, ut lævulenter apparet ex allata Petri Blesensis Epistola, cum qua Lupus consentit. De S. Francisci Epistola multi multa, & diversa sentiunt: alii eam Apocrypham arbitrantur; alii ita explicant, ut in ea consilium, non præceptum, humilitatis testimonium, non statutum, se reperire existiment.

Ac licet revera aliud S. Franciscus censuisset, singularis tamen ejus opinio cum communis universalis Ecclesiæ consensu minime censeri posset. Verba vero illa, *secundum formam S. Romanæ Ecclesiæ*, præter ea quæ observat Lupus, Card. Bona existimat intelligenda esse, ut Missam Fratres *secundum formam Romanæ Ecclesiæ*, idest juxta Romanum ritum celebraret; ita ut, *forma Romanæ Ecclesiæ*, non ad singularem Missam, sed ad Romanum ritum referatur. Demum Sacerdotes Græci, ideo quotidie non celebrant, quod cum uxores habeant, ab iis multo ante tempore, quam Missam celebrent, debeant secubare; ceterum advertit Lupus, Cælibes, & Monachos, etiam inter ipsos quotidie Sacrum facere. Bocquillot autem, ubi veteribus aliquot monumentis probat, Monachos olim Missam quotidie non celebrasse, adjicit, non defuisse tamen, qui ex devotione, vel eleemosynæ gratia, uti etiam nunc, quotidie celebrarent. Utcumque hæc sint, semper magis consentanea est Jesu Christi, & Ecclesiæ sensui quotidiana Missæ celebratio, dummodo cum debitis dispositionibus conjuncta peragatur, ut advertit Grancolas.

EXERCITATIO LXV.

Quibusnam diebus teneatur Parochus celebrare? (ex t. 9. lib. 3. c. 3. & ex lib. 7. de Synodo Diœcesana c. 64.)

Hactenus de Sacerdotibus nulla animarum cura obstrictis loquuti sumus: nuac de Parochis differendum, circa quos pendendum est, quod Sacrosanta Tridentina Synodus Episcopos adhortetur de monendo Populo, *ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus Dominicis, & Majoribus Festis accedat*. Idem Concilium docet: *teneri unumquemque Parochia sua interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei*. Verbum vero Divinum a Parcho declarari vult *inter Missarum celebrationem*.

Jam vero admonitio hæc Populo facienda certe evincit Parochum obligari ad Missam iis diebus celebrandam, quibus juxta Tridentinam Synodum Populus tenetur *Parochia sua interesse*. Quapropter etiam in quibusdam Diœcesibus Parochi Synodalibus Decretis obligantur ad tres Missas in singulis Hebdomadis dicendas, ut videre est in 1. Provinciali Concilio Mediolanensi S. Caroli Borromæi.

Generatim igitur Parochi diebus Festis Missam celebrare tenentur, vel si legitime impediti sint, manus hoc alteri Sacerdoti committere, ut docet Sylvius. Idque juxta Sotum ex Parochianorum oritur obligatione audiendi Missam, & ex jure, quod habent illius audiendæ in Templo Parochiali. Nam licet possint præcepto audiendi Missam satisfacere, si illi adsint in quacumque Ecclesia Regularium non Parochiali, dummodo absit contemptus proprii Parochi, ut declararunt summi Pontifices Leo X. S. Pius V. & Clemens VIII. imo possint in quacumque alia Ecclesia Missam audire; obtinuit enim a multo tempore hujusmodi consuetudo in Ecclesia, & juri antiquo derogavit, ut docent Sylvester V. Missa, Trullenc, Navarrus in Manuali, & Barbosa in collection. ad Trident. tamen hoc non tollit, quominus possint, si velint Missæ Parochiali assistere, maxime ex obligatione, quam diximus, audiendi verbum Dei quod inter Missarum solemnities Parochus explicare solet. Unde Episcopi adherentes Tridentino monere solent fideles, ut Parochias suas adeant saltem diebus Dominicis, & festis diebus, quamvis eos cogere non possint ad audiendam Missam in propria Parochia,

quia contraria consuetudo in toto orbe naturam induit juris communis, ut tenent laudati Authores. Potest etiam contingere, ut aliis diebus, qui Festi non sūt, Parochi ad Sacrificii oblationem constringantur; ut, si infirmo Viaticum sit ministrandum, nec Hostia consecrata habeatur.

EXERCITATIO LVI.

Quibus diebus in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis Missa cantanda sit. (ex t. 9. l. 3. c. 3.)

APertissima sunt de hac Canonum Sanctiones. Honorius quippe III. in cap. *creatura* de celebr. Miss. iussit, in omnibus Cathedralibus, & Collegiatis quotidie cantari Missam Conventualem. Plura de hac re differunt Clericatus, & Meratus, ostendentes, Canonicos Cathedralium, & Collegiatarum obligari ad cantandam Missam Conventualem, vel etiam duas, quando id Rubrica Missalis præscribit. & in Synodo Provinciali Mediolanensi sub S. Carolo Borromeo, quam Sedes Apostolica approbavit, statuitur, ut si Capitulum duas Missas Conventuales cantare neglexerit, *illius... & alterius diei distributionibus mulsetur.*

Clemens quoque V. in sua Clement. 1. de celebr. Miss. statuit, ut quotidie in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis Horæ Canonice recitentur. Et quamquam Missa sub Horarum Canoniarum appellatione juxta cap. *Presbyter* de celebr. Miss. non contineatur; tamen ex Cau. *De his*, dist. 12. sub Divini Officii nomine comprehenditur; quapropter sicuti Divinum Officium, ita Missa quotidie in Cathedralibus, & Collegiatis celebranda est. Vid. Merat.

EXERCITATIO LXVII.

Quando celebrare Missam teneantur, qui Beneficium, vel Cappellaniam habent cum onere Missæ quotidiana? (ex t. 9. l. 3.)

EX quodam Decretali super hac re ab Alexandro III. edita vulgo Auctores distinguunt inter Sacerdotes, qui ob Beneficium, vel Cappellaniam teneantur quotidie *per se ipsos*, & eos qui non *per se ipsos*, celebrare tenentur. Ac de his, qui non tenentur *per se ipsos* celebrare, communis opinio est, si ipsi non possint, eos debere *per alium* satisfacere.

Eos vero, qui *per se ipsos* celebrare tenentur, quidquid alii senserint, dicimus, posse interdum ex legitima causa celebrationem Missæ omittere; non tamen eo die, quo emittunt Sacrificium facere pro Instituto Beneficii, vel Cappellania, Missam pro se, vel pro alio celebrare, multoque minus eleemosynam pro celebratione recipere. Ac licet non desint, qui arbitrentur, eos die illa, qua Sacrificium intermittunt, per alium satisfacere debere; cum tamen id nulla authentica, & legem faciente decisione statutum reperimus, ne nos quidem hac de re quidquam decernimus; sed litem in medio positam relinquimus. Ita plane Sacra Congregatio Concilii respondit 18. Septembris 1633. super aliquot dubiis ab Episcopo Colletensi propositis ad hanc materiam spectantibus.

EXERCITATIO LXVIII.

Quibus diebus Missam celebrare non liceat. (ex t. 9. l. 3. c. 3.)

NEque Feria 5. in Cœna Domini, neque sequentibus, Feria 6., & Sabbato possunt Sacerdotes privatas Missas celebrare. Nam licet in Can. *Vium*, de Consecr. dist. 1., & in Can. *Iterum*, de Consecr. dist. 5. statuatur, ut Missa quotidie celebratur. Generalis tamen hac regula restringitur in Can. *Sabbato*, de Consecr. dist. 3.; ut ibi advertit Glossa. In hoc quippe Canone dicitur: *Ut traditio Ecclesie habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.*

Non desunt quidem graves authores qui putant etiam Feria 5., & Sabbato Sancto posse Missas privatas celebrari, sed secreto, & sine populi concursu. Ita scilicet arbitrantur Bellotte, Suarez, & Card. de Lugo post Secum, & alios. Verum non est, cur a Decretis Sacre Congregationis rituum Apostolica auctoritate confirmatis discedamus, quæ disertissime vetant, ne quis tribus illis diebus privatas Missas celebrat. Alia Summorum Pontificum decreta, quæ hoc ipsam prohibent, videri possunt apud Meratum; eademque jubent, Ordinariis, si Festum Annuntiationis B. M. V., vel S. Josephi, incidat in Feriam 5. Parasceves, curare, ut eo die aliquot Missæ private ante Conventualem celebrentur, sicque præcepto audiendi Missam Fideles satisfacere valeant. Quod non item permissum est, si Festum illud in Sabbatum Sanctum devolvatur.

Ceterum de disciplina hac non celebrandi Missas privatas Feria 5., 6., & Sabbato

Majoris Hebdomadæ videatur Thiers, & Rupertus Abbas, qui docet, in maroris signum Ecclesiam nascituræ, ne Betia, 6. in Parasceve Missa celebratur.

EXERCITATIO LXIX.

An juxta disciplinam qua nunc viget, possit plures eodem die Sacerdos Missas celebrare. (ex t. 9. l. 3. c. 4.)

IN Fæsto Nativitatis Christi quisque Sacerdos ternas potest Missas celebrare, ita tamen, ut in primis duabus Missis purificationem non sumat, ne non jejunus Eucharistiam suscipiat. Ubi quæstio exoritur, an id in privatis etiam Oratoriis usurpari possit. Solet quippe Summus Pontifex, cum permittit, ut in privatis Oratoriis unica Missa celebratur, Festum illud, & quedam alia excipere. Interdum vero in gratiam eorum, quos morbus domo egredi non sinit, concedit, ut etiam in Nativitate Christi, aliisque diebus Solemnioribus Sacrum in privatis fiat sacellis; iis tantum in eo vertitur, utrum privilegium de unica tantum Missa sic intelligendum, an vero ad ternas etiam illas extendendum?

Ea de re actum est in Sacra Congregatione Concilii, cum Benedictus XIV. ei a secretis esset. Et ipse quidem, ut suo tunc muneri satisfacere, Discursum edidit, quo rationes tam pro parte negativa, quam pro parte affirmativa pugnantes exposuit. Quibus rite discussis, Sacra eadem Congregatio 20. Januar. 1723. licere respondit.

Præterea in Aragoniæ Regno, quo Aragonia, Valentia, Catalonia, nec non tamquam appendix, Regnum Majoricæ continentur, die Commemorationis omnium Defunctorum, teste Frances, quilibet Sacerdos Sacularis bina, Regularis ternas Sacra facit. Eadem quoque consuetudo Pampelonæ apud Dominicanos Cœnobit S. Jacobi, utpote olim Provinciæ Valentia subiecti, viget. Qui usus apud Sæculares vetustissima consuetudine, apud Regulares Julii III. vivæ vocis Oraculo, ut Angelus Elpinus, & Antonius a Spirito Sancto existimant, obtinuit.

Idem privilegium a variis vario tempore a Sacra Sedè effugiatum fuerat, sed irritò semper constat. Sic facultatem hanc Dux de Alcalá pro omnibus Hispaniarum Regnis ab Urbano VIII. petiit; nec factus voti composuit; sic pro omnibus Regularibus Lusitanie illam a Clemente IX. postulavit Dux Alencastris; sed eo Pontifice defuncto, nihil ea de re actum est; sic Archiepiscopus

Bracharensis a S. Congregatione, cui Clemens XI. negotium remiserat, repulsam tulit; sic denique plura similia postulata, aut silentio contestata, aut ignorata, aut prorsus rejecta remanserunt.

Tandem Ss. D. N. Benedicto XIV. Ferdinandus VI. Hispaniarum Rex Catholicus, & Joannes V. Portugallia, & Algarbiorum Rex Fidelissimus preces suas novis rationum monumentis suffultas iterarunt. Quibus permotus Pontifex peculiarem Congregationem super hoc deputavit, ac confertis a gratiæ Postulatore in librum unum, quem *De Ecclesiæ Catholica pietate erga animas in Purgatorio detentas*, composuit, argumentorum ponderibus iisque matura prudentia, solerti- que diligentia perpensis optatam diu gratiam concessit, ut scilicet omnes Sacerdotes tam Sæculares, quam Regulares in utriusque Regis Dominiis existentes die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum tres Missas, etiam duabus post meridiem horis, celebrare possent; ita tamen, ut Missa ex vi novi privilegii dicenda pro omnibus Fidelibus Defunctis, ac nulla accepta elemosyna, quamvis sponte oblata, applicarentur.

Nec vetera defunt exempla Sacerdotum, qui plures eodem die Missas celebrarunt, S. Albertus Monachus apud Rupertum Archidiaconum quas in die celebravit Missas. Walfridus Strabo testatur Leonem III., qui labente sæculo VIII. vixit, septem eodem die, interdum novem Missas celebrasse.

Hi tamen speciales, nec in exemplum trahendi, sunt casus; cum ipse jam Alexander II. in Cap. *sufficit* de Consecr. dist. I. affirmet, quod *sufficiat Sacerdoti unam Missam in die una celebrare*. In eundem modum loquitur Honorius III. in Cap. *Te referente*; & Innocentius III. in Cap. *consultuisti*, de celebr. Miss., qui ait, quod *excepto die Nativitatis Dominica, nisi Causa necessitatis suadeat, sufficiat Sacerdoti semel in die unam Missam celebrare*.

Inquirendum quid verba, *nisi Causa necessitatis suadeat*, significant. Glossa quidam, S. Raymundus, & alii veteres Theologi hos necessitatis Casus ponunt: Si videlicet Defunctus sepeliendus esset; Si iter facientes, aut hospites aliter Missa carerent; si infirmus Viaticum pereret, ac Sacramentum deesset; aut si aliquis Princeps, aut proprius Episcopus Missam non audissent, cum audire tenerentur; itidemque si nuptiæ in aliam die rejici non possent. Verum si isti Casus rite perpendantur, facile intelligitur, eos sub *necessitatis* voce nullo modo contineri. *Quod enim inconveniens est,*

est, ait Suarez, si Episcopus, vel alia persona nobilis Missam non audiat, quia nullus adest Sacerdos, qui jure possit illam dicere? Similia de Casu Nuptiarum docet Card. de Lugo; idemque de aliis Casibus sentiendum; & sane in Concilio Mediolanensi I. facultates omnes sublatae sunt, quas Episcopi dederant, plures Missas uno, eodemque die celebrandi, & in Concilio Mediolanensi V. allatae causae nullius roboris esse declarantur; quod etiam observavit Grancolas. Neque tamen per hoc quidquam praedictatum volumus aliis casibus, qui in Missionibus accidunt, & in quibus facultas Missionariis datur plures celebrandi Missas eodem die, ut videre est apud Verricellum. Neque aliis, in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob paucitatem Sacerdotum, aut Haeticorum, aut Infidelium persecutionem, ne Fideles Missa careant, opus est a Sacerdotibus duas Missas celebrari, uti habetur in Concilio Nemausensi an. 1283. habito. Qua in re quis ordo, quae norma observanda sit, in quadam Sac. Congregationis Episcoporum, & Regularium resolutione apud Fagnanum in Cap. in Ordinando de Simonia, & in Concilio Burdigalensi habito an. 1583. praescribitur.

EXERCITATIO LXX.

An Parochus duas Missas celebrare aliquando possit. (ex t. 9. l. 3. c. 5.)

Concedit Sotus, Parochum, qui duas habeat Parochias, duas posse Missas eodem die celebrare: si nempe in alterutram Parochiam non possit Populos convenire, nec alius Sacerdos sit, qui Missam celebrare queat; atque hanc fuisse causam putat Fleury. cur S. Leo III. toties eodem die sacrificaverit, ut superius ex Walfrido diximus. Quidquid de hoc sit, cum Soto consentiant Gonzalez in cap. *Consulti* de celebr. Miss. r. 2., Pirhing; Pasqualigus, alique communiter.

Quaestio tamen est inter Auctores, an Parochus facultatem debeat ab Episcopo obtinere duas Missas celebrandi? Quae quidem controversia componi posse videtur, si animadvertamus, quod licet forte facultatem celebrandi duas Missas, utpote jure sibi concessam, ab Episcopo postulare non obstringeretur, ille tamen debeat Antistitis sui submittere judicio examen, an talis sit necessitas, quae illi jus binas Missas dicendi tribuat.

Prudenter autem monet Sylvius, Parochus,

qui duas Missas, alteram in una, in alia Parochia alteram potest celebrare, non licet Ferae sextae Officium Majoris hebdomadae mane facere in una Ecclesia, illudque iterare in altera. Cum enim eo die particulam Hostiae cum vino non consecrato sumere debeat, post primum Officium non est amplius jejunus, adeoque ei non licet alteram Missam celebrare. Quod si in prima Parochia, cum Officium celebrat, vinum sumere praetermittet; ac speciem panis tantummodo sumat, ut jejunus idem officium in alia Parochia peragat, id profecto esset novum, & Ecclesiastico Ritui, quem Universalis adhibet Ecclesia, adversaretur. Neque ulla praeterea urget contraria necessitas, cum populus eo die Officio interesse minime teneatur. Quod si per incogitantiam Parochus in utraque Parochiali Ecclesia Sacramentum in sepulcro condidisset, in hoc casu quamquam Suarez putet, posse Parochum in priori Missa a vino abstinere, ut secundum Officium in altera Ecclesia celebraret; consultius tamen videtur, si in altera Ecclesia Officium omitteret, & Sacramentum reconderet in Tabernaculo.

In Orientali Ecclesia neque ab uno Sacerdote, neque in eodem Altari plures eodem die Missae celebrari possunt, nisi aliter gravis necessitas fieri postulet, uti Maronita Ecchellensis ad Morinum scripsit an. 1654. Et ita singularis Congregatio jussu Summi Pontificis de rebus Melchitarum an. 1729. habita, quaestionem super hoc movente Cyrillo quodam Patriarcha, censuit.

Quae etiam Episcopis curandum imposuit, ut vel in Templis plura essent Altaria, vel Sacerdotes concelebrarent; simulque admonuit, ut interim superstitionem illam a populi animis evellerent opinionem: Ideo videlicet secundam Missam in eodem Altari esse illicitam, qui jejunium per iteratum planeae, calicis, & ceterorum Sacrorum ornamentorum usum frangeretur.

Benedictus vero XIV. quamvis ritum hunc Orientalis Ecclesiae non improbaret; permisit tamen Presbyteris Graecis, & Albanensibus ut in suis Ecclesiis, vel Parochialibus, vel non Parochialibus praeter Altare majus, alia etiam minora Altaria, seu Cappellas erigerent, ubi Presbyteri Latini, vel Graeci suo tamen quique ritu, & paramenti celebrarent. Indulset etiam, ut tempore Quadragesimae non solum Dominicis, Sabbatis, & aliis festis diebus, sed etiam quacumque die Missas integras celebrare possent, reposito tamen antiquo usu Missae Praesantificationum in Ecclesiis Parochialibus. Alia quoque

que sapientissime disposuit ab hujusmodi Presbyteris tum Italo-Græcis, tum Græcis Melchiodis observanda circa Missæ celebrationem, & administrationem Eucharistiæ, ut videre est extom. 1. Bullar. pag. 167. n. 57.

EXERCITATIO LXXI.

De Oratorio privato, ubi etiam de Altari Pontificio, & an extra Ecclesias Missa quandoque celebrari queat? (ex tom. 9. l. 3. c. 6.)

EXtra omnem controversiam est, communis ordine non licere, nisi in Templis Deo solemniter consecratis Divina mytheria celebrare. Olim tamen per can. *Sicut* de consecratione dist. 1. Episcopis facultas competeat alia etiam loca, & privata Oratoria designandi, in quibus Sacrificium peragere. Id vero iis per S. Tridentinam Synodum ademptum, & omne jus privata Sacella concedendi ad Sedem Apostolicam retractum fuit. Ac licet Gilbertus *consult. canon. 5. de Sacrificio Missæ*, Sancti Concilii verba in favorem Episcoporum explicare conetur, incassum tamen laborat, cum Sac. Congregatio Sacrosancti illius Concilii interpres anno 1615. expressè declaret: *Facultatem hujusmodi licentias dandi ipsius Concilii decreto unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam*. Neque solis Episcopis per Concilium hoc derogatum, fuit; verum & Fratrum Prædicatorum, & Minorum revocatum privilegium, quo illis permittebatur usus Altaris mobilis, in quo ubique etiam extra Tempia, & Oratoria approbata Missam celebrare possent, ut clarissime decernitur in Decreto Clementis XI. die 15. Decembris an. 1703. edito.

Decretum hoc ob multos, qui quorundam sollicitantia, & errore irreperant abusus, ulterius extensum fuit ac inviolatam hætenus Episcoporum, & Cardinalium facultatem Altare mobile portandi restrinxit, & statuit: *Episcopis, & his majoribus Prælatibus, etiam Cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub pretextu privilegii clausi in corpore juris, neque alio quoque titulo, ullo modo licere extra domum proprie habitationis in domibus laicis, etiam in propria Diocesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiam si Diocesani consensus adhiberetur, erigi Altare; ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare sive celebrare facere*.

Circa quod tamen Innocentius XIII. in Bulla, *Apostolici Ministerii*, hæc modera-

tionem adhibuit, ut declaret decreto Clementino locum non esse, si Episcopus aut Cardinalis tamquam hospes in alicujus Laici Domo seu Diocesim visitando, seu iter faciundo commoretur, aut ex licentia Sedis Apostolicæ in Domo aliena extra Diocesim habitet.

Et hoc quidem de Altari solum mobili, non vero de Oratoriis privatis Episcoporum, & Cardinalium, quibus fixus est locus, intelligenda sunt. Hæc quippe Oratoria speciali indulto, quo ad Missarum celebrationem iisdem fere gaudent privilegiis, quibus Ecclesiæ consecratæ, ut videre est apud Brancacium in dissertat. de Privilegiis Cappel. Card. & Clericatum de Sac. Euch. decif. 8. n. 50. Aliquid etiam videtur hic dicendum de altari Pontificio. Hoc nomine vocatur illud, in quo solus summus Pontifex, & non alius, nisi expressa ipsius Pontificis licentia celebrare potest, ut invenitur in Ecclesia Lateranensi, Vaticana, aliisque Patriarchalibus Romæ, neque itidem celebrare ibi cuiquam licet nisi diebus a Pontifice statutis. Privilegium Altaris Pontificii Sixtus V. concessit Altari, quod Matritum dono misit Philippo Hispaniarum Regi, in quo ipse Pontifex sacrum fecerat in solemnibus canonizatione S. Didaci. Hoc etiam privilegio Benedictus XIV. decoravit Altare S. Joannis Baptistæ, quod Joannes V. Portugallia Rex simul cum magnifico sacello Romæ fabricari curaverat, Ulyssiponem mittendum, & in templo S. Rocchi Pp. Societatis Jesu collocandum Pontifex illud ipse sacraverat, & in illo omnium primas Missam celebraverat. Videtis tom. 1. Bullarii pag. 481. n. 16.

Quamquam autem viderimus, nequaquam concessum esse Missarum Solemnia alibi, quam in Templo, aut Oratorio Sedis Apostolicæ auctoritate constituto celebrare; urgente tamen necessitate, etiam in itinere, sub dio, in castris, & alio quovis decenti, & honesto loco Sacrificium offerri potest, dummodo tabula Altaris consecrata, ceteraque sacra ornamenta adsint. Cujus exempla habemus in his, qui per Infidelium regiones itinerantur, in Missionariis, in Cappellanis Castrensibus; licet & his in casibus Speciale Sedis Romanæ indultum desideremus.

EXERCITATIO LXXII.

De Missa Nautica. (ext. 9. l. 3. c. 6.)

Cum generali lege constitutum fuerit, ut in Sacerdotali Romano c. 47. habetur: *Ne in loco fluctuanti, ut in mari, vel*

fluminibus celebratur; Introducta fuerat certa Sacrificandi species, quo, & Fidelium devotioni subveniretur, & Sanguinis effusio, legisque contemptus eviteretur: Missa videlicet *Neutica* seu *Sicoa*, in qua Sacerdes Sacris indutus indumentis orationes illas, quæ neque ad consecrationem, neque ad communionem spectant, recitat, atque sic Fidelium animis aliquam Divini Sacrificii figuram exhibet. Legimus apud Gaufridum S. Ludovicum Galliarum Regem in captivitate sua quotidie similem sibi Missam celebrari curasse, & Macrus in vocabulario suo Liturgico nos edocet, id olim in trementibus Melitenensium pariter obtinuisse.

Non desunt Authores, qui existimant idem coram infirmis, aut itinerantibus pie fieri posse. Imo Moleon, in *itinere Liturgico* narrat etiam nunc in Dicecesi Claremontana, si quis meridie extremum diem obierit, nec ejus Sepultura ob corruptionis metum in posteram diem differri valeat, post prandium Missam Sicoam in anime ejus refrigerium celebrari. Quam tamen consuetudinem cum compluribus summa nota Theologis improbamus; meram enim, & quasi tanto mysterio indignam similitudinem continet, cum in ea nec sacrificetur, nec celebretur.

Quærendam nunc an liceat Missam veram in mari celebrare? qua de re licet universa Doctorum cohors plurima scripserit, in diversas tamen abiit Sententias: tota autem difficultas sita est in periculo effusionis Sacri Sanguinis. Quamobrem aliqui obfirmate negant celebrari posse Missam in mari; alii autem id admittunt tranquillo cælo, pacatis undis, tuto navigio. Cui sententiæ favet S. Antonius. 3. p. tit. 13. c. 6. §. 4., qui ait, nulla necessitate in mari, aut flumine celebrari posse, si probabiliter timeatur effusio Sanguinis; ergo si probabiliter hæc metuenda non sit, Missæ Sacrificium offerri potest.

Nec deest exemplum hæc in re miraculum. S. Vulfrani Archiepiscopi Sennonensis, de quo Surius tom. 2. ad diem 20. Martii. Cum enim is in navi in altum Oceani devedtus Missam celebraret, elapsa est patena e manu Ministri in mare; at hæc ad Sacri viri preces e fundo maris in Ministri manus rediit, unde Baronius concludit, non destitisse Sanctos Viros in mari etiam, cum tranquillitas esset, ralignata anchoris navi, celebrare Sacrosanctum Sacrificium Missæ. Deo maxime gratum, quod ipse tanti editione miraculi patefacit.

Nunc omnis lis sublata est, cum indulto

Sacræ Sedis id fieri liceat, dummodo hæc conditionis adfint: Tutum videlicet navigium, longa a litore distantia, tranquillam mare, & Sacerdotis, aut Diaconi alienijus præsentia, qui si quis concitetur morus, calcem ab effusionis periculo eripere valeat. De quo videntur indultum, quod Melitenf. Ordini conceffit Clemens XI. Et novissime Benedictus XIV. literis datis in forma Brevis die 15. Januarii anni 1742. Pontificatus anno secundo.

EXERCITATIO LXXIII.

An celebrare liceat sine sacris indumentis, & sine luminibus? (ex t. 9. l. 3. c. 7.)

EX can. *Ecclesiastica* dist. 23. item ex can. *vestimentis*, de consecrat. dist. 1. vulgo delucunt Auctores, præceptum esse Ecclesiasticam Missam cum omnibus Sacris Vestibus celebrari; ita ut graviter peccet Sacerdos, qui sciens, volensque, aut nulla, aut sita non omnia ad Sacrificium, designata adhibet ornamenta. Quod ita in universa obtinuit Ecclesia, ut sacrilegum, & depositione dignum crimen apud Orientales cujuscumque sectæ Christianos habeatur absque debitis Sacrificiorum vestibus ad altare accedere. Unde Pontas cum majori Doctorum parte existimat. Parochum etiam necessitate administrandi viatici consuetum, Eucharistiæ consecrationem potius intermittere debere, quam scandalo, & irriverentiæ, quæ ex omissione debiti ornatus consurgere possit, occasionem præbere. Immo nonnulli cum Cajetano, quamquam forte durius, arbitrantur, Sacerdotem etiam morti mortis urgente, non posse absque mortali peccato sine Sacris Vestibus Sacra mysteria peragere.

Eadem quoque ratione gravissimi Theologi ex Responso Honorii III. in cap. *Liternis* de celeb. Missar. deducunt, nefas esse sine luminibus celebrare, etiam urgente periculo Populum de festivo Missa, aut moribundum viatico privandi. Cumque communi consuetudine duo lumina, eaque aut cera aut oleo confecta requirantur, observandam tamen ex Auctore col. Lucion. tom. 5. pag. 549. & ex Gavanto ad rub. 20. de præp. Altar. exigentibus temporum circumstantiis sevyam etiam adhiberi posse, & unicam sufficere candelam.

EXERCITATIO LXXIV.

*An sine Ministro, an in pollutis Ecclesiis,
& quo tempore Missa celebrari queat?
(ex t. 9. l. 3. c. 7.)*

Quod ad Ministri præsentiam attinet, jam supra dum de Missa solitaria egimus, quadam antulimus. Nunc dicere sufficiat juxta decretalem Alexandro III. in cap. *Præposuit*, de Filiis Presbyterorum, generalem esse regulam, Presbyterum sine Ministri suffragio Missarum Solemnia celebrare non posse; quam tamen Sylvius 3. p. q. 83. a. 5., ita restringit, ut auctoritate gravium Doctorum saltus arbitretur: *De casu gravis necessitatis Sacerdotum non male facturum, si solus celebret, . . . ut si alioquin aut ipse Sacerdos, aut alius sit sine Viatico moriturus*. De casu vero, quo Sacerdos festo die nullam aliam Missam audire possit, nisi ipse sibi ministret, ut consultius opinetur eam omitti, quamquam celebrantem propterea non damnet.

In Templo autem, aut per homicidium voluntarium, & magnam sanguinis humani effusionem, aut per spontaneam seminis emissionem, aut per Excommunicati, Ethnici, vel Infidelis inhumationem polluto celebrare minime licet. Et quamquam in eo celebrans neque suspensionem, neque Excommunicationem, neque Irregularitatem incurrat, non tamen ingentis peccati expers est: utpote qui contra justam Ecclesiæ prohibitionem in re gravi agit.

Quærendum jam qua diei hora Missa dicenda sit. In qua re differtum Rubricæ Missalis habemus responsum, videlicet: *quæcumque hora ab aurora usque ad meridiem*. Ubi tamen animadvertendum more a Sede Apostolica tolerato introductum esse, ut Missa horæ triente ante Auroram, & post Meridiem, quinimo speciali Romanæ Sedis privilegio a Privilegiatis etiam citius aut ferius celebrari queat, de quo vide duo sapientissima Benedicti XIV. Edicta 13., & 68.

In pervigilio Nativitatis Jesu Christi post mediam noctem Missa conventualis ex eo celebratur, quod Salvator noster noctis tempore in vitales auras prodierit; cumque olim quidam ante mediam noctem privilegiis certis innixi Sacrificia obulissent, indecorum id arbitratus S. Pius V. omnia huc facientia indulta revocavit, & sustulit.

EXERCITATIO LXXV.

De fructus medii applicatione ex ipso munere (ex t. 9. l. 3. c. 8.)

Communi Doctorum, & ipsius etiam Ecclesiæ sententia triplex ex Missa Sacrificio fructus percipitur; *Generalissimus* nempe, cujus Fideles omnes sunt participes; *Specialissimus*, quo fruitur Sacerdos; & *Medius*, quem Sacerdos iis applicat, pro quibus Sacrificium offert. Cumque de prioribus nulla controversia occurrat, *medius* vero vel ratione officii, vel oneris Beneficio adjecti, vel præcepto Superioris, vel ob Eleemosynam applicetur, de singulis his quedam delibabimus, in omnibus mentem Sac. Congregationis Concilii Tridentini interpretis sequentes. Parochus itaque sive secularis, sive regularis eam animarum habens tenetur juxta decretum Trident. Synod. sess. 25. c. 1. omnibus diebus Dominicis, & festis de præcepto non solum Sacrificium pro Parochianis suis *offerre*, verum etiam declarante id Sacra Congregatione Concilii *applicare*. Ubi tamen eidem Sacra Congregatio Parocho pauperi concedit, ut si forte festo quopiam die percipiende eleemosynæ occasio ei sese offerat, medium fructum Benefactori applicari queat, dummodo Missam in Ecclesia sua celebret, & alio feriali die omniam pro Parochianis oblationem suppleat.

In Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis Missa conventualis quotidie celebranda non particulari alicui Benefactori, sed omnibus generatim benefactoribus applicanda est; & si cura animarum adjuncta sit, altera Missa omnibus Dominicis, festisque diebus pro populo offerri debet. Atque istæ sunt regulæ, quibus utitur Sacra Congregatio, quarum executionem Episcopis etiam, atque etiam, in omnibus suis de hac re responsis commendat, quasque quam plurimis sententiis confirmatas, optimeque in litteris Apostolicis a Benedicto XIV. an. 1744. 19. Augusti editis, expositas invenimus. Observandum tamen, eo onere minime gravari Ecclesias eas, quæ quidem Collegiatarum formam præferunt, revera tamen Collegiatae non sunt. Pauperes quoque Collegiatae, licet spectata natura rei ad quotidie applicandum teneantur, si tamen ad Sac. Congregationem Concilii recurrant, obligatio hæc illius remittitur, & ad solos Dominicos, festosque dies coarctatur.

EXERCITATIO LXXVI.

De obligatione applicandi ex Beneficio, vel ex præcepto Superioris. (ex t. 9. l. 3. c. 9.)

NULLUM profecto dubium est, eum, qui beneficium quoddam possidet cum onere applicandi, fructum quoque Benefactori applicari debere. Quod etiam ita sentiendum, quamquam nulla applicationis, sed solum celebrationis in institutione fiat mentio: Generalis enim a Sac. Congregatione Concilii stabilita est regula præsumi eum, qui Beneficium, seu Cappellaniam instituerit, & onus celebrandi Missam adjecerit nulla mentione facta applicationis, voluisse, Missam applicari animæ suæ. Nam eisi juxta regulam juris 57. in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, sit interpretatio faciendâ;* tamen juxta regulam 45. eodem. *Inspiciamus in obcuris, quod est vero similis.*

Idem censuit Sacra Congregatio in causa Ventimil. 28. Aprilis 1700. ubi quærebatur, an Sacerdos ex verbis Testatoris, quæ orationis solum, non applicationis mentionem faciunt, teneatur Missam applicare; cum aliud sit *orare*, aliud vero *applicare*. Ubi velim observes præsumptionem hanc locum non habere, si a validiori præsumptione vincatur. Idecirco si Fundator jasserit, certum sibi Missarum numerum applicari, de aliis vero nihil amplius dixerit, quam ut ea celebrentur; aut si Fundator Cappellanias aliquas instituerit cum onere sibi applicandæ Missæ, aliquas vero cum onere pro se orandi, ex hoc diverso loquendi modo diversa oritur ratio. Quamobrem Sac. Congregatio respondit, nullam obligationem esse eas Missas applicandi, sed in primo casu celebrandi solum, in secundo vero ad *Memoriam* commemorationem faciendi. Vid. ejus respon. in causa Ferar. die 11. Junii 1700.

Sacerdotem Superiori subjectum ex voto obedientiæ ad illius imperium Missam applicare debere, extra omne dubium est. Quæritur tantum, an si, non obstante hoc mandato, Missam alteri applicet, ad quemnam fructus Sacrificii perveniat. Ræqualiguis diversa auctorum in hanc rem colligit sententias; veram tamen eam tenemus, quæ fructum ei, cui Sacerdos intendit applicare, adjudicat. Sacerdos enim sacrificii non solum Minister, sed & Dispensator est; ac sicut in conficiendo Sacramento, ita in ap-

plicando nequaquam a Superioris auctoritate pendet.

EXERCITATIO LXXVII.

De obligatione applicandi ex Eleemosyna. (ex t. 9. l. 3. c. 9. & c. 22.)

FREQUENTIOR est obligatio applicandi, quæ oritur ex accepta Eleemosyna. De qua licet complura dici possunt, aliquas tamen solum regulas maximam eorum, quæ circa hæc occurrere possent, partem complectentes statuerè lubet; Ac *primo* quidem non excusatur ab applicatione Missæ, qui Eleemosynam accepit, licet taxa Diocesana minorem, ut definiere Urbanus VIII. & Innocentius XII. PP. MM. *Secundo* qui a pluribus plures exiguas accepit Eleemosynas pro Missarum applicatione, tot Missas applicare tenetur, quot Eleemosynas cumulus ille pecuniarum effecerit, ita declaravit Synodus Diocesana a Card. Jacob. Boncompagnio habita, & supra allatis PP. decretis innixa. *Tertio* qui Eleemosynam accepit taxa Diocesana majorem, ac Missam dein alteri celebrandam committit, eidem etiam totam hanc Eleemosynam tradere debet nihil profus licet altero consentiente sibi retinendo, sic Sacra Congregatio Concilii 1. 24. Decr. p. 246. & Ss. N. S. in Litteris quæ extant in Bull. t. 1. p. 57. *Quarto* licet fructus Sacrificii sit tam satisfactorius, quam impetratorius, nefas tamen duplicem accipere Eleemosynam, ut videlicet unus fructum applicetur V. G. alicui Defuncto, alter cuiquam Infirmo, hoc fuit definitum a S. C. Conc. 13. Decemb. ann. 1659. *Quinto* non potest Sacerdos Eleemosynam accipere, ut fructum Missæ specialissimum alicui applicet; ut patet ex propositionibus ab Alexandro VII. 1655. damnatis. *Sexto* demum, prohibitum est Sacerdoti Eleemosynam capere pro applicandis Missis iis diebus quibus specialis obligatione tenetur ad eas pro determinatis, aut Fundatoribus, aut aliis personis applicandas.

Ceterum sciendum, Missam, a Sacerdote eo tempore applicari debere, quo Offerens id expetit; si Sacerdos secus fecerit, ad restitutionem tenetur: Sic si quispiam Eleemosynam offerat, ut in proxima decidenda lite merito hujus Sacrificii Judicis mens illuminatur, Missa vero demum post sententiam latam dista fuerit; Sacerdoti Eleemosynæ restitutio incumbit.

EXERCITATIO LXXVIII.

De aliis quibusdam ad applicationem spectantibus: (ex t. 9. l. 3. c. 9. & c. 19.)

Expendit Sylvius hic quos alios casus; an videlicet Sacerdos Missam indeterminate pro primo, qui Eleemosynam oblaturus est, applicare possit; aut an Missæ applicationem tandiu suspensam tenere valeat, donec aliquis Eleemosynam pro applicatione alicujus Missæ exhibeat? Ad utrumque ob detestandam, quæ hic apparet, avaritiam, & indignam tanto mysterio irreverentiam, negative respondet.

Possunt tamen fundate quædam Missæ anticipari tempore, nisi ex Beneficii institutione constet, voluisse Fundatorem certis diebus illas dici, vel ut quædam Altaria Missa non carerent, vel ne alicui Loco determinatis diebus Sacrificium desit.

Porro ille, qui ad quotidianam Missæ applicationem vi Beneficii adstrictus est, in die Nativitatis ad unius solum applicationem obligatur, nisi expresse contrarium in institutione jubeatur. In commemoratione vero omnium Defunctorum non quidem a celebrandi, sed tamen ab applicandi opere liberatur, ita ut Missam suam vel aliqui Defuncto, vel Defunctis omnibus applicare possit; de quo vide Pasqualigam q. 1134.

An vero Parochus, & Ecclesiæ Collegiatæ omnes tres Missas, aut unam tantum Natali Domini seu pro Parochianis, seu pro Benefactoribus applicare debeant, nullo judicio definitum reperimus; Parochiam tamen ad celebrandas tres Missas ad devotionem, edificationemque gregis sui teneri existimamus.

Non abs re futurum arbitramur, si hoc loco quædam universaliter de Sacrificii applicatione adnotaverimus. Cum igitur quaeritur: an applicatio Sacrificii, Dei arbitrio relinqui possit, in quo diversæ Theologorum sunt opiniones, tutissimum existimamus, ut Sacerdos, antequam ad Altare accedat, eas personas determinet, pro quibus intendit Sacrificium offerre, imo, uti docet Cardinalis Bona in tract. de Missa c. 1. *eas specialiter, & nominatim exprimat, non generaliter, & in confuso, quæ singulis minus prodesset*; addit ulterius primo debere Sacerdotem Sacrificium iis applicare, quibus aut ratione Beneficii, aut Eleemosynæ, aut Promissionibus obstrictus est; deinde vero, & alios, seu in charitate sibi conjunctos, seu quovis nomine commendatos includere posse.

Tom. III.

Quo vero tempore applicationem fieri oporteat, disceptatur. Ille enim, qui essentiam Sacrificii in Consecrationem collocat, monent Sacerdotes, ut ante Consecrationem Missam applicent; illi vero, qui ejus essentiam in Consecratione simul, & assumptione ponunt, intermedio etiam inter has duas Missæ partes tempore, & fructum Sacrificii applicari posse docent; Optime omnium se ab his difficultatibus expediet Sacerdos, qui in preparatione ad Missam istud præstiterit.

EXERCITATIO LXXIX.

De Validitate Sacrificii, quoad Ministrum. (ex t. 9. l. 3. c. 10.)

CUM Sacrificium, & Sacerdotium tam arcto inter se copulata sint nexu, ut unum ab altero nunquam segregari queat; Necessè profecto est ad Sacrificii validitatem, ut Minister ejus rite, legitime, & valide in Sacerdotem sit ordinatus.

Non subjiciemus nos hic trutinæ omnia ea, quæ ad Ordinationis validitatem expendantur. In disquirenda solum intentione Ordinantis, & Ordinati subsistemus. Utramque enim ad valorem Ordinationis necessariam esse; nullus est Theologorum, qui dubitet.

Et quidem; ut ab Ordinantis intentione inchoemus; introducto in Pontificali Romano more ante Ordinationem monentur, ut sub excommunicationis pœna, si aliquo canonico defectu irretiti sint, a suscipiendis Ordinibus abstineant. Non tamen ex eo censetur Episcopus intentionem non habuisse ordinandi eos, qui non obstantibus impedimentis canonicis se ordinari passi sunt; cum intentio ejus contraria non fuerit determinate, & clare expressa. Quare ad Sacerdotalem dignitatem evesti, quamquam illicite, & valide tamen ordinati fuerunt. Ast quaeritur si Episcopus vel per Edictum publicum, vel quovis alio expresso, & indubitato modo declaret, se canonico defectu implicitos nullo modo ordinare velle, an sic ordinati valide Ordines susceperint.

Aliqui respondent, Ordinationem validam esse, vel quod Edictum hoc ad terrorem solum incutiendum editum sit, ut Serry arbitratur; vel quod Episcopus intentionem suam mutasse præsumatur: cum vix credendum sit eum in applicatione formæ, & materie Sacramenti nihil voluisse agere ut Caballus putat.

Verum contrarium decidit Sac. Concilii congregatio anno 1586. die 23. Januarii, &

K

décree.

decrevit manuum impositionem super eos qui in tali Episcopi declaratione excepti fuerunt, vacuam, nulliusque effectus fuisse. Quod secunda judiciali Sententia 1682. die 17. Februarii in causa Episcopi Charachien- sis in America, confirmatum fuit, qui ab Indis ad quartam usque generationem progenitos a Sacris Ordinibus exclusit, atque Edicto declaravit, tales a se inscienter ordinandos contra suam intentionem, & consequenter invalide ordinatos fore. Quod quidem Edictum licet Sacra Congregatio improbaverit, Ordinatos tamen ipsos invalide Ordines suscepisse declaravit.

Quapropter si quodpiam de intentione Ordinantis dubium occurreret, S. Penitentiarie praxis observanda est, quam Cardinalis de Lugo ita comprehendit: *Non debet res adeo gravis dubiis exponi; unde si casus accideret, ego Sacerdoti eo modo ordinato cum tali impedimento consulere, ut, si commode potest, adeat eundem Episcopum, eiusdem intentionem exploret, qualis fuerit. Quod si hoc fieri non possit, recipiat iterum sub conditione Ordinem, ne maneat in illo dubio cum periculo invaliditatis aliorum Sacramentorum, que ex Sacerdotio dependent.*

Quæ omnia ut penitus intelligantur, sciendum: Vulgo triplicem apud Theologos esse intentionem. *Habitualem* videlicet, quæ voluntas quædam est non operans, neque in actum influens ex actibus præcedentibus relicta: *Actualem*, que præfens quædam animi est intentio; & *Virtualem*, que perseverat vi proxime præcedentis actualis intentionis. Hæc ab antiquis, & a S. Thoma habitualis dicta est, licet in eorum mente nihil cum illa a nobis adducta habituali intentione commune habuerit.

Ex his omnium optima in conficiendis Sacramentis, & in Ordinatione est *actualis, virtualis* sufficit solum; *habitualis* vero inutilis est. Generatim vero observandum, intentionem conficientis Sacramentum ita esse debere comparatam, ut intendat facere illud, quod facit Ecclesia, juxta Conc. Trid. sess. 7. can. 11. unde & ille, qui extrinsecus se jocari ostendit, nec internam habet intentionem, & is, qui serio externum ritum exequitur, sed intrinsecus nullam habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, invalide Sacramentorum formam, & materiam adhibet, ut demonstrat Card. Grotius t. 13. Theol. quæst. 7. dub. 4.

Ex quibus omnibus deducitur, ad hoc, ut Sacerdos valide Sacrificium offerat, in eo ab Ecclesia requisitam intentionem exigi; ul-

terius quoque patet tam in Ordinate, quam in Suscipiente intentionem actui conformem adesse debere.

Ubi quaeritur, an qui gravis mali metu adducitur ad suscipiendum Ordinem, valide illum suscipiat? Et judicandum est affirmative: nam licet voluntas illa vim passâ videatur, est tamen voluntas conditionata, & electiva, quæ revera voluit potius Ordines suscipere, quam grave aliquid malum sufferere. Si tamen quis, non obstante metu, obfirmato animo neget, se velle suscipere Ordinem, neque unquam intentionem suam mutet, nihil præter applicationem vanam materiæ, & formæ suscipit, ut ex decretali Innocentii III. in cap. *Majores* de Baptismo clarissime deducitur.

EXERCITATIO LXXX.

De Validitate Sacrificii, quo ad materiam, & formam Sacramenti. (ex t. 9. l. 3. c. 10.)

Juxta decretum Eugenii IV. præter validitatem suscepti Ordinis, & intentionem celebrantis, requiritur etiam ad Sacrificii validitatem materia, & forma. De hac infra loquemur. Illa autem est panis triticeus, & vinum de vite: Ubi quaestio se offert an panis triticeus, alio semine commixtus, sit materia apta ad consecrationem? Ad quod respondet D. Thomas 3. par. q. 74. art. 3. *Si sit modica permixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, quia est materia hujus Sacramenti. Si vero sit magna permixtio (puta ex aquo, vel quasi) talis permixtio speciem mutat: Unde panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti.*

De vino multa jam supra ex Ss. D.N. Benedicti XIV. Edicto 10. attulimus. Id tantum ex Angelici Doctoris artic. 8. citatæ quaestionis admonebimus: *Semper tutius esse parum de aqua apponere, & præcipue si vinum sit debile quia si tanta feret appositio aque, ut solveretur species vini, non posset perfici Sacramentum.*

An vero post Consecrationem aqua vino consecrato misceri possit, in Concilio Florentino disputatum fuit; ubi Eugenius IV. Græcorum rationibus acquievit, ac Ecclesie Orientali hunc morem jus etiam concessit; in Occidentali tamen Ecclesia id usurpare nefas arbitramur. Disceptatur ulterius a Scholasticis, an si ejusdem speciei vinum magna quan-

quantitate in Sanguinem immittatur, Sanguis Christi etiam tum remaneat? Circa quod illi in varias dilcedunt opiniones; Nos vero nullam amplectimur, hoc solum innuentes veteri disciplina vinum non consecratum pro Communicantium numero Sanguini Jesu Christi additum, sicque Fidelibus dispersitum fuisse; nec ullum tamen unquam veritum fuisse, ne Fideles, Christi Sanguinem non susciperent.

Nunc nobis ad formam Eucharistiæ consecrandæ accedendum, de qua cum superius jam necessaria tractaverimus, nihil aliud, quam quæ ad praxim pertinent, afferremus. Quæritur igitur, an ad essentiam Sacrificii necessaria sit consecratio panis, & vini? Atque id ipsa Divini Numinis institutione, & Lege necessarium statuimus. Præter universalem enim, & consonam omnium Theologorum sententiam, favet huic etiam Sententiæ Concil. Trid. sess. 22. c. quod docet, Christum Corpus suum, & Sanguinem, Aeterno Patri obtulisse sub speciebus panis, & vini, sub & iisdem Symbolis utrumque exhibuisse Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes creabat, hisque, & eorum Successoribus imperasse, ut utrumque offerrent; *Hoc facite in meam commemorationem*. Ex quo perspicuum est, minime permitti posse, etiamsi aut panis aut vini defectus adsit, ut sub una solum specie celebretur Missa; & facile constat fabulosa, & conficta esse illa Innocentii IV., & Innocentii VIII. indulta, quibus certis regionibus vini penuria laborantibus Missa celebrationem sub sola panis specie concessisse narratur. Quamquam ex hoc minime inferre liceat, Sacerdotem solum panem consecrantem non conficere Sacramentum; forma enim Consecrationis panis neque quoad significationem, neque quoad efficaciam pendet a forma Consecrationis vini: Illud tantum consequitur, Sacerdotem sic consecrantem graviter peccare; *& mysterium hoc absolute non esse verum Sacrificium prout est a Christo institutum*. Ut ait Suarez in 3. p. t. 3. q. 83. a. 1. p. 75. sect. 6.

EXERCITATIO LXXXI.

De iis, quæ requiruntur ad licitam Missæ celebrationem, & primo de innocentia Sacerdotis. (ex t. 9. l. 3 c. II.)

Retulimus ea, quæ ad valide celebrandum expetuntur: Videndum nunc, quæ ad licet sacrificandum requirantur. Inter hæc primum locum obtinet, ut Sacerdos

in gratia, & ab omni lethali peccato mundus existat. Si enim mortali crimine pollutus ad altare accedat, valide quidem, sed illicite Eucharistiam offert, atque nefando Sacrilegio duplicique scelere, Consecrationis videlicet, & Communionis indigne peractæ, se coinquinat. Validitas Sacrificii ex Concil. Constantiensi elucet, quod hanc Wicleffi propositionem damnavit: *Sacerdos, si est in peccato mortali, non consecrat*. Duplicitas criminis ex eo deducitur, quod duo præcepta admodum inter se distincta violat, alterum suscipiendi dignæ Sacramentum; alterum innocenter, pure, & immaculato offerendi, ut Suarez disp. 67, & Biel. Lect. 7. contra oppositum sentientes Doctores solide demonstrat.

Si igitur Sacerdos se lethalis criminis labe maculatum sentiat, tenetur se ante Missæ celebrationem Sacramentali confessione mundare, neque sufficit contritionem præmittere; cum Sacra Tridentina Synodus sess. 13. c. II. de Euch. statuat, atque declaret, *illis, quos conscientia peccati mortalis gravat quantumcumque etiam se contritos existiment, necessario præmittendam esse confessionem Sacramentalem*. Quod si tamen Confessarii copia desit, necessitasque Missam celebrandi urgeat, sufficit contritio, non tamen attritio, cum proposito proxima occasione confitendi, ut eadem Synodus c. 7. edicit: Casus vero, quibus urgens absque confessione prævia celebrandi Missam necessitas definiri debeat, Biel. Lect. 7. super *canone Missæ* tres considerat. Primum si Sacerdos eo die non celebrans offensionem esset, & scandalo. Alterum si aliquis vel instituto, vel consuetudine omnium sibi æqualium ad communicandum adigatur. Tertium, si curam animarum habens celebrare debeat, ut moribundo deferre possit Eucharistiam. Cum autem Sacerdos Regularis teneatur confiteri vel suo Superiori, vel Confessariis ab eo deputatis, si in itinere est, vel cum bona venia Superioris in aliquo moratur loco ubi nullus est ex suo Ordine Confessarius, videtur esse in eo casu urgentis necessitatis, ut illi desit copia Confessarii. Atque idcirca Suarez putat Regularibus iter facientibus negari non posse facultatem se confitendi alicui extero Sacerdoti, ubi ex Ordine suo nullus invenitur. Aliqui Ordines Religiosi huiusmodi gaudent privilegio; & Capuccinis tam Sacerdotibus, quam laicis indulsit Benedictus XIV. ut cum extra claustra morantur, & nullus est ex suo Ordine Confessarius, possint cuilibet alteri vel seculari, vel Regulari approbato confiteri, dummodo re-

deantes Superiori se sistant, & iterum peccant absolutionem a casibus & Censuris reservatis.

Atque questio hic se offert, quid ei faciendum sit, qui inter Sacrificandum meminerit, se aut excommunicatione, aut mortali peccato irretitum esse? In quo duo advertenda; aut enim criminum illud se menti sue oblitiscit ante consecrationem, aut postea. Si ante; ab Altari recedere ei necesse est, nisi grave scandalum, aut nominis sui infamia inde metuenda sit. Tum enim, sicut & casu consecrationis jam peracta, sufficit, si consecrationem cum proposito quamprimum confitendi eliciat. Quod si vero illa culpa adeo ejus cordi inhareat, ut poenitere nequeat, respondet Soto in 4. senten. dist. 13. q. 2. a. 6. *Illum potius debere etiam cum summo presentium scandalo ab Altari recedere, quam sumere Sacramentum in peccato: quia sic illud est intrinsece malum, ut nullo de causa excusari possit.*

Ceterum communis est proborum virorum Sententia; indecorum; & tam tremendo Sacrificio indignum esse, ut Sacerdos eo die, quo crimen, praesertim impuritatis, commisit, licet etiam confessione emundetur, Missam absque urgente necessitate celebret: Quamquam enim & reatus culpa, & macula peccati deleta fuerint; immundities tamen quaedam corporis restare videntur. Cumque ipsi Graecorum Sacerdotes a licito Uxorum suorum concubitu hebdomada integra, aut saltem per triduum lex constitutione Clementis VIII. ante Missae celebrationem abstinere debeant; & idem consilium ei a Doctoribus datur, cui praeter voluntatem, & citra peccatum pollutio contigit; quanto magis illum a Sacris his mysteriis retineri decet, qui paulo ante aut turpi libidine, aut alio nefario crimine & animum, & corpus delectavit.

EXERCITATIO LXXXII.

De jejunio naturali ad licite celebrandum
(ex t. 9. l. 3. c. 17.)

Licet Apostoli in prima Eucharistiae institutione corpus, & sanguinem Domini non jejunii sumplerint; placuit tamen Spiritui Sancto, verba sunt D. Augustini, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Unde Sacerdos post mediam noctem, si celebrare cupiat, neque cibis, neque potum, neque medicinam in quantumcumque parva quantitate sumere po-

test. Quinimo tam rigorose omnibus in materia permissis, ad jejunium hoc naturalis est, ut si die nocte Nativitatis Domini, aut alii in circumstantiis, ubi plures Missas celebrare concessum est, in prima Missa ablationem impudens sumserit, nullam amplius celebrare valeat quaeumque demum urgente etiam vitici meritorum administrandi necessitate. *Reliquiae tibi* (ut docet S. Thomas, p. 3. q. 80. a. 8., & Rubrica Missalis) *remanentes in ore, sic quasi liquor transglutiantur, non impediunt summptionem hujus Sacramenti, quia non transgredientur per modum cibi; sed per modum salivae.* Et eadem de reliquis aqua, vel vini, quibus os abluatur, a modo non transgreditur in magna quantitate; sed permixta saliva, quod evitari non potest. Idem iudicium ferendum, teste Sylvio in eundem locum S. Thome, de vino vel de condimento, quod ad percipiendum saporem gustatur, & statim expulsetur. Quare si contingat aliquid eius permixtum salivae os ex deglutiri, non solvit jejunium: Solvitur tamen si ex proposito sumeretur, etiamsi is, qui sumpsisset, non evoheret.

Querunt hic Theologi, an is, qui e dentibus aliquid extraheret reliquiarum, nec expuerat sed voluntarie absorberet, jejunium rumpat? Quod complures negant, cum ad non novam comestionem, sed anterioris coena complementum arbitrentur. Affirmativa tamen Carol. de Lugo sententia melius cum reverentia Sacramenti congruere videtur. Illud vero indubium existimamus. Sacerdotem, qui antequam se somno dederet, aliquid sachari in os injiceret, quos paulatim liquefens demum post mediam noctem in stomachum delaberetur, non amplius jejunium haberi posse.

Disceptant ulterius Casuista, an possint Eucharistiam sumere; qui dubii sunt, an post mediam noctem comederint? Et qui de eo solum anxii titubant, an cibum sumplerint praesumendo a tempore? Quidam in primo casu negativam, in secundo affirmativam amplectuntur sententiam; alii in utroque; alii in nullo casu id licere contendunt. In qua controversia, ut nostram promamus sententiam, asserimus, si dubium id post celebrationem Missae emerferit, ad pacandos conscientiae scrupulos examini harum opinionum locum esse; si vero ante inchoationem Missae titubatio enata fuerit, Missae celebrationem penitus intermittendam esse.

Tabaci folia sive per fumum, sive per nares attrahantur, jejunium naturale nequaquam

quam frangunt, idque communi Doctorum consensu hodierno die confirmatur. De eorum masticatione quidquid in utramque partem disputent Theologi, nos eam si non illicitam, maxime tamen indecoram antequam tremendi Sacramenti administrationem arbitramur.

EXERCITATIO LXXXIII.

De reliquijs, quæ observari oportet, ut Missa licite celebretur. (ex t. 9. l. 3. c. 13.)

Præter ea, quæ supra ad licite celebrandum attulimus, requiritur etiam, ut Sacerdos, si Latinus sit, in azymo, si Græcus, in fermentato secundum cujusvis Ecclesiæ disciplinam consecret. Unde Honorius III. Presbyterum quendam Rixiensem in fermentato, & poculo ligno Sacra mysteria peragentem officio, & beneficio perpetuo privari iussit. Præterea Sacerdos Sacrificans habeat oportet Sacras vestes, amictum, albam, cingulam, manipulum, stolem, planetam, & calicem insuper cum patena, & Missali. Locum quoque huic Sacrificio designatum, Altare consecratum, aut petram sacram, Niveam, Cnicem, candelas, ac tempus legibus præstitutum observet, necesse est. Preces autem ipsas non admodum festinanter, nec nimis morose, neque voce nimis elata, neque nimis submissa, si Secretas excipias, sed distincte, apposite, & graviter, recitet: ut adstantium mentes ad devotionem elevet, tremendorumque horum mysteriorum venerationem animis eorum inculcat. Accurat huic oportet, ut ab omni censura, & irregularitate seu ex defectu, seu ex delicto præminente liber sit, & si exteri ab Ordinario ejus Diocesis celebrandi facultatem impetret. Quod si horam quampiam voluntarie, & deliberato animo dimittat, valide quidem, sed illicite, ac quasi semper labem mortalem contrahens Sacrificium offert. Differte enim S. Pius V. in Bulla Missali præposita ait: *Mandantes, & districte omnibus, & singulis præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, ut Missam juxta ritum, modum, & normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent, ac legant.* Ex quo communis Theologorum sententia deducit, Rubricas esse leges præceptivas, quæ sub Mortali ex genere suo obligant, ut non nisi invincibilis imprudentia, & aliquando etiam parvitas materiae excusetur.

EXERCITATIO LXXXIV.

Ad Matutinum, & Laudes necessario, & sub peccato ante Missæ celebrationem dici debeant. (ex t. 9. l. 3. c. 13.)

CUM nonnulli fallum istud adoptaverint principium, Rubricas Missalis meras esse instructiones, & consilia, necessario etiam in hac desciverunt sententiam, ut prætergredientem hoc Rubricæ præceptum, Nescio prius quam Matutino cum Laudibus absulto celebret, nullius, aut plurimum venialis peccati reum arguant. Sanctus vero Antonius 3. p. t. 13. c. 6. mentem suam clare in contrariam partem declarat agens, *Missæ non debet dici ab eo, qui non dicit Matutinum, licet possit audiri, alias dicendo esset peccatum mortale, quia contra consuetudinem generalem Ecclesiæ.* Cui Clericus deef. 50. de Sacrificio Missæ, quinquaginta duorum articulo phalange scriptus accedit. Nos cum Sanctissimo D. N. Benedicto XIV. inter utroque ritum sit procedentes existimamus: Si sermo sit de Missa conventuali, videri peccatum esse mortale eam ante Matutinum, & Laudes celebrare, id enim est contra generalem Ecclesiæ consuetudinem. In Missis privatis, quibus sit legitima causa, puta si Princeps, aut Prelatus, etiam expetere, ac seculo gravibus, & necessariis charitatis officiis præcedatur, videri posse etiam a peccato veniali immunem, qui eam celebraret non recitato Matutino, & Laudibus. Quod si quis id absque causa faciat, eum nequaquam a peccato veniali immo si id perpetuo, ac obstinate, perverloquæ animo usurpet, ne a mortali quidem excusamus. Græcolas ad hanc rem in veteri Sacramentario Ecclesiæ par. 1. p. 639. Concilia aliquot provincialia præfert, quæ sub excommunicationis pena vetant, ne quis Sacerdos ante Matutinum, & Laudum recitationem Missam celebret. Quod tamen ad illos tantum spectat, qui Synodorum illarum Legibus subjacent.

EXERCITATIO LXXXV.

De casibus, ubi Missa interruptur, moratur, aut infirmare Celebrantis, moratur, & non. (ex t. 9. l. 3. c. 14.)

Certum Ecclesiæ præceptum est, nulli licere, incepta Missa ab Altari recedere, alterique obsoleta Sacrificia com-

mittere ; atque legem hanc infringentibus can. *Nullus Episcopus* de consec. dist. 1. suspensionis , Canone vero *Nihil 7.* quæst. 2. excommunicationis poena irrogatur . Quæ *ipso jure* delinquentibus infligatur , inter Doctores discrepat . Nos Sacre Congregationis Decisionibus innixi respondemus , eas poenas nequaquam esse *ipso jure* impositas ; nec locum his esse , si Sacerdos ante consecrationem ab Altari sine legitima causa recesserit , ut videre est in resolutione S. Congregationis die 16. Decembris 1719. in causa Placentina , & die 3. Decemb. 1735. in causa Juvanacensi .

Contigit tamen quandoque , ut Celebrans aut inopinata morte , aut deliquio animi , ac superveniente infirmitate , inchoata jam Missa , deficiat . Ubi plures nobis circumstantiæ examinanda veniunt . Aut enim id ante consecrationem evenit , & tum auctore D. Thoma 3. part. quæst. 83. art. 6. continuatio Missæ penitus omittitur . Aut consecratio corporis tantum , vel corporis , & sanguinis peracta est , & tunc alter Sacerdos Missam supplere debet initio sumpto ab eo , ubi prior Sacerdos desierit ; qui si adhuc vivat , & communionis capax sit , nec alia Hostia adsit , divisa ab eo consecratæ Hostiæ particula communicandus erit . Confirmat id Rubrica , quæ can. *Nihil 7.* qu. 1. innititur , in quo ita habetur : *Censuimus ... convenire , ut si aegritudinis acciderit quilibet eventus , quo captum nequeat consecrationis expleri Misericordiam , sit liberum Episcopo , vel Presbytero alteri consecrationem exequi Officii capti.* Ubi notandum est , quod vox illa *liberum* non significet posse , vel non posse , sed potestatem supplendi , & perficiendi denotet .

Adnotandum ulterius ex Rubrica , ut si Sacerdos obierit *semiprofecta forma sanguinis* , alter prosequatur Missam , ac super eundem calicem repetat integram formam ab eo loco : Simili modo postquam cœnatum est , vel supra alium calicem preparatum integram formam proferat , & Hostiam primi Sacerdotis , & sanguinem a se consecratum summat , ac deinde calicem relictum *semiconsecratum* .

Optima se in his circumstantiis extricandi ratio continetur in discussionibus Cleri Patavini editis anno 1708. Scilicet opertere solum Calicem , non vero aliam etiam Hostiam consecrari , si forte celebrans repentina morte , aut infirmitate post consecrationem panis percussatur . Si vero dubium sit , Hostiam esse consecratam , non satis esse proferre formam consecrationis , sed incipien-

dum ab iis verbis : *Qui pridie quam pateretur* ; imo ab ipso Canonis initio . Si denique constet , utramque speciem fuisse consecratam , non vero in qua Missa parte Sacerdos morbo correptus fuerit , a verbis : *Unde , & memores Domine* inchoandum esse .

Sacrificium hoc continuandi onus Sacerdoti incumbit . Primo quidem ei , qui adest ; deinde ei , qui abest ; Primum ei , qui nullo , deinde ei , qui aliquo detinetur impedimento : Inter impeditos autem numerandus , qui non sit jejunos , aut qui in peccato lethali sit . Quod ille Missam continuandi facultatem habeat , nemo dubitat : De hoc notandum est , eum aut confiteri , aut si confesarius reperiri nequeat , contritionem elicere debere .

Quod si vero ob certorum criminum habitum perfectum hunc dolorem elicere nequeat , idem censendum , ac si nullus prorsus Sacerdos adesset , ac Hostiam , & Calicem in Tabernaculum condenda putamus ; quæ postero die celebrans Sacerdos ante ablutioem sumat .

Ultimo animadvertendum , nequaquam derogari unitati Sacramenti , Quod bini Sacrificium compleant : *Cum enim* ut can. *Nihil* , habetur *simus omnes unum in Christo* , nihil contrarium diversitas personarum format , ubi efficaciam prosperitatis unitas fieri representat .

EXERCITATIO LXXXVI.

De aliis casibus , quibus Missa interrumpitur . (ext. 9. l. 3. c. 14.)

PRÆTER mortis , & infirmitatis inopinatos casus , alia quoque accidere possunt , quæ Missam inchoatam interturbent . Varios Rubrica enumerat casus , simulque normam , cui Sacerdos celebrans se conformare debeat , indicat : sic si Templum violetur , vel polluitur ante Canonem , Missam intermittere ; si vero post Canonem , perfici : Si hostes cum cadis periculo irruant , vel imminens fluctuum inundatio , vel templi ruina mortem minuetur , ante consecrationem relinquendam esse Missam , post consecrationem vero Sacerdotem debere , ceteris omissis , corpus , & sanguinem sumere . Ita Suarez , Sylvius , Quartus , Pontas , & communis Doctorum sententia .

Quæri hic posset , quod si Sacerdos post Hostiæ consecrationem non tantum temporis suppetat , ut etiam calicem consecrare possit , an cum evidenti vitæ periculo id perficere teneatur ; Qua in re , licet aliqui nimis du-

nam hanc legem Sacerdoti imponant, nos tamen cum Quarto, Card. Toletio, & Suarez sentimus, posse Sacerdotem, etiam non consecrato calice, discedere; non enim levi de causa, aut instabili voluntate, verum gravibus momentis impeditus inchoatum Sacrificium non complevit; dummodo tamen nullum scandalum oriturum sit, nec religio in contemptum cadat: In his enim circumstantiis deberet Missam, sive consecraverit, sive non consecraverit, continuare, non modo ex præcepto integritatis Sacrificii, sed etiam ex obligatione profitendæ fidei, & vitandi scandali.

Quod si quis notorie, & per Judicis Sententiam excommunicatus, aut apertus Clerici percussor, celebrante Sacerdote, Ecclesiam intret admonendus, est excommunicatus, ut ab Ecclesia discedat, & si reluctetur, invitatus etiam, jubente Clemente II. de sententia Excommunic. expellatur. Et siquidem ejici non possit, vel nondum perventum est ad consecrationem, & tunc intermittenda, vel ad eam perventum est, & tunc continuanda est Missa, ut docet Sotus in 4. sentent. dist. 22. quæst. 1. art. 4.

Præter has inopinatas Missarum interruptiones, aliæ sunt, quæ laudabiliter fiunt, ut cum lecto Evangelio, Concio ad Populum habetur, aut Ediçta quædam promulgantur; si Baptismus, aut Sacramentum penitentia, & extremæ unctionis morituris administraretur. Quæ ultima, si gravis urgeat necessitas, sive ante, sive post consecrationem, Missam interrumpere possunt. Curet tamen Sacerdos, ut consecrata a se Eucharistia interim diligentissime custodiat; imo in Tabernaculo reponatur. Rediens vero Missam inde, ubi eam intermiserat, repetet.

Disputatur hic, an Sacerdos, qui perverit ad offeritorium, possit inceptam Missam rursus ab initio repetere, si aliter Missa careret vel Princeps, vel Præsul dignitate præstans. Sunt, qui id cum Azorio affirmant; nos tamen, cum Alexandro Natali Theol. dog., & Mor. lib. 2. de Sac. Euchr. c. 7. a. 4. negativam majestati horum mysteriorum congruentiorem arbitramur; tum quia Ordo Sacrificii potior esse debet, quam hominum quavis dignitate conspicuorum commoda, tum quia via infinitis aperitur abusus.

EXERCITATIO LXXXVII.

De defectibus, qui circa Sacrificii materiam occurrere possent (ext. 9. l. 3. c. 15.)

Defectus possunt occurrere vel in pane consecrando, vel in vino; vel in utroque simul. In pane quidem, si sit corruptus, aut non sit triticeus. Ubi Rubrica has regulas statuit, ut si Sacerdos id ante consecrationem adverterit, *remota illa Hostia, aliam tonat, & facta oblatione autem mente concepta, prosequatur ab eo loco ubi desivit.* Quod si vero id post consecrationem, immo etiam post communionem sive Hostiæ solius, sive etiam Sanguinis compererit, aliam Hostiam, & in secundo casu aliud etiam vinum offerat, & consecret, incipiens illis verbis: *Qui pridis, quam pateretur.* Prior autem illa Hostia, si adhuc supersit, post sumptum S. Corpus, & Sanguinem sumenda est; si jam absumpta fuerit, nihilominus, communio peragenda; major enim vis est præcepti de perficiendo Sacrificio, quam de jejuniis.

Hæc omnia, quamquam Rubrica apertissime præcipiat, sunt tamen, qui existimant, cum post sumptionem Sanguinis Sacerdos advertit, panem vel non esse ex idonea materia, vel corruptum, satis fore, si novam consecret Hostiam, quin novam consecret vinum. Verum nos a Rubrica nequaquam recedimus; nam præterquam, quod mentem suam clarissime declarat, binas etiam statuti sui rationes affert; quarum altera est: *Ne Sacramentum maneat imperfectum*; Altera, *ut debitus servetur ordo*; qui & in ipsa sumptione, & in precum recitatione penitus perverteretur.

Altera consecrationis materia Vinum est, pro quo aut acerum, aut alius liquor consecrationis incapax apponi potuit. Quod, si Sacerdos ante consecrationem, aut post eam adverterit, eadem ratione, ut in Hostia, procedet, & sumpto novo vino ab illis verbis: *Simili modo inchoabit.*

Quæstio hic oritur, quid Sacerdoti agendum sit, si defectum Vini adverterit post sumptionem corporis, vel post sumptionem materiæ ineptæ? Scotus 4. Sent. dist. 3. quæst. 3. docet: novam non esse Hostiam consecrandam, sed satis esse, si novum Vinum consecratur; nullum enim esse textum, rationem nullam, ob quam nova Hostia consecranda sit; & satis provifum, si suppleatur quod deest; Vinum autem dumtaxat id esse, quod deest: opinioni huic consentiunt

Suarez, Pasqualigus, & alii; imo ipse S. Bernardus epistola 69. favere videtur. Nos tamen cum D. Thoma 3. p. q. 87. a. 6. ad quartum sentimus, post assumptionem corporis aliam Hostiam apponendam, & simul cum vino consecrandam esse. Quia si Sacerdos, verba Angelici Doctoris sunt, dixerit sola verba consecrationis Sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi. Si vero inciperet a consecratione Sanguinis, & repeteret omnia verba consecrationis, non competeret nisi adesse. Hostiam consecrata cum aqua, verbis illis occurrant quod dicitur dicenda, & faciendam non solum circa Sanguinem, sed etiam circa Corpus. Quam etiam Sententiam amplexa est Rubrica Missalis tempore S. Pii V. ac deinde sub Clemente VIII. Sorum sequendo hanc addidit explicationem: videlicet. *Si Agissa celebretur in loco publico, ubi plures adhuc, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, & facta oblatione, ut supra, consecrare, & statim sumere, ac prosequi cetera.*

Accidere etiam potest, ut tam in pane, quam in vino defectus occurrat. Et tunc Sacerdos, si id advertit ante consecrationem, idoneas sibi curat materias; quod si ea non reperiantur, aut post consecrationis verba defectus deprehensus fuerit, omittenda est Missa. Si autem id advertit post communionem, cum jam Jesus non sit, neque necessitate urgeatur ad Missam celebrandam, aut continuationem Missae peritus, omittat; aut si scandalum ex hoc presenti populo metuerendum foret, preces ad placitum aliquas recitet, & Benedictionem impertiatur, ut docet Pasqualigus de Sacrificio, Missae quest. 300.

Defectus denique in aqua dumtaxat esse potest, quae in calicem infusa non sit; si id advertat Sacerdos ante consecrationem, ea statim infundenda est; si post, Missa est continuanda; cum aqua ad essentiam Sacramenti nequaquam pertineat, qui statuunt Rubrica Missalis, & docet S. Thomas cum ceteris Theologis.

Cum multi circa Sacrificii materiam casus occurrere possint, quos Sacerdos callere debet, id primum adoramus; ut quemadmodum laudabile est, animo preparatum habere, quid in emergentibus casibus facto opus sit, ita periculosissimum esse curiosas quasdam Hypotheses sibi effingere. Sufficiant nobis Rubrica Missalis, quae clare, & diserte difficultatibus, quae enasci possent, occurrunt, & D. Thomas, qui, ut Cardinalis Cottus adnotat, praecipuum remedium suppe-

ditat in singulis, quae in Missa possunt accidere. *EXERCITATIO LXXXVIII. De Defectibus, qui occurrunt in Forma consecrationis. (ex t. 9. l. 3. c. 15.)*

Cum, quae nostra circa Consecrationis formam in Sententia jam superius declaraverimus, hic solum observamus vocem *Etiam*; quae in utraque specie consecrationis proferatur, & illicite quidem, & inagere cum peccato, utpote contra Ecclesiae iustitiam committitur, non tamen propterea consecrationem invalidam reddi. Idem dicendum de voce *Est*, quae subintelligi potest. Si autem loco vocis *Hoc* dicatur *Istud*, valida quidem, sed illicita erit consecratio; secus, si diceretur *Illud*; Prior enim acque ac *Hoc* presentem rem significat, posterior vero id nequaquam praestat. Sic pariter si quisquam adverbialiter enuntiaret verba: *Hic est Corpus meum*, nihil proflus efficeret. Cum adverbium *Hic*, transubstantiationem exprimere nequeat; Si tamen quis ex grammatices errore masculinum pro neutro adhiberet, id valori Sacramenti nihil officeret.

Ceterum ut angustiis, & titubationibus, quae tenerioris conscientiae Sacerdotem, quandoque excruciant, medulla inveniat, adeundus D. Thomas 3. p. quest. 83. art. 6. ad 5. cujus doctrinam Suarez 3. p. t. 3. q. 85. a. 6. disput. 85. sect. 1. apte in haec verba compexit: *Si omissum est aliquod verbum essentiale, vel talis facta mutatio, qua necessarium formae sensum abstrulerit, iteranda est consecratio vel in utraque forma, si in ambobus talis defectus acciderit, vel solum in una, si in ea tantum inventus fuerit defectus.*

EXERCITATIO LXXXIX.

De Concelebratione cum Episcopo Ordinante, vel consecrante. (ex t. 9. l. 3. c. 16.)

NON solum apud Orationales in iis Civitatibus ubi una dumtaxat Ecclesia est, Sacerdotes cum Episcopo Sacra faciente celebrant, Missaeque, & consecrationis verba proferunt; veram etiam id olim in Occidente obtinuit, & etiam nunc in consecratione Episcoporum, & Ordinatione Presbyterorum observatur. Disceptatur hic inter Doctores, an consecratio a multis peracta valida, an licita sit? Nos quidem temeritatis rem arbitramur illum, qui dubitet, utrum

strum licita, utrum valida sint ea, quæ sunt in eiusmodi disciplina, quam in consecratione Episcopi, & in ordinatione Presbyteri approbavit Ecclesia, quæ olim, teste Lupo in appendice ad Synodum Chalcædonensem, in Occidente viguit, quæque etiam nunc apud Græcos Sedi Romanæ conjunctos usu recepta est. Unde merito Durandus hanc improbandam consuetudinem a Card. Bona rerum Liturgicarum lib. 1. c. 18. ita arguitur: *Improbat audacter, ac temere hanc consuetudinem Durandus, quem multi e Scholasticis sequuti sunt rem clarissimam intricatissimis difficultatibus implicantes. . . illos nimirum in varia absurda precipites egit antiqui Ritus desuetudo, & ex desuetudine ignorantia.* Hic enim a quolibet Sacerdotè concelebante offerri verum Sacrificium, veram fieri consecrationem, ex Pontificali elucet: ubi præscribitur, ut Episcopus lente, & paululum clara voce Canonis verba recitet, ac præsertim verba consecrationis, ut recens Ordinati possint una cum eo eadem verba proferre; id vero satis indicat, consecrationis verba, utpote non recitative, sed significative enuntiata, effectum sortiri debere. Difficultates autem hic emergentes Innocentius III. lib. 4. de mysteriis Missæ c. 25. ita explanat: *Cum interdum uni Pontifici multi Sacerdotes concelebrent, si forte non omnes simul consecratoris verba pronuntiant, quaeritur, an ille solus conficiat, qui primus pronuntiat? Quid ergo ceteri faciunt? An iterant Sacramentum? poterat igitur contingere, quod ille non conficiat, qui celebrat principaliter, & ille conficiat, qui secundario celebravit, & sic pia celebrantis intentio frustrabitur. Sane dici, & responderi probabiliter potest, quod siue prius siue posterius proferant Sacerdotes, referri debet eorum intentio ad instans prolationis Episcopi, cui concelebant.* Neque etiam interest, unus ne, an plures Sacerdotes Sacramentum consecrent; nam juxta D. Thom. 3. p. q. 82. art. 2. *Sacerdos non consecrat, nisi ex Persona Christi: Multi autem sunt unum in Christo.*

Ex his tanquam confestarium deducitur, quod, cum plures Sacerdotes simul unam Hostiam consecrantes, plures etiam oblationes faciant, singuli possint applicare Missam pro diversis. Difficultas in eo tantum consistit an Eleemosynam his liceat accipere? Verum, cum Sacerdotes in Ecclesia Occidentali, quando cum Episcopo concelebant, oblationum fuerint participes; oblationibus autem successerit Eleemosyna, facile intelligi potest, ubi etiam nunc viget ritus Con-

celebrationis, non posse concelebantem privari jure accipiendi Eleemosynam. Quod si aliter sentiamus, Orientalis Ecclesiæ Presbyteri Eleemosyna plerumque carebant.

EXERCITATIO XC.

De quibusdam casibus, qui Sacerdoti possunt occurrere vel in Missa, vel extra Missam Eucharisticam suscipienti. (ex t. 9. lib. 3. cap. 17.)

CUM ante sumptionem Hostia in duas partes frangi, & inde particula in Sanguinem Sacrum immittenda abrumpi debeat, contingit, non raro, ut Sanguine haurito particula remaneat fundo Calicis adhærens: Quo in casu Rubrica præscribit, ut Sacerdos, vel digito particulam trahat usque ad oram Calicis, eamque ante purificationem sumat, vel novum vinum infundat, quod cum particula deglutiat; quem posteriorem modum, utpote decentiorem, lubenter amplectimur.

Accidit etiam nonnunquam, ut Sacerdos, sumpta purificatione, advertat esse aliqua fragmenta in corporali, vel in patena, & hoc in casu regulis Rubricæ standum, quæ docent; *Quod si deprehendat post sumptionem Corporis, & Sanguinis, aut etiam post abluionem reliquias alias relictas consecratas, eas sumat, siue parvæ sint, siue magnæ, quia ad idem Sacrificium spectant.* Quod si non fragmenta remanserint, sed integra Hostia, siue parva ea, siue magna sit, observandum, an Sacerdos id ante sumptionem Corporis, & Sanguinis adverterit, an post, vel inter abluionem. Si prius: Utramque Hostiam debet sumere; si posterius, docet Rubrica, quod debeat relictam Hostiam in Tabernaculo reservare, aut in patena, vel corporali Sacerdoti postea celebraturo relinquere: & si neutrum horum, seu ob Tabernaculi, seu ob Sacerdotis alterius defectum obtineri queat, possit eam sumere, quamvis peracta jam abluione. Nam licet in omnibus casibus naturale jejuniū aut frangi possit, aut revera frangatur; tamen Sacerdos jejunus ab Altare accessit, nec nisi coactus reverentia erga Sacramentum, & illud perficendi obligatione reliquias consecratas sumpsit. Præsertim cum sumptio hæc complementam sit ipsius actionis, & Sacrificii, quod moraliter censetur durare, donec ex inadvertentia relictæ particule consumptæ fuerint.

At quid, si advertat se fragmenta quæpiam reliquisse, cum jam recessit ab Altari, & ad Sacrificium venit, vestibusque sacris se spoliavit? Idem profecto, quod prioribus in casibus adnotavimus, observandum est. Cui resolutioni vetus Constantinopolitana Ecclesiæ consuetudo favet, quæ teste Eragrio l. 4. c. 36. ferebat, ut absoluta Populi communiōe, relictae panis consecrati reliquiæ innocentibus pueris comedendæ distribuerentur: Quem morem etiam in Gallias traductum fuisse can. 6. Concil. II. Matisconensis nos edocet. Quare dubitandum non est, Sacerdotem Sacrificii reliquias, etiam depositis Sacris Vestibus sumere posse; cum antiquitus ad arcendum omne irreverentiæ periculum superstitis Eucharistia in innocentes dispersita fuerit pueros.

De guttis vini, quæ in cuppa calicis hæreere possunt, censendum est, eas quæ extrinsecus adherent, nequaquam consecratas esse, sicque purificatorio abstergendas; de illis vero, quæ intrinsecus conspiciuntur, licet quidam idem sentiant, tutius arbitramur, eas considerare tamquam consecratas, atque absumere per secundam purificationem, ut sentit Pontas in Diction. & Boucat. tom. 5. Theol. p. 4.

Quæstio ulterius se offert, an Sacerdos celebrans, ac post Missam processionem cum Sanctissimo habiturus antiquam in Tabernaculo conservatam hostiam sumere; ac recens consecratam ejus in locum substituere possit? Cui cum Sylvio. 3. p. q. 83. art. 4. respondemus: *peccaturum graviter Sacerdotem, qui Hostiam, seu formulam unicam in sua Missa consecratam servaret pro Processione, & ejus loco sumeret veterem. . . debere igitur consecrare duas, quarum unam reserret, aliam sumat; quia celebrans semper tenetur sumere utramque speciem, tunc consecratam, eo quod sumptio maxime ad integritatem Sacrificii pertineat.*

Alter hic casus emergere potest, ut videlicet celebrans non habeat Hostiam justæ magnitudinis: in quibus circumstantiis aliqui arbitrantur posse Sacerdotem, ne nova re populum suspensum teneat, Hostiam veterem, quæ gestanda in processione asservatur, una cum parva elevare. Sed consultius esse videtur, ut Presbyter ante celebrationem populum de defectu majoris Hostiæ edoceat, & sic tam populi scandalum, quam novitatem in Sacrificium introducendam evitet.

Nunc de Sacerdotibus extra Missam Eucharistiam suscipientibus hæc duo adnotabimus; licere Sacerdoti, qui celebrare non

possit, si nullas alius Sacerdos sit, qui Eucharistiam illi exhibeat, suis manibus se communicare; dummodo id cum ratione fiat, & scandalum absit, ut docent Sylvius, Gonet, Card. de Lugo, & communiter. Obligatos deinde esse Presbyteros, suscipientes Eucharistiam ab alio Sacerdote, stolam e collo pendente gestare, ut Rituale Roman. tit. de ord. ministr. Sac. Euch. & Ss. D. N. Benedictus XIV. in inst. 38. demonstrant.

EXERCITATIO XCI.

De Sacerdote, qui in Missa Adstantes communicat. (ex t. 9. l. 3. c. 18.)

Sacerdos, si quasdam Hostias populo distribuendas consecrare cupit, eas aut super corporale ponit, aut in pyxide aperta, quam deinde claudit, præ oculis, proxime post Calicem collocat, & sic Divino Numini offert. Quod si vel per negligentiam, vel per ignorantiam omiserit pyxidem ante Oblationem, & Consecrationem aperite, offerendi tamen eas particulas, & consecrandi intentionem habuerit, illicitè quidem, non tamen invalide consecravit. Materia enim consecrando moraliter præsens, ut in hoc casu, valide consecratur. Moraliter inquam præsens, idest humano more; quo videlicet id præsens dicitur, quod velut in usu humano assumendum demonstrari possit, dicendo: hic est. Ex quibus proterva Hæreticorum calumnia, Sacerdotem ex mente Catholicorum consecrare simul posse omnes panes, qui sunt in foro, manifestè refellitur; non enim, ut inquit Philip. Gamachæus in p. 3. q. 74. c. 4. *Homo in foro existens habet moraliter omnia illa sibi propinqua, & præsentia, quæcumque in foro sunt; alioquin nec opus ei esset ire de loco ad locum, ut quod querit inveniret.*

Major occurrit difficultas, an Sacerdoti particulas consecrandas, Præfatione Missæ jam incepta, sibi allatas liceat consecrare? & an cum Sacerdos Ædituo declaravit in Sacribia se particulas populo distribuendas consecraturum, & Ædituo Sacerdote non advertente pyxidem ad cornu epistolæ attulerit, & particula illæ consecratae censenda sint.

Ad primum communior Doctorum est sententia, non licere particulas consecrare, cum Canon inceptus, etiam si ageretur de particula consecranda pro Viatico: tunc enim parva quædam detrahi posset particula, quæ infirmo esset asservanda. Si vero particulae apponentur inchoata Præfatione, cum earum

lit

fit faciendæ oblatio, & si Missæ ordo interturbetur, Sacerdos pariter ab iis consecrandis abstinere debet, nisi legitima causa contrarium suadeat; cuiusmodi ea esset, si magna multitudo, parata ad recipiendam Eucharistiam, Sacramento careret. Ita Tamburini in method. celeb., & Clerus Patav. in resolut. 1. cas. mens. Feb. 1708.

Quod ad secundum casum attinet, licet aliqui opinentur ob intentionem Sacerdotis anrea elicitam, Hostias illas inadvertente etiam Sacerdote, & extra petram Sacram in Altari collocatas, valide consecratas fuisse; cum tamen hæc sententia, ut plurimum sit *speculatioe* probabilis, & statuente Innocentio XI. in Sacramentis tutiorem opinionem sequi teneamur; concludendum est, particulas non esse populo distribuendas, sed aservandas, ut alia Missa consecrentur.

At, quid si quis habeat coram se undecim Hostias, & intendat consecrare solum decem non determinans quas decem intendat? ad quod Rubrica advertit deesse intentionem, nullamque ex illis Hostiis censendam esse consecratam: *secus se putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat; nam tunc omnes erant consecrate. Atque ita ille Sacerdos talem intentionem semper deberet habere, scilicet, consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet*, ita Rubrica. Unde opinio P. Serry contententis etiam non determinatis decem illis Hostiis, omnes undecim consecratas esse, rejicienda est, non solum ob Rubricas, quas ille perperam definitiones Ecclesiæ esse negat; verum etiam ex eo, quod ad validitatem Sacramenti nequaquam intentio externa, ut ille asserit, sufficiat, verum interna etiam requiratur, ut supra exposuimus.

Communio autem populi, ut ait Rituale Romanum, intra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, nisi forte iusta causa aliud suadeat; ut si plurimi adessent Missæ, & suspicari possemus, ne aliquis eorum tædio caperentur longioris Missæ. Secus vero arguendos censet Sacerdotes Card. Brancat. in opusc. de Sac. Viat. qui contra Ritualis præscriptum in tit. de Communionem, præbent absque necessitate Populo Eucharistiam in fine Missæ: *privant enim Fideles iis precibus, quas post Communionem Ecclesia recitari jubet, quæ non solum ad celebrantem, sed etiam ad ceteros communicantes aperte spectare noscuntur.*

Quamquam autem laudabile sit adstantes Sacrificio, ex illo participes fieri modo, &

tempore iam dicto, Sacerdos celebrans non ita tenetur ad satisfaciendam devotioni Fidelium, cum iustas ob causas contingere possit, ut in hoc, vel illo Altari Communio ministrari non debeat, nec proinde privantur Fideles sacra Eucharistia, quam sumere multimodis facillimum est, attenta hodierna disciplina, cui qui se accommodare nollet, male se dispositum esse indicat. Ita declaravit Benedictus XIV. in Encyclica data 13. Novembris 1742.

EXERCITATIO XCII.

Quibus diebus Eucharistiam in Missa ministrare vetitum. (ex r. 9. l. 3. c. 18.)

Dubitatum fuerat in Sacrorum Rituum Congregatione, an liceat in Missis Defunctorum Fidelibus Sacram Communionem ministrare: & fuerat anno 1701. decisum negative. Verum cum res die 21. Martii 1711. iterum tartina subiceretur, constitutum fuit, ne Decretum anni 1701. vulgaretur; quare concludendum est, Sacram Communionem in Missis Defunctorum licite ministrari. Et sane cum Trident. Synod. sess. 22. cap. 6. nullo inter Mortuorum, & Vivorum Missam discrimine frequentem Fidelium communionem cupiat, & in ipsis Missis Defunctorum recitatur: *ut quotquot ex hac Altaris participatione Sacrosanctum Filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus &c. Hæc commixtio, & Consecratio . . . fiat accipientibus nobis in vitam æternam &c.* cumque in Missis Defunctorum recitatur postcommunio, & in Rubricis Missalis Defunctorum Urbanus VIII. addiderit: *si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet*; quis negaverit, posse, & debere Missæ Defunctorum Adstantibus Eucharistiam administrari, dummodo intra Missam antequam Sacerdos se purificet; unime vero ante vel post Missam? Egregie hanc questionem pertractarunt, P. Abbas Benvenuti in tractatu suo: *Sacerdos ad Altare celebrans in Missa privata*, & Meratus in opere ad Gavantum, p. l. n. l. p. 602. Hic tamen a P. Abbatis Benvenuti opinione quod in Missa Defunctorum ea solum Eucharistia distribui possit, quæ in eadem Missa, non tamen, quæ ab alio Sacerdote consecrata, & in Tabernaculo, sive in Pyxide recondita sit, discedit. Cui & nos facile assentimur: cum inter utrumque casum nullam disparitatem, novamque hanc distinctionem nullo fundamento sustuliam videamus.

Ceterum excepti quipiam di. s. sunt, quibus Eucharistiam in Missa ministrare, aut lege, aut antiqua Ecclesiae consuetudine prohibuitur. Et quidem in nocte Nativitatis Domini id Sacra Rituum Congregatio vetuit die 7. Decemb. anno 1941. In Feria 6. Parasceves id pariter aliis, quam Infirmis, distribui prohibuit S. Congr. Rit. 19. Feb. 1692. Et quamquam Decretum hoc in Registris non reperiri testetur Meratus, Debr. 12. Febr. mandat Ordinariis; ut circa Communionem in Feria 6. in Parasceve Missalis Rubricae, & Ecclesiae Romanae usus servetur. Quod abunde probat, prohibitam eo die Communionem, tum quia Rubrica Missalis jubet in Feria quinta asservari quasdam particulas pro infirmis, & sic sanos excludit; tum quia juxta Romanam consuetudinem Feria 6. non tribuitur Eucharistia. De Sabbato sancto quidam disceptant; nos Macrum sequimur, qui in vocabulario Ecclesiastico ait: *In Missa Sabbati Sancti non dicitur ea Antiphona, quae appellatur Communio, quia non fiebat Populi Communio, quae ne nunc quidem facienda esset; quapropter absumpto earum Ecclesiarum, ubi Sabbato Sancto ministratur Eucharistia: plures enim facienda est Ecclesia; quam privata Fidelium devotio.*

Qua ratione Sacerdos in privato alicujus domus Oratorio Eucharistiam ministrare possit, Ss. D. N. Edicto 14. §. 11. tom. 7. juxta communem Doctorum sententiam demonstravit: opus videlicet esse speciali licentia Ordinarii.

EXERCITATIO XIII.

De usu ministrandi Eucharistiam extra Missam. (ex t. 9. l. 3. c. 10.)

Olim quidem Eucharistia non nisi Sacrificii tempore ministrabatur; at S. Cyrilli tempore ea Hierosolymis etiam extra Missam distribui coepit: conflente enim magna advenarum multitudine sacram deposcentium Cœnam, in Ecclesia Orientali fieri minime poterat, ut quoties distribuendum esset Sacramentum, Missa celebraret: ab Orientali deinde Ecclesia hæc consuetudo in Occidentem migravit; ubi a Rituali Romano præcipitur, ut communionem ministrans Sacerdos, superpelliceo, & stola ejus diei officio congruenti indutus sit. Apud Ambrosianos vero stola rubri coloris adhibetur.

Quæstio hic movetur, an Eucharistiam in peccato mortali ministrans lethaliter peccet? Et licet aliqui in negativam abierint

sententiam, nos tamen certum tenemus, Sacerdotem in crimine lethali Eucharistiam ministrantem se movere, gravissimoque scelere contaminare. *Mali*, enim, ut cum can. ult. 15. qu. 8. loquamur: *bona administrando se ledunt, & unde aliis commodum exhibent, inde sibi dispendium præbent.* Atque peccatum hoc juxta D. Thomam 3. p. q. 64. art. 6. pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum, quantum ex parte ipsius Ministratoris, licet Sacramenta secundum se ipsa incontaminabilia sint. Ex quibus deducimus cetera quoque Sacramenta non nisi in statu gratiæ administrari licite posse, si Baptisimum necessitate urgente impertitum excipias; ubi ministrans a peccato mortali excusatur, cum non operetur ut Minister ex officio, sed necessitati tantum occurrat. An vero reus Sacerdos pluribus Eucharistiam eodem tempore distribuens tot peccata contrahat, quot personæ ab eo communicatæ fuerint, controversatur: Sunt, qui unicum crimen, ob actus continuationem, committi arbitrantur, alii vero contendunt, peccata pro communicantium numero multiplicari; cujus rationem afferunt, quod actus hi, licet continuati, ejus tamen sint naturæ, ut singuli in uno definito termino perficiantur.

Præter allatum extra Missam Eucharistiam suscipiendi morem, ægrotis quoque mortique proximis in lectulo communio exhibetur, quæ Viaticum communiter appellatur. Circa quod observamus, quod licet olim in usu fuerit, ut infirmo, qui Eucharistiam sumere non posset, Hostia consecrata ad adorationem proponeretur, id tamen hodie minime liceat, cum S. Pius V. prohibuerit, ne ad moribundos, qui non possunt Eucharistiam deglutire, sacra particula deferatur: ut videre est apud Card. de Lugo resp. moral. 1. dub. 11.

Quæsitum hic, an moribundo, qui Eucharistiam sub specie panis deglutire non possit, liceret eam dari sub specie vini? Affirmativæ sententiæ favere videntur multa in rem hæc a Martene, Card. Bona, & Mabillonio adducta exempla, & Concilium Toletanum XI., quod can. 11. expresse statuit, ægro, qui Sacramentum particulam deglutire nequeat, Eucharistiam sub specie vini ministrandam esse. Vera tamen opinio est, id fieri non posse: præceptum enim suscipiendi Viaticum non obligat, cum illud gravibus de causis ab Ecclesia negatur. Cum ergo Calicis usum Ecclesia jussit de causis Laicis negaverit, sequitur nullo in casu licere huic Ecclesiae præcepto contravenire. Moment.

ment tamen aliqui Theologi, in ejusmodi casu posse moribundo Sacram adhiberi particulam, aqua, vel vino non consecrato intinctam. Quo confirmant exemplo Senis Serapionis apud Euseb. H. E. l. 6. c. 44. cui puer in aquam intinctam Eucharistiam in os infillavit; & ex S. Uldarico, qui lib. 3. antiq. con. clun. c. 28. t. 4. spic. testatur; consuevisse Monachis infirmis præberi Eucharistiam sub specie panis, vino non consecrato intincti.

EXERCITATIO XCIV.

De aliis quibusdam ad Eucharistiæ administrationem spectantibus. (ex t. 9. l. 3. c. 20., & ex tom. 1. Bul. num. 93. pag. 314.)

Complura alia scitu digna occurrunt, quæ ad Sacram Eucharistiam administrandam pertinent: Primum est non licere ad falsam fovendam devotionem, ulli vel plures, vel consueto majores tradere particulas: ut enim can. *Ubi pars* dist. 2. De Consecrat. ait: *Ubi pars est Corporis, est & totum. Eadem ratio est in Corpore Domini, qua in Manna...* qui plus collegerat, non habuit amplius; neque, qui minus paraverat, invenit minus. Non est omnino quantitas visibilis in hoc estimanda Mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis.

Alterum est, olim juxta veterem disciplinam licuisse, ad aliquod delictum detegendum, ei, qui suspitione ejusmodi premeretur, ante purgationem aut aquæ, aut ignis, in Missa, quæ *Judicii* appellabatur, Eucharistiam sumere. Verum hoc cum ceteris purgationibus a Ss. Canonibus sublatum est. Præterquam enim, quod hoc Sacramentum non in hunc usum institutum sit, fieri non potest, quin per hoc tentetur Deus, & occasio Eucharistiam sacrilegè suscipiendi reis offeratur. Ac licet, Vasquez quæstionem hanc egregie pertractans, arbitretur nihil criminis in se continere, purgationem cum Eucharistiæ sumptione, offerre; cum jusjurandum cum hac purgatione penitus convenire, atque rationum momenta utrobique eadem esse videat: non tamen licere hoc tempore ait, revocare quod jam exolevit, usque abrogatum fuit.

Tertium est, non licere Hostiam non consecratam pro consecrata peccatori offerre, qui paratus sit Sacramentum in peccato suscipere, ut constat ex Decret. Innoc. III. in cap. *de Homine* de celebr. Missæ. & ex hac ab Innocentio XI. damnata propositione: *ur-*

gens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. Ceterum circa peccatores, qui Eucharistiam impœnitentes expetant, has observamus regulas: vel enim peccator manifestus eam postulat, & huic tam publice, quam privatim Eucharistia deneganda est: vel peccator occultus eam flagitat; & huic publice petenti, exhibenda est Eucharistia, ne infamia conspergatur; secus vero privatim. Ubi observa occultum peccatorem nequaquam intelligi, qui talis sit ex Sacramentali confessione: huic enim Confessarius etiam privatim petenti Communionem præbere tenetur; sed eum, quem Sacerdos talem privata scientia noverit. In Gallia ultimo supplicio afficiendis Eucharistia denegatur, quod tamen in aliis Europæ Provinciis non obtinet, sed reis tempeste, ut Communionem inter, & mortem spatium consumendarum specierum intercedat, Eucharistia præbetur, dummodo pœnitentiam suorum peccatorum præferant, & sic ob veram cordis contritionem ea non indigni judicentur.

Denique non abs re futurum arbitramur, si sanctionis memoriam facerimus, quæ contra suscipientes, vel asportantes, aut apud se retinentes Sacras Hostias a Ss. D. N. Benedicto XIV. edicta fuit. Confirmat videlicet ille Constitutiones Innocentii XI. & Alexandri VIII. quibus enormis hujus facinoris rei, non consideratò delinquentium statu, ordine, aut privilegio, pro prima etiam vice brachio seculari plectendi traduntur. Cui adjungit, nequaquam Fisco seu Consecrationem particularum, seu surripientium pravam intentionem probandam incumbere; sed præsumptionem utriusque contra accusatos pugnare. Qui, ut se a statutis pœnis liberent, juridicis, & concludentibus argumentis probare debent, aut particulas a se asportatas non fuisse consecratas, aut se illas non prava intentione retinuisse.

EXERCITATIO XCV.

De Missarum Eleemossina. (ex tom. 9.9. l. 3. c. 21.)

MOS olim, plurium seculorum intervallo retentus, in Ecclesia fuerat, ut Fideles Sacrificio intervenientes panem, & vinum ad Altare offerrent, tum ut ea a Sacerdote consecrata sumerent, tum, ut eorum reliquiis Ecclesiæ Ministrorum necessitatibus subvenirent. Quod egregie ostendit Christian. Lupus *diss. 2. præm. ad Decret.* & *Can. Concil. tom. 3.* Præter panem, &

vinum aliud offerre prohibuit *Can. 3. Apost.* Quod tamen de Oblatione Sacerdotis mystica intelligendum opinamur. Nam canosa sequenti permittitur, ut, *nova spica, uva, oleum ad luminaria, & thymiana*: (cuncta videlicet, quæ Ecclesiæ & Divino cultui inservirent;) offerantur. Alios autem fructus in domum Episcopi, Ministris Ecclesiæ distribuendos mitti jubet. Simile quidpiam Concilium Carthagin. III. statuit. Quod, cum omnium præter panis, & vini Oblationem interdicit, sententiam suam ita restrinxit, ut in die Paschalis festivitatis mel, & lac offerri permittat, quod egressis e Sacro fonte recepta consuetudine distribuatur. Ubi tamen probe adnotat, ea, licet in Altari offerantur, propriam tamen habere benedictionem. Posteriore deinde ætate usus obtinuit, ut nihil quidem præter panem, & vinum Offerentii tempore exhiberetur, liceret tamen Fidelibus, seu ante Missam, seu ante, aut immediate post Evangelium, ea, quæ vellent, in Sacerdotum commodum ad Altare offerre, ut videre est apud Martene de antiq. Eccles. ritibus. t. I. l. I. cap. 4.

Et hæc quidem eduliorum, & fructuum oblationem concernunt. Sed an inter cetera offerri etiam pecunia ad Altare consueverit, profecto ignoramus. De Arca quidem, in quam modica Stips a Fidelibus deponeretur, qua collector subveniret pupillis, & viduis, & iis, quæ ob morbum, vel aliam ob causam egerent, tum etiam iis, qui in vinculis essent, & advenientibus peregræ hospitibus, & omnibus denique indigentibus; & Tertull. apol. c. 29. & Justinus apol. 1. ad Anton. Pium num. 67. testantur: sed quandoam, non in Gazophilacium, seu Arcam imitti, sed ad Altare, pecunia offerri cœperit, ex his æque obscurum manet. Neque lucem affert S. Augustini ad Aurelium Primatem epistola, in qua ait: tempore oblationis, seu Missæ pro Defunctis fuisse simul denarios oblatos; nam, tum istos ab ipsismet offerentibus in pauperes erogari præcipiat, non videtur approbare, ut in Diaconorum manibus ad Altare deponerentur. Deum quamquam Honorius Augustodunensis, Scriptor XII. sæculi, in gemina anima l. I. c. 58., tunc in Ecclesiam morem investum asserat, pecuniam loco panis ad Altare offerendi, cum desierunt Fideles Sacrificio assistentes sacra mysteria participare; tempus tamen, quo id acciderit, silentio præterit.

De quo, quidquid demum sit, illud cum Thomassino de vet. & nov. Eccl. discipl.

p. 3. l. I. c. 7. num. 8. indubitatum tenemus, juxta primigeniam Ecclesiæ disciplinam, sive panem, sive fructus, sive pecuniam Fideles obtulerint, ea oblata fuisse Ecclesiæ, & Clericis in commune, non vero datum cuiquam peculiari Sacerdoti, ut Missam privatim faceret, quæ uni eleemosynam facienti prodesset. Quem morem, non ante sæculum VIII. inductum, nec passim ubique ante XII. receptum asserit Mabilionius in præf. ad p. I. sæculi III. Benedict. num. 62. Licet illum longe antiquiorem asserat P. Franc. Berlandi in Dissertatione sua de Oblationibus.

Contra specialem hæc Sacrificii pro Eleemosyna applicationem IX. jam Sæculo Walfridus Strabo insurrexit, & hodierno tempore Novatores debacchantur. Ille in lib. de rebus Eccles. c. 22. ad Sacerdotes specialem oblationem facientes ait: *Quod si cui placet pro singulis singulatim offerre; pro solius devotionis amplitudine, & orationum augendarum declaratione id faciat, non autem pro sulta opinione, qua putet, unum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum*. Hæretici dicitant pecuniam Sacerdoti celebrato in Missæ pretium dari, eamque veluti aperte simoniacam damnant. At non animadvertit Walfridus, quod est Sacrificium ex parte rei oblatæ, & principalis offerentis, scilicet Christi, sit infinitæ virtutis, non tamen, ita ejus Institutore Christo volente, infinitos producit effectus. Quare aut consideratur tanquam propitiatorium, & certo pro illo speciatim satisfacit, in cuius debiti solutionem Deo exhibetur; aut consideratur tanquam impetratorium, & ad beneficia illi uberius elargienda Deum movet, pro quo nominatim Sacerdos Deum exorat. Rem totam explicat D. Thomas. In 4. d. 45. q. 4. q. 1. & 2. Idem ipse Hæreticorum etiam calumnias, antequam exorirentur, diluerat. 2. 2. q. 105. ar. 2. ad 2. inquit: *Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistiæ; hoc enim esset simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis, cum juxta Apost. 1. ad Cor. 9. nihil æquius sit, quam, ut, qui Altari servit, de Altari vivat*.

Verum licet res ita se habeant, contigit tamen, ut ex perversa quorundam Sacerdotum avaritia, nefandoque scelere innocens, & sancta hæc consuetudo in pessimum detorqueretur abusus. Fuerunt quippe, dum Presbyteris in die plures Missas celebrare concessum fuerat, sordidi quidam non Christi, ut Biographus S. Thomæ Cantuar. ait, sed Mammonæ Sacerdotes, qui propter obla-

tionum questum, unam Christi, & semel oblatam Hostiam quotidie, non semel, sed libentius iterum non tam consecrarunt, quam dilaniarunt; ac dum Sacrificiorum iterationem, excepta Nativitatis solemnitate, Alexander II., & Innocentius III. vetuissent; fuere, qui nequiores adhuc artes excogitarunt. Aliqui enim tot Hostias in eadem Missa consecrabant, quot Eleemosynas acceperunt; aliis plures Missas in unam congerebant; repetendo videlicet omnes Missa partes, excepto Canone, tot vicibus, quot munera illis tributa fuerunt; atque hæc Sacrificiorum monstra, pro numero iterationum jam Missas bifacias, jam trifacias, &c. nuncuparunt.

Infauftis his mercimoniis ab Ecclesia postea eliminatis, non idcirco improba Sacerdotum cupiditas fuit radicitus evulsa; cum enim plures, quam unicum Eleemosynam, accipere prohiberentur, de ea, quasi de mercis cujuscumque pretio, pacificebantur, ac ita, ut Cardinalis Robertus Pullus ait: *cum Juda Christum vendebant tanto nequius, quanto magis resurgendo est sublimatus. Quamobrem, ut gliscens hæc pestis tandem ab Ecclesia prorsus repelleretur, Patres Concilii Toletani ann. 1524. vetuerunt, ne ultis Sacerdos quidpiam, vel minimum, pro Missa ex pacto exigeret, sed Eleemosyna contentus esset, quæ ei sponte daretur. Ac cum ne sic quidem sacrilegi illius mercimonii semen penitus extinctum fuisset, Concilium Tridentinum ses. 22. in decreto de obser. & evitand. in celeb. Miss. Episcopis injunxit, ut tollant cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales Eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant. Quapropter mox aut consuetudine, aut Episcopali statuto, aut synodali Decreto taxationes Eleemosynarum, locorum, & temporum circumstantiis accommodatæ, factæ fuerunt, a quibus Sacerdoti recedere nefas est; Cui taxationi seu Episcopali, seu Synodali, rescribente Sac. Congregatione Concilii anno 1659. 15. Januarii, etiam Regulares subiecti sunt. Ut ita nulli prorsus Sacerdoti ubiorem Statuto Eleemosynam, nisi a sponte offerentibus, accipere liceat; quamquam minorem solito accipere non prohibeatur, cum cuilibet juri suo cedere concessum sit. Ubi tamen observandum, similem liberalitatem in aliorum, qui forte per hoc consuetæ Eleemosynæ pri-*

varentur, dispendium, & detrimentum cadere non debere, ut Sac. Congr. Concil. die 16. Julii 1689. respondit. Cumque Eleemosyna ab Episcopis taxata, exigua, ut plurimum, esse soleat, Urbanus VIII. decrevit, nihil ex Eleemosynis manualibus nomine indumentorum Sacrorum ab Ecclesiis esse detrahendum; ex stipendiis vero Missarum perpetuarum in summa solum Ecclesiæ egestate aliquid esse impendendum.

Demum has ab Alexandro VII. anno 1665. damnatas propositiones adjicimus: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittenti stipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Contigit tamen aliquando adeo ingentem esse numerum Missarum ex piis Defunctorum legatis in perpetuum celebrandarum, ut illum implere, & exæquare impossibile sit. Concilium Tridentinum facultatem indulfit in hoc casu Episcopis, & Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, ut illi in Synodo Diocesana, hi vero in Capitulis Generalibus pro ipsorum arbitrio, & conscientia Missarum onera contrahere, seu earum numerum minuire possent. Verum hanc facultatem, qua tum temporis plerique Antistites usi sunt, ad Sedem Apostolicam avocavit Urbanus VIII. in sua constitutione 45. Bullar. tom. 5. Unde Episcopis hodie integrum non est in quocumque eam Missarum numerum minuire, quidquid in contrarium dicat Pasqualigo, & Passerinus. Recurrendum igitur est ad Romanam Pontificem. Tamen post Urbanum VIII. alii Pontifices fere omnibus Religiosis Institutis indulserunt, ut Superiores generales possent, servatis quibusdam regulis, Missarum onera contrahere vel antea relicta, vel denuo acceptata. Idem vero Benedictus XIII. indulfit omnibus Episcopis, qui interfuerunt Concilio Romano.

Si autem Missa dicenda in una Ecclesia ob illarum numerum ibi omnes dici non valent, possunt celebrari in alia Ecclesia expresscripto Episcopi, ut decidit Sacra Rota approbando Constitutionem Archiepiscopi Toletani. Similiter cum ingens eleemosynarum copia exhibetur, ut Missæ celebrentur in determinato aliquo Altari seu Cappella, Sa-
cra

era Congregatio Concilii decrevit: Missarum celebrationem non ultra hebdomadam esse differendam, unde si impossibile foret in decursu unius hebdomadae omnes ibi celebrari, celebranda sunt in alio Altari, seu Cappella ejusdem Ecclesiae.

EXERCITATIO XCVI.

De aliis quibusdam quaestionibus, quae circa Sacrificium Missae tractari solent. (ex l. 9. l. 3. c. 22.)

EXaminandum superest, an ille, qui ad ipsam celebrationem solum adstringitur, duplex possit stipendium accipere; anam namque pro celebratione, alterum pro Missae applicatione? Duplex in hac re Doctorum est sententia. Quidam enim cum Passerino, Card. de Lugo, & Gavanto alicui S. C. Concilii die 13. Julii an. 1670. prolato Decreto innixi affirmativam tenent; alii vero cum Diana diversum ab hoc die 9. Junii, & 6. Februarii an. 1677. ejusdem Congregationis rescriptum adducentes, negativam propugnant. Ss. tamen N. D. Benedict. XIV. qui huic S. Congregationi tanta cum laude, tantaque gloria a secretis fuerat, testatur sibi, quam diligentissime investiganti, nullum horum Decretorum innotuisse, sicque rem componit, ut asserat, Sacerdotem non aliter applicationem pro nova Eleemofyna facere posse, quam si apertissime docere queat, a pio Testatore Missae celebrationem unice requiri; & Sacerdotis arbitrio permitti, ut fructum Sacrificii, cui libuerit, attribuat; atque sic constituisse Sac. Congr. Concilii die 18. Mart. ann. 1658. in caus. Tinen. demonstrat.

Circa sortem Missae perpetuae, variae olim fuerunt consuetudines. Card. Boncompagnus eam in sua Dicecesi 112. Scutorum Romanorum constituit, Innocentius XIII. ad 60., & Benedictus XIII. ad 90. redegit, a quo insuper ea conditio adjecta fuit, ne Episcopi majorem, aut minorem pecuniae summam pro Missis perpetuis in posterum statui paterentur.

Adjungimus hic perpaucas quae S. Carolus Borromeus advenit, & Confessariis praecipit in instruct. ad Confes. p. 4. adf. Mel. *Non modo non petat, sed nec velle se habere significet pecuniam, alioquin rem pro suscepti in confessione laboris munere; immo verbis, vel potius factis ab his omnibus abhorreere demonstrat. Cum pro poenitentia Missas injunxerit, sibi, aut Ecclesiae suae, aut Monasterio dicendas non addicat. Qua-*

re, quamquam licet Confessariis Missas aliquas celebrandas Laicis indicere pro criminum expiatione, Ss. tamen D. N. Benedictus XIV. cum adhuc Bononiensem Ecclesiam regeret, Confessariis, *sub poena suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto*, praecipit, ne stipendia sibi, vel Ecclesiis suis tribuenda caperent pro Missis, quae poenitentibus imponere.

Tandem adnotamus ex Rituali Romano: *Quod antiquissimi est institutum; illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa, praesente corpore Defuncti, pro eo celebratur, antequam Sepulture tradatur.* Quapropter Ss. D. N. Bononiae adhuc Antistes, ut vetus haec, pia, ac Sanctae Ecclesiae consuetudo etiam in egenis sepeliendis servaretur, non quidem praecipio, sed consilio, seu Lege, sed exemplo persuasit. Nam cum datum videretur, ut Parochus, qui pro Populo festis diebus offerre debet, aliis quoque diebus Eleemofyna fructuaretur, consulit: primo, ut inquiratur, an in Parochia Sacerdotes versentur, qui pietate ducti Missae Sacrificium pro egeno defuncto celebrare velint; ut ipse a Parocho suo rogatus praesitit. Deinde videndum si forte aliquis in Parochia magis opulentus stipendium in Sacrificium conferre non recuset. Denique permittit, ut e capsa Eleemofynarum pro Defunctis, aut in honorem Ss. Eucharistiae expositis tantum desumatur, quantum ad Missae stipendium sufficiat. Ad quaestionem, quae hic moveri solet, an videlicet pauperes, pro quibus una solum Missa offerat, peioris sint conditionis divitibus, pro quibus complures recitantur? Sicut cum S. Thoma respondet: *Nihil obesse: quo minus divites hac parte melioris sint conditionis, ut scilicet cumulationibus Eleemofynis magis sublevantur a poena Purgatorii: sed multo pretiosior est, quod pauperes tunc vitari periculo, & majori cumulo charitatis ad ampliores gloriam acceptentur; cum divitibus neque tam facilis sit ingressus, nec ad tantam gloriam.*

EXERCITATIO XCVII.

De particularibus Beatorum Missis, & celebratione in Ecclesiis Regularium. (ex l. 9. l. 3. cap. 23. & ex l. 4. de Beatis. p. 2. cap. 2. num. 1. 2. usque 5.)

CUM in honorem aliquorum Beatorum, certis sollemnitate certibus Missam celebrare speciali privilegio indultum sit, quaeritur utrum Presbyteri sive Seculares, sive Reg-

Regulares, quibus in Brevi Beatificationis non est concessa facultas recitationis Officii, & celebrationis Missæ, Missam aliquando in honorem Beati celebrare possint, & Officium recitare? Affirmativam nonnulli cum Castrofalao, atque Del-Bene tuerent. Nos tamen contrarium sentientes asserimus. *primo* nequaquam licere seu Missam privatam, seu votivam in honorem alicujus Beati, ab eo, qui in indulto non comprehenditur, celebrari. Præterquam enim quod juxta Decretum editum die 16. Decemb. 1659. non sit permissum vel Sæcularibus, vel Regularibus excedere limites verbales. *Indulti* Beatificationis, certum etiam est, privilegia non posse extendi ultra personas in eo expressas. Quod magis adhuc circa Missas votivas obtinet, utpote quæ ordinarie tantum de Sanctis canonizatis celebrantur. Ob quas etiam rationes *secundo* adstruimus, publicam officii recitationem pariter interdictam esse licet concedamus permissum esse omnibus privata devotione officium in honorem Beati recitare. Ex quibus deducimus, quod si in aliqua Regularium Ecclesia festum duplex celebretur in honorem alicujus Sancti, & Regularibus ipsis concessa sit a Sede Apostolica Missa particularis non inserta in Missale Romanum, ceteri Sacerdotes in indulto non comprehensi, & in Ecclesia Regularium, aut Monialium celebrantes eam Missam particularem celebrare non possint. Ut tamen multa incongruentia evitentur, concessit S. C. Rituum die 19. Nov. 1622., & 9. Junii 1668., *Ut Missam quidem dicant de festo, sed cum Missali Romano.* Cui accedit aliud Decretum generale ejusdem Sac. Congregationis anno 1717. approbatum a Clemente XI. quod ait: *Licere in posterum tum Confessorio, tum Capellanis quarumcumque Monialium addictis, Missas Sanctorum, de quibus ipse recitant Officium, celebrare, sed cum Missali Romano.*

Quapropter Præfatis Regularium, qui Missali Romano non utuntur, incumbit, ut pro exteris Sacerdotibus illud in Sacramentum retineant, ne aliam, ac debent Missam celebrent, sed eam potissimum, quæ in Missali Romano præscribitur.

EXERCITATIO XCVIII.

De Celebratione quarundam Missarum.
(ex t. 9. l. 3. c. 23.)

PRÆTER Missas, quæ speciali Sedis Apostolicæ indulto, in honorem quorumdam Beatorum conceduntur, aliæ quoque occurrunt occasiones, quibus aut ad avertendas a Republica pestis, belli, vel famis plagas Dei imploratur Misericordia, aut ob recepta ingentia beneficia Summo Numini ab universo populo grates redduntur, idque Solemni Missæ Sacrificio. Ac ut Missas, quæ in Coronationum, Conventuum publicorum, aut fœderum iniendorum festivitatibus celebrantur, taciti prætereamus, de Synodali- bus solum Missis, & iis, quæ vulgo S. Gregorii nuncupantur, quædam adnotabimus. Synodales ex sunt, quæ a S. Carolo Borromæo in sua Diocesi primum præscriptæ, nunc vero in omnibus fere Episcopatibus receptæ sunt: prima videlicet Synodi die Episcopus Missam de Spiritu Sancto, secunda Canonicorum aliquis pro Defunctis, tertia de Trinitate dicit. Quod Missas S. Gregorii attinet, ex veteribus testamentis deprehendimus, nonnullos pietate ductos præcepisse, ut Missæ S. Gregorii pro animarum suarum expiatione celebrantur. Hæ autem originem suam inde desumpserunt, quod S. Gregorius, defuncto quodam Justo monacho, alteri injunxerit, ut continuis triginta diebus pro ejus anima Hostiam salutarem Divino Numini offerret. Quo temporis spatio paracto, Copiosus Monachus asseruit, Justum sibi apparuisse, seque a Purgatorii flammis liberatum nuntiasse. Hinc Fideles, pio zelo ducti, has continuarum triginta Missarum oblationes sub nomine S. Gregorii pro Defunctorum solatio adoptarunt, & Cluniacense Monasterium inter consuetudines suas adscivit. Verum cur res etiam Sanctissimæ, aut ex sordida quorumdamavaritia, aut ex prava superstitione non raro deturpentur, contigit, ut quidam triginta Missas prorsus ineptas, & rebus haud convenientibus refertas confecerit, easque a S. Gregorio appellaverit; Ita, ut Sacra Rituum Congregatio se constrictam viderit, consuetas has Missas tollere, atque ut superstitionas vetare. Absit tamen Sacram Congregationem piam illam consuetudinem fuisse: Inania solum abstulit, superstitionem suppressit; Fidelium vero pietatem, & erga Defunctos amorem non solum non improbat, verum suadet, & laudat. Ubi ad-

SYNOPSIS DOCTRINÆ DE FESTIS D. N. JESU CHRISTI. LIBER I.

CAPUT I.

De festo Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi, & Octava Nativitatis ejusdem, que Kalendis Januarii celebrantur.

I. DE Festo Circumcisionis, Nativitatisque Domini Octava, Kalendis Januarii celebrato, nobis agendum est in presenti. Et 1. de Circumcisionis Institutione: 2. de illius effectibus: 3. de Circumcisione Christi Domini: 4. Denique de ipsomet Festo, in quo Circumcisum Dominum adoramus.

2. Quod attinet ad primum, Circumcisio a Deo fuit instituta, immo & præcepta, quando Abraham, uti legitur in Genesi (*cap. 17. ver. 1. & seq.*) Deus apparuit, ritum in se quinque continentem præcepta præscribens. Videlicet 1. ut soli Masculi circumcidantur, & in hoc denotatur sexus: 2. ut de Masculis solummodo Abraham cum filiis, & servis circumcidatur; & in hoc statuitur conditio: 3. ut octavo post ortum die fiat Circumcisio; & in hoc determinatur tempus; 4. ut fiat Circumcisio in præputio; & in hoc designatur pars: 5. ut sit fœderis signum inter Deum, & homines; & in hoc declaratur finis. Quicumque autem huic pacto, tamquam fœderi æterno, non paruerit, penas infallibiliter luat.

3. Circumcisionis præceptum, ex D. Thoma, (*3. p. 2. q. 70. a. 2.*) Abrahamo impositum fuit multo ante Leges Mosaicæ promulgationem; quæ fieri debebat, populo convento, per signum sensibile, qualis est Circumcisio. Constat enim, ex Levitico, (*12. v. 3.*) quadringentis circiter annis ad Abraham, electum a Deo Moysem Legem Circumcisionem continentem promulgasse. Unde etiam in Exodo (*6. 12. v. 28.*) decretum erat, ut quicumque ex Gentibus Religionem Judaicam voluisset amplecti, Circumcisionis legem in se, filiisque suis subire teneretur; quod factum de Achior narrat *Judith. Historia* (*6. 14. v. 6.*).

4. Hujusmodi Circumcisionis ritum, licet ab Ægyptiis ad Hebræos originem duxisse affirmant Marshamus, & Spencerus ex Herodoti, (*Lib. 2. cap. 10.*) & Diodori Siculi (*Bibliot. l. 1. c. 17.*) Auctoritate; & Antonius Bineus heterodoxus (*Disserts. de Jesu Chr. Circumcis. anno 1689.*) contendat, neque Judæos ab Ægyptiis, neque hos ab illis mutatus esse, nihilominus tenendum omnino est, ab Hebræis ad Ægyptios originem duxisse. Ad rem facit, quo Moyses Pentateuchum scribens, primus fuit ex omni gente scriptor; Herodotus autem, & Diodorus multis post sæculis florere, sub Dario Histaspæ, Xerse, & Artaxerse Longimano primus; secundus autem sub Julio Cesare & Augusto. Et licet in Jeremia legatur (*cap. 9. v. 25. 26.*) usum Circumcisionis inter Ægyptios viguisse; hoc accidit forsitan, vel propter vicinitatem, commerciumque cum Hebræis, Salamonis præsertim ætate; vel maxime propter amicitiam cum Abrahamo, Josepho, & Moyse. De hac re pertractavit cum plurimis Natalis Alexander (*Histor. Veter. Testam. Tom. I. Dissert. 6.*)

5. Ea revera Circumcisio data fuit a Deo Hebræis, ut per tale signum a cæteris secernerentur gentibus; quia cum Christus Abraham ex femine nasci oporteret, ab eoque ad Abraham, multa essent sæcula evolventa, necessum erat, ut Israeliticus populus aliquod haberet signum, per quod Abraham Soboles a cæteris gentibus secerneretur. Unde Hebræi antonomastice *circumcisi* sunt appellati; Gentes vero *Incircumcisi*; & præputii vocibus D. Paulus eos nominabat.

6. 7. Jam de circumcisionis effectibus; prius dicendum Theologos omnes cum D. Thoma (*3. p. qu. 62. a. 6.*) tenere, legis veteris sacramenta, licet vera, non continere in se gratiam sanctificantem, nec etiam eam conferre; sed dandam solum per Christi Passionem significare; quia sunt tantummodo signa Passionis futuræ; novæ autem legis.

gis Sacramenta se moraliter, & non physice gratiam producere, hancque efficaciam ex meritis ipsius Christi Passionis provenire. Unde veteris legis Sacramenta, gratiæ cum sint figura, eam conferunt per fidem, pietatemque, tum ministrorum, tum suscipientium *ex opere operantis*, ut Theologi loquuntur; novæ vero legis *ex opere operato* digne suscipientibus ex merito Passionis Christi, ut ait Eugenius IV. (*Dec. seu instruct. Armenorum.*) & Catechismus Romanus (*Part. 2. de Sac. in Gener. unum. 29.*)

8. 9. Hæc autem virtus Sacramentorum legis veteris, quidquid dicant veteres Theologi a D. Thoma (3. p. qu. 62. art. 6. ad terr.) relati, & refutati, certe, & infallibiliter Circumcisioni convenit, cum inter Mosaicæ legis Sacramenta annumeretur. Ex modernis autem aliqui cum Estio (*Lib. 4. disp. 4. §. 29. & duob. seq.*) ex illo Genesios (*cap. 17. v. 14.*) virtutem Baptismi Circumcisioni tribuunt; quin ex hoc sequatur infallibilis Hebræorum sine Circumcisione decedentium damnatio: nam vel Hebræi mortui erant ante octavum diem completum, & tunc justificabantur per fidem Patrum suorum, aliquo sensibili signo declaratum; vel toto perigrinationis tempore in deserto, quo compertum est apud D. Thomam (3. p. q. 70. a. 4.) ex Josue (c. 3. v. 6.) circumcisum fuisse eorum nullum; & tunc erat Israeliticus populus ab hac lege dispensatus, seu neglectæ Circumcisionis culpam minime contraxit: vel denique nullus incircumcitus in deserto se vivis fuit sublatum argumento Davidis textus: *Non erat in tribubus eorum infirmus* (*Ps. 104. v. 37.*)

10. 11. Ex opposito alii acerrime pugnant circumcisionem nunquam originalis fuisse remedium, nec gratiam conferre *ex opere operato*. Secundum deducitur ex literali textu Apostoli ad Romanos. (c. 3. v. 12.) Primum, ex Genesi (c. 17. v. 10. 11. 14.) ubi Deus ait, Circumcisionem signum esse amoris, sceleris, & distinctionis Israelis a cæteris Gentibus; & *Marcus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit: octavo die: addunt septuaginta Interpretes delebitur illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Ex qua additione arguit cum aliis D. Augustinus, textum prædictum loqui de infantibus, mortemque minitatum poenam esse Originalis, cujus, tantummodo ante octavum diem infantes rei esse poterant; præceptum autem non esse de Circumcisione, sed de Adami prævaricatione. At præterquam quod prædicta verba desunt in Codicibus Hebraicis, & Paraphrasi Chaldaica, im-

mo & in latina vulgata, Doctoris pace, verba illa non de infantibus, sed de adultis sunt accipienda; non de morte spiritali, & æterna, originalis, poena, sed de illa poena, qua incircumcitus a populo electo erat segregatus; non denique de præcepto, quo Adam pomum comedere est prohibitus, sed de Circumcisione a Deo Abrahæ, ejusque posteris impetrata. Eradite in hunc locum cum multis Ven. Card. Bellarminus. (*Tom. 3. controu. l. 1. de effectib. Sac. c. 17.*)

12. Denique nonnulli cum Theophilo Raynaudo (*Tom. 13. p. 94.*) contendunt, Circumcisionem ad remedium originalis non fuisse institutam: quapropter, stante doctrina Augustini, (*Lib. 5. con. Jul. c. 2.*) in infantibus ante octavum diem decedentibus originale debebatur per idemmet sacramentum, quod in lege Naturæ delendi pollebat virtute: in cæteris vero Hebræis abstersum remansit originale ex sola Dei liberalitate, cum juxta Card. de Lugo (*Tract. de Sac. disp. 3. sect. 3.*) Circumcisio ex sua institutione careat omni vi justificandi, delendumque peccatum. Sed omnino tenendum cum D. Thoma (3. p. q. 38. art. 3. ad 3. q. 75. art. 4.) Circumcisionem ad remedium originalis fuisse institutam, illudque non ex opere operato, sed ex opere operantis aboleri, quæ ex doctrina Eugenii IV., (*Cit. Dec. florentin.*) & Innocentii III. (*c. Majores de Bapt.*)

13. 14. 15. Quod attinet ad Christi Circumcisionem dicendum, Lucam (c. 2. v. 21.) solummodo scribere, octo consummatis diebus; fuisse peractam, Ex quo arguit Bailletus cæterarum rerum notitiam ad æternam animarum salutem minime conducere; licet ad nostram doctrinam earum meminerint Doctores. Et imprimis dicendum ex Epiphanio, (*Her. 20.*) locum Circumcisionis fuisse idemmet præsepe, in quo natus est Salvator; Hebræorum more, qui, teste Genesi, (c. 17. v. 23.) non in Templis, aut Synagogis, sed in privatis adibus circumcidebant. Ministerium vero Circumcisionis ex S. Ephrem Syro (*Orat. de Circ. D.*) cum aliis, B. fuisse Virginem, vel D. Josephum; quia prædictum Ministerium, uti constat ex Genesi (c. 17. v. 23.), Apostolorum Actibus (c. 7. v. 8.) & lib. 1. Machab. (c. 1. v. 63.) ab usi Hebræorum haud alienum, Sacerdotali ordini vel levitico non erat annexum, sed conveniebat etiam laicis utriusque sexus patribus familias. Cultrum denique, etfi ex P. Ayala (*Pict. Christ. an. 1730.*) affirmare quis sine temeritate poterit vel ferreum vel Chalybeum fuisse; attamen significante Deo Josue lapidei cultri usum, (*C. 5. v. 2.*)

Josue) non ex præcepto jubente, juxta D. Thomam (3. p. 9. 70. a. 3.) & alios, cumque in usu esset apud Hebræos, uti legitur in Exodo, (c. 3. v. 25.) ratio postulat, ut eodem lapideo instrumento Circumcisionem fuisse Christum affirmemus cum D. Bernardo (Serm. 1. de Circ. D. n. 1.) & aliis. Neque contra hanc auctoritatem refragatur usus pictorum utpote severe a P. Ayla supra, & aliis reprehensus, Circumcisionem cum ferro cultello in templo factam, depingentium.

16. 17. Hoc nativitatis tempore, quidam alii dicant; nobis placet affirmandum, Circumcisionis legem adhuc robur habuisse; quia juxta commune, certum est; Legem veterem non nisi post Christi mortem finem habuisse. Ea de causa indubium manet Hebræos, minime vero Gentiles, Circumcisionis lege teneri, antequam Christi fidem essent amplexi. Ex quo accidit, ut D. Paulus non Titum, patre, & matre gentili natum, sed Timotheum, qui matre Judæa erat, circumcideret. Neque per hoc sequitur Christum Circumcisionis lege fuisse adstrictum; tum quia Christus immunis erat ab originali; tum quia ea non indigebat adfirmandum: foedus inter Deum, & Abrahamæ Semen, quod in ipso novum, perfectiusque firmabatur. Ita differunt DD. apud Calmet, (In c. 2. Luc. n. 21.) & alios: Legi tamen parere voluit Redemptor, licet ex Soto (In 4. sent. dist. 2. q. 1. a. 3.) ad illam non teneretur; eo quod nec virili semine, nec linea Abrahamæ masculina genitus fuisset, ut nimirum suo exemplo virtutem obedientiæ nobis demonstraret: vel etiam ex Bernardo, (Serm. 4. de Epiph.) ut ostenderet se Legis veteris, sicut & Evangelii, Auctorem esse: vel denique ex Petro Blesense (Serm. 7. de Circumc.) ut nobis humilitatis forma esset, caputque Ecclesiæ cum sit, non pro se, sed pro membris Circumcisionis Legem observasset.

19. 20. 21. 22. 23. Denique de Circumcisionis Festo, quod duplici nomine & Circumcisionis, & Octavæ Nativitatis appellatur. Octavam appellarunt Codex Sacramentorum Ven. Card. Thomasio tributus; vel, (ut volunt aliqui) Gelasio; vel denique (ut Benedicto XIV. placet) D. Leoni Magno, ejusque Prædecessoribus: Kalendarium Romanum nongentis, & amplius ab hinc annis scriptum, & evulgatum a Joanne Frontone: S. Almachius sub Alipio Romæ Præfecto coronam Martyrii consecutus. Circumcisionem appellarunt Martyrologium Ecclesiæ Occidentalis antiquissimo a Francisco Maria Florentino editum:

Martyrologium Usuardi in Parisiensi S. Germani Monasterio repertum, & nuper a Benedictino quodam Monacho evulgatum; & Concilium Turonense. (Can. 17. T. 5. collect. Labb. p. 857.) At melius dicendum cum Ivone Carnotense (Ser. de Circumc.) Octava, & Circumcisi uni concinunt Sacramento; quia cum Domini Circumcisi, quem admodum Lex Judaica jubebat, octavo facta fuerit die, idem plane est dicere Festum Octavæ, ac Festum Circumcisionis. Consonat Jus Canonicum, (can. Pronunciandum, de consec. dist. 1. c. Conquestus de feriis.) Sacramentarium Gregorii, Martyrologium Romanum, & alii.

24. &c. Duo ad calcem libet notare. Unum: Festum hoc antiquissimum esse, cum illius jam ut antiqui meminerit supra allatum Concilium Turonense anno 565. celebratum. At multo antiquius istum judicat Honoratus a S. Maria, (T. 2. de Regul. & usu. critic. l. 3. dist. 3. a. 1.) cum illius recedatur S. Almachius prope finem quarti sæculi Martyrii palmam consecutus, Alterum; duas hac die, uti colligitur ex vetustis quibusdam Missalibus, & Micrologo (c. 39.) Missas celebrari, de B. Virgine unam, de Circumcissione alteram; quam consuetudinem ætate sua viguisse, ait Durandus (in Ration. l. 3. cap. 15.) decimitertii sæculi Scriptor. Ex eo forsitan usus obtinuit, ut in hujus diei Festo, tum in Officio, tum in Missa plura contineantur, quæ ad B. Virginem spectant. Unde Kalendarium Frontonis supra laudatum hoc sub titulo Festum Annuntiat: Natale S. Mariæ, qui titulus, uti mendosus, correctus fuit a Martene: Natale S. Martinie. At immutandum nihil, priorque lectio, tamquam vera, retinenda, utpote denotans hujus diei Solemnitatem in honorem etiam B. V. consecrari.

CAPUT II.

De Festo Epiphaniæ, quod postridie Nonas Januarii celebratur.

1. 2. 3. 4. **H**Oc uno in Festo Epiphaniæ, seu Manifestationis ex Augustino, (Serm. 203. alias 64. de divers.) Apparitionisve ex Bernardo, (Serm. 3. de Epiph.) Romana celebrat Ecclesia triplicem Christi manifestationem: Gentibus in Magorum adoratione; Judæis in Baptismi a Joanne collatione; Discipulis ex aquæ in vinum conversione; ut hac sua triplici Apparitione ex Florentino (Exercit. 3. de Hist. Major.) sanctificaret hunc diem, Orosio teste (Lib. 6.)

tribus Augusti triumphis celeberrimum. Vel denique ex Bernardo, (*Serm. 1. in Epiph. Dom.*) ut ex apparitione inter matris ubera, verus homo nobis innotuisset; ex Patris testimonio, verus Dei Filius; ex aquæ in vinum conversione verus Deus, cujus imperio mutatur natura. Ab aliquibus Festum etiam illuminationis appellatur, atque Christi Baptismatis celebratione; sed rejicienda, ex Hieronymo, & aliis talis denominatione, ab instituto Ecclesiæ, a quo minime recedendum, aliena; Sicut etiam rejiciendum manuscriptum quoddam Bruxellense Martyrologii Ufuardi notis adjunctum per P. Sollerium, quod panis, & piscis multiplicationis miraculum quartum addit hac in die memorarum; quod videtur Augustinus (*Serm. 28. de Temp. Epiph. 1.*) approbare. Sed hæc fortasse peculiaris quarundam Ecclesiarum consuetudo fuit, sicut Mediolanensis, ubi nunc etiam viget.

5. Magorum adventum, adorationemque scribit D. Matthæus (*cap. 2. v. 1. usque ad 12.*) in hujus Festi Evangelio, dicens: Magos ab Oriente Stella signo Jerosolymam venisse Regis Judæorum Nativitatis locum percurstantes; commotam cum Herode Civitatem; Sacerdotum, Scribarumque Concilium coactum ad nati Regis locum indicandam, quam ex Propheta Bethlehem esse demonstrarunt; dimissos ab Herode Magos, ea lege, ut invento Puero, ipsi renunciarent; absconditam Magis stellam, eisque Jerosolymam profectis, rursus apparuisse, ad Bethlehem euntibus præluxisse, donec supra natum Puerum staret; in genua Magos provolutos Aurum, Thus, & Myrrham obtulisse, Christumque adorasse; in somnis monitos, ne ad Herodem redirent, per aliam viam in Regionem suam reversos.

6. De Magorum stella quidam tradiderit fuisse de novo in Cælo creatam. Splendentem, stellæ instar, Angelum nonnulli. Quamplurimi cum Calmet; (*Dissert. in Mag.*) & aliis Flammeum in media aeris regione phenomenon. Verisimilior cum D. Thoma (*3. p. q. 36. ar. 7.*) sententia docet fuisse Meteoron luce clarissima coruscans, ab Angelo in Astri figuram formatum, suspensum, & motum in media aeris regione, ut Magis ostenderet viam eodem profertur modo, quocolumna nubis Judæos per desertum ducebat: vel etiam Astram nutu Dei amovibile, & primo creatum non in Cælo, sed in aere, non longe a terra. Unde ex Lamy (*Harm. Evang. l. 1. c. 11.*) non multum immorandum in hac investigatione, in qua licet multa dixerimus, cogemur semper incerta fateri:

certum solum habemus Prophetiam de hæc stella in Lib. Numer. extare: *Orietur Stella ex Jacob*, uti alibi idem Benedictus XIV. scripsit. (*Lib. 4. de Canoniz. P. 1. c. 25.*)

7. Nunc de Magorum numero, qui cum certo ex Scriptura non constet, duodenarium fuisse affirmant ex quibusdam apocryphis monumentis nonnulli cum Auctore Imperfecti. (*Homil. 2. in Mat.*) Tres autem fuisse vulgare est apud Natalem Alexandrum, (*Histo. Eccles. 1. secul. c. 1. a. 4. n. 3.*) quod expresse tradit S. Leo septem Epiphaniæ sermonibus; & alii quamplurimi cum Baronio, (*Ad ann. Chr. 1. n. 30.*) suspicantes prædictum numerum fundari in tribus donis Christo a Magis oblatis. Hunc numerum sequi debemus, tanquam piam Fidelium traditionem, communeque veterum PP. consensum, apud Suarez, (*In 3. p. D. Thom. T. 2. disp. 14. sect. 2.*) & Ecclesiæ: apud Raynaudum (*Tom. 7. Diptyc. Marian. n. 16.*) quia, ut recte Maldonatus concludit; (*In c. 2. Matth.*) hæc opinio certe aliqua, alia nulla ratione probari possunt. Accedit, quod S. Leonis aetatem præcessit in Ecclesia opinio de ternario, uti legitur in inscriptione apposita tabulæ 22. Tom. 1. in veteribus Romæ cœmeteriis inventæ, unde eruta fuere imagines tum depictæ, tum sculptæ, quæ Romæ anno 1737. in lucem prodire.

8. Jam de Magorum Nominibus, omnino incompti apud Auctores, præsertim Lamy. (*Harm. Evang. l. 1. c. 11. p. 43. §. Numerus Magor.*) Unde a Tillemontio (*Not. 12. invit. Jes. Chr.*) existimante Magorum Nomina duodecimo sæculo indagari cœpta, laudatur Baronius, quia in suis Annalibus hanc prætermisit quæstionem. Legitur præterea apud Bollanditas (*T. 1. mes. Maii p. 7.*) nullum Scriptorem Græcum, Latinum ve fuisse, qui per tot sæcula usque ad Friderici Barbarossæ tempora, nomina nunc evulgata, usurpaverit. Per hoc tamen, ut idem testatur (*Ad 1. Jan. pag. 8. 6. pag. 323. n. p. 664.*) nolamus quidquam detrachere piæ Traditioni Coloniensi Ecclesiæ, quæ & Magos sub Nominibus Melchioris, Balthassaris, & Gasparis veneratur, eorumque Corporibus honoratur. Quæ Galefino (*In Not. ad Mar. p. 13.*) cum aliis teste, Constantinopolim allata, inde Mediolanum evecta ab Eustorgio Episcopo, ibique in Basilica per ipsum edificata collocata, post sexcentorum septuaginta annorum Fidelium cultu venerata, amota illinc a Friderico Enobarbo, asportata dein fuere Coloniam a Reinoldo Episcopo.

9. 10. Denique de Magorum qualitate; judicaria Astrologia ab aliquibus nuncupata, qui-

feu Magia naturali ab aliis. At melius dicendum ex D. Leone (*Ser. 4. de Epiph.*) Magos philosophos fuisse; Altrorum scientia peritos verique Numinis cultores quemadmodum Balaam, Job & ejus amici (*Legis scriptæ, Rituumque Judaicorum licet ignati*) Deum verum omnium arbitrum, & dominatorem venerabantur, venturumque expectabant & hoc ex Calmet (*Dissert. in Mag.*) significare voluit Evangelista per Magorum nomen. Cæterum regia dignitate non fuisse præditos arguunt quamplurimi cum Lamy (*Harm. Evang. l. 1. c. 11.*) ex Matthæi silentio, qui de gloria Christi sollicitus, ejusmodi dignitatem nunquam siluisset, quemadmodum sacer textus non tacuit qualitates filii Reguli a Christo sanati. Accedit, quod Herodes Magos non tractaret colloquio ab Regum usu, formaque alieno; nec facile passus esset tres Reges, ipso inscio, in suum ipsius Regnum ingredi: nec etiam Reges eo se contulissent, quin Herodi Legatos suos præmississent. Denique, neque Herodes cum Bethlehemitum non plus, quam sex passuum, millia distaret ab Jerosolymis, tam sero rescivisset a Magis fuisse irrillum, qui promissis minime stantes, declinato Regis conspectu, Judæa abierant. Ex quo concludit Calmetus, Regiam Magorum dignitatem nullo solido niti fundamento, licet Maldonatus cum aliquibus eam probabilem judicet; circa quod duo sunt præmittenda: Unum, hoc non esse Fidei articulum, uti perperam Beza Catholicis exprobat, sed opinionem probabilem. Alterum Regum nomine intelligi etiam Dominum, vel Dynastam cujuspiam oppidi etiam exigui, quod alienum minime est a scriptura, hoc nomine appellante quinque illos ab Abrahamo armatis suis vernaculis debellatos, ut videri potest apud Auctores, Baronium (*Ad an. Chr. 1. n. 30.*) & Gretserum (*T. 5. l. 1. de Fest. cap. 30.*)

11. 12. 13. His prænotatis, Magos Reges fuisse affirmamus ex Baronio, (*Ad an. Chr. 1. n. 29.*) Plinii, Philonisque auctoritate freti, & Tertulliano, Orientis praxim, ubi Reges Magi plerumque fuerant, adducens; aliisque quamplurimis. Plurimum etiam facit Ecclesia utens in præsentis festivitate illo Davidis vaticinio: *Reges Arabum, & Saba dona adducent* (*Pf. 71. v. 10.*) idque a præcis temporibus. Et quamquam textus ille æque ac Isaïæ (*c. 60. v. 3.*) oraculum: *Reges in splendore ortus tui* de ethnicis Regibus intelligantur; attamen Ecclesia, vaticinia prædicta Magorum adorationi accommodans, satis aperte declarat, propensiores esse ad sententiam affirmantium Magos fuisse

Reges. Denique Suarez (*Loco cit. sec. 2. in fine.*) tradit, hanc esse communem Christianorum sententiam; Baronius ipsam fidelium traditionem.

14. 15. Ea propter monet Melchior Canus (*Lib. 11. de Loc. Theol. c. 5.*) magnopere peccaturum in prudentiæ regulas illum; qui ætate nostra palam affirmasset Magos non fuisse Reges, concitaret enim in se, interque fideles rixas, querelas, & rumores, cum populus Christianus contraria opinione a Majoribus accepta esset imbutus. Neque obstat Evangelistæ silentium. Satius enim fuit eorum sapientiam commendare sub *Magorum* appellatione. Regia namque appellatio otiosa, Magorum vox opportuna. Quod vero Herodes parum honorifice Magos exceperit, hoc aut Herodiano fastui, aut ebibitæ a Romanis superbiæ facile tribuendum.

16. Igitur ex eodemmet Herodis facto probatur a DD. supra laudatis Regia Magorum dignitas; aliter Herodes, nuntio Regis Judæorum nati accepto, Magos quamprimum extra fines sui Regni ejici, vel maxime in carcerem detrudi, decapitarive jussisset; a quidem injuria se abstulit Regia Magorum dignitate perturbatus. Insuper, Magi non nisi sua dignitate frati, cum Herode ausi essent adeo libere colloqui. Postremo: nihil facit Magorum dignitas, ut Herodes illusionem suam tam sero cognovisset; eorum absentiam profecto Dei vatu factam, ne Herodes rescivisset, affirmamus; divinoque Numini tribuimus Herodem multo serius, quam par erat, ad Magorum profectionem advertisse.

17. 18. In adorationis locum veniamus. Et fuisse non in spelunca Natalitia, sed in quadam domo, in quam Parentes cum Puerocommoditatis gratia diverterint, arbitrati sunt aliqui cum Maldonato (*In c. 1. Marth.*) ex Theophylasto, propter illud Marthæi: *Intrantes domum invenerunt Puerum* (*cap. 2. v. 11.*) Credibile enim judicant, Mysterio jam satisfacto, commodioribusque locis evacuatis. B. Virginem, & D. Josephum tandiu in tam incommodo non permanisse loco; præcipue cum Epiphanius, & Calmetus existiment, non nisi biennio transacto a Christi Nativitate, ad eum adorandum Magos venisse. At vero, cum nobis certum sit, non tanto post tempore, sed transacto tantummodo tredecim dierum spatio, Magos adorationis causa pervenisse, cohærenter credimus in Præsepio, & non in domo Puerum invenisse, & adorasse; hoc enim affirmant D. Hieronymus (*Ep. 47. alias 17. ad Marcell. n. 10.*) & Quaresmius, (*Elogia. Ter. sanct.*)

(*Ant. T. 2. c. 7. lib. 6.*) Sanctorum Inco-
rum testes oculati, cum aliis, Suarez, apte-
fertius (*Loc. cit. sect. 40.*) & Raynaudo,
(*Loc. cit. n. 15.*) vocantibus opinionem hanc
communem inter SS. PP. DD. Nec quidquam
nos movet verbum *Domus*, quo utitur E-
vangelista, cum quilibet apud Hebræos locus,
& volucrum quoque nidus *Domus* nomine
appellatur, juxta illud Davidis (*Pf. 103. v. 18.*)
Herodii domus, quod idem est, ac dicere,
Ciconie nidus.

19. 20. 21. Ad adorationis speciem
descendamus. Et fuisse Latræ docet com-
munis sensus SS. PP. & Theologorum,
licet audaciter contradicat Erasmus, Novi
quæ Testamenti versio Irevoltiensis anno
1702. edita, cujus lectionem Christi fidelibus
primum Gallicani Antistites, deinde Se-
des Apostolica decreto 2. Martii 1704. in-
terdixit e Bibliothecæ Criticæ Basilicæ anno
1709. revulgata in dubium vertant. Latræ
enim adoratione Magi Christi divinitatem
instinctu Dei agnoscetes, illum in genua
provoluti adoravere; insimulque confirma-
vere in thuris oblatione soli Deo debita;
nec civili tantum cultu, tamquam Regi Ju-
dæorum. Et revera, severioris criticæ adhi-
bitis regulis, non aliter verba Evangelii ex-
plicari, intelligi possunt, cum ex D. Chry-
sostomo (*Hom. 8. in Matth. n. 1. T. 7.*)
nihil esset in spelunca, Divinitate excepta,
quod Latræ adorationem merito conciliaret.
Nec denique Theologica censura ille, expers
erit, qui hunc sensum in dubium audeat
revocare. Insuper instat omnium nobis est
Ecclesiæ auctoritas, quæ in hujus diei ora-
tione innuere videtur æternam Verbi Divi-
ni filiationem gentibus, stella duce, revela-
tam, Sedulique hymno utitur, qui de Ma-
gis: *Deum fatentur munere*, canit. Oratio-
nis verba supra indicata reperiuntur in Gre-
gorii Sacramentario, (*Tom. 3. pag. 7.*) ubi
etiam reperitur sequens oratio: *Deus illumina-
tor omnium gentium, da populis tuis per-
petua pace gaudere, & illud lumen splen-
didum infunde cordibus nostris, quod trium
Magorum mentibus adspirasti.* Denique ex
Magorum muneribus colligunt quamplurimi
apud Calmet (*In c. 2. Matth.*) in illis Di-
vinitatis notitiam, & agnitionem, quæ ex
D. Leone (*Serm. 33. in Epi. 4. c. 3. T. 1.*)
Magorum cordibus hæsit ipso primo stellæ
intuitu, quaque intellexerant afferenda esse
munera, quæ ad Christi Divinitatem, regnum,
& humanitatem indicandum, erant aptissima.
Hæc namque adoratio, ac munera aliena
non erant ab Orientalium usû; nam uti le-
gitur in Genesi, (*c. 43. v. 15.*) & Lib. 3.

Regum, (*c. 10. v. 2.*) neque filii Jacob,
neque Saba Regina, Josephum, Salomo-
nemve adire sine muneribus.

22. Nunc de Baptismate. Illius meminit
Matthæus (*c. 3. v. 13.*) aitque in Jordane
contigisse, Joannemque Christum recussisse ba-
ptizare, quinimo potius ab eo se baptizan-
dum affirmasse; ex Christi tamen monitu eam
denique baptizasse. Licet enim Christus di-
gnior esset Joanne, baptisma suscipiebat,
non aut Christus, sed tanquam unus homi-
num. Baptizatus a Joanne confestim ascen-
dit de aqua, (*Matth. c. 3. v. 4. 15.*) aper-
tisque illico sunt Cœli, visus fuit spiritus
Dei super eum, sicut columba descendens;
vox denique Patris innotuit Filium suum
dilectum, & complacentem esse affirmans.
Existimavit nonnemo ex illo Joannis: *Alte-
ra die vidit Joannes Jesum venientem ad
se, & ait: Ecce Agnus Dei,* (*c. 1. v. 23.
30. 33.*) &c. Jam inde a pueritia Jesum
inter, & Joannem primo notitiam, deinde
familiaritatem intercessisse, quod nullo mo-
do sustineri potest. Non enim bene intelli-
gitur, quomodo Joannes ante baptismum
multoque minus a pueritia Jesum noverit,
illiusque consuetudine usus esset, cum Je-
sus Nazarethi in Galilæa esset educatus,
Joannes vero in Montanis Judææ propè Je-
rusalem, unde, teste Estio, (*Com. in Joan.
c. 1. v. 33.*) postea in desertum secessit.
Quod si Joannes videns Jesum ad se venire,
exclamavit: *Ecce Agnus Dei*; immediate
adjungit: *Et ego nesciebam eum*, quin de-
tur in hoc ulla repugnantia. Sciebat enim
Baptista, teste Matthæo, (*c. 3. v. 11.*)
humani Generis natum esse Reparatorem,
at cum illum nunquam antea vidisset, ac
ne de facie quidem nosset, propterea simul
ac vidit Jesum, statim ex Chrysothomo,
Euthymio, & aliis, afflatu divino eum
agnoscens, dixit, *Ecce Agnus Dei*, & insi-
mul potuit dicere: *Et ego nesciebam eum.*
Ita Samueli cum David contigisse narrat
Regum Historia, (*L. 1. c. 16. v. 12.*) ubi
licet probe sciret Samuel Isai inter liberis
esse, qui aliquando regnum adipisceretur,
cum eorum quempiam nec vidisset, nec de
facie nosset; attamen ubi primum oculos in
David convertit, statim divinitus admonitus
cognovit illum esse, qui regia dignitate ali-
quando potiretur.

23. Jam de miraculo aquæ in vinum con-
versæ, quod Joannes (*c. 2. v. 1. 2. 3. 4.*)
evenisse ait in quadam Nuptiarum solempni-
tate in Cana Galilææ celebrata, cui Jesus
cum B. ejus Matre, & Discipulis interfuit,
invitatus. Accidit autem, quod inter epu-
lan-

landum, vinum defecisset, & Maria Filio suo defectum representasset. Jesus autem licet respondisset. *Quid mihi, & tibi est Mulier, nondum venit hora mea*, non ex eo colligitur, uti impie affirmarunt aliqui blasphemii hæretici, Christum Genitrici suæ petitionem iratum rejecisse, illi autem annuisse facto aperte comprobatur apud Raynaudum, (*Tom. 7. Dipt. Marian.*) & Calmet, (*In c. 2. In c. 2. Joan. v. 4.*) qui ex melioris notæ Interpretum opinione affirmant, Christum in hac occasione non humanam, sed Divinam induisse personam. Maria autem, pergit Evangelista, (*c. 2. v. 5. usq. ad. 11.*) mensæ ministros monuit executioni mandare Christi præcepta, qui diligenter parvum mandato de implendo aqua usque ad summam oram sex urnas lapideas, duas, tresve mensurâs capientes, ibi positas, ad Judæorumque purificationes inservientes. Dein conversâ in vinum aqua, ab Architriclinoque degustata, Sponsum vocat, amiceque objurgat, quod præter morem vino optimo convivas primo non invitasset, sed deteriori, quod in fine convivii, cum quisque largius fuerit ingurgitatus, erat apponendam. Denique, monet Evangelista hoc primum fuisse miraculorum, eorum scilicet ex Maldonato (*In Joan. c. 2. n. 11.*) quæ Discipulis magis, ac magis in fide confirmatis gloriam, divinitatemque Salvatoris faceret palam. Primo enim accidit Christi in Templo disputatio apud Lucam (*cap. 2. v. 46. 47. 48.*) cum Doctõribus, in sui admirationem eos impellens. Plura alia referuntur prodigia in apocrypho libro de infantia Salvatoris, sed eum suo interdixit decreto Gelasius.

24. Modo de Joannis Baptismo, circa quod tria inter alia, quæ scribit D. Thomas, (*3. p. q. 38. ar. 1. 2. 3.*) hic libet adnotare. 1. Multis de causis Joannem decessisse baptizare, ea præsertim, ut homines suo baptismo ad Christi baptismum digne suscipiendum per pœnitentiam inductos præpararet, adsuefaceretque. 2. Præcursoris baptismum quoad ritum ex Evangelio Joannis (*c. 1. v. 33.*) a Deo fuisse institutum; quia Baptista revelavit, quod baptizaret, minime vero quoad effectum, quia nihil in illo efficiebatur, quod Joannes facere non posset; non enim ex Soto (*in 4. Sent. dist. 2. q. 2. a. 1.*) Gratiam conferebat, sed tantummodo corpora abluebat. 3. Baptismum illud ad gratiam disposuisse, tum homines ad Christi fidem per doctrinam inducendo, tum etiam ad Christi baptismum assuefaciendo, præparandoque per pœnitentiam, ut effectus

Baptismi Christi digne susciperent. Ita Card. Bellarminus (*T. 3. cont. l. 1. de Sacra. Baptism. cap. 21. & seq.*) adversus nostrorum temporum hæreticos Tridentinæ Synodi (*Sess. 7. can. 1. de Baptis.*) anathemate percussos, clare demonstrans Joannis baptismum omni illa caruisse efficacia, qua baptismus Christi vi sua, & ex opere operato peccata delet. Denique trium Baptismatum meminuit Scriptura. Judæorum unum, qua sacra ceremonia, vel ad aliquod incoeptandum opus præparabantur; vel ad aliquam maculam eluendam utebantur. Secundum Joannis, quo homines ad Christi baptismum suscipiendum, præparabantur. Et hoc, ex D. Thoma, (*Loc. cit. q. 38. ar. 5.*) si non post baptismum Christi, certe post Joannem in vincula conjectum, cessavit, quamquam ex Calmet, (*Dissert. de Baptis. ar. 2.*) aliquod vestigium resideat etiam in Perside, & Arabia apud quosdam populos Religionis systema ex Christianorum Mahumetanorum, Judæorumque ritibus conflatum sectantes, quotannis Joannis baptismo, sic ab illis appellato, se abluentes, ac inter Præcursoris discipulos se adnumerantes, immo & vocantes. Tertium Christi, quod vi justificandi, remittendique peccata præditum est.

25. 26. Dissidium est inter Doctõres super intelligentia illius textus: *Baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua*, apud Matthæum, (*c. 3. v. 6.*) & Marcum (*c. 1. v. 5.*) Card. Cajetanus putat non voce, sed ablutione peccatorum fieri confessionem; ita ut idem sit ablutio, ac confessio; quæ intelligentia adversari videtur Scripturæ, baptisma, & Confessionem exprimentem peccatorum. Tostatus autem, licet vocem admittat, non esse distinctum de criminibus arbitratur, sed tantummodo declarativam, peccatorumque manifestativam. Waldensis (*Tom. 2. de Sacra. cap. 136.*) conatur ostendere gravia peccata externa, minime vero cordis confiteri. Suarez (*in 3. p. T. 2. q. 38. art. 3. in comment.*) denique affirmat propriam & vocalem fuisse confessionem, quin Morinus (*Lib. 2. de admin. Sacra. Pœnit. c. 20. & seqq.*) Hebræorum præfert libros manifestantes hujusmodi apud illos viguisse disciplinam; credebant enim necessariam adeo esse confessionem, ut sine illa nulla esset pœnitentia, nullaque abolerentur peccata. Grotius apud Calmet (*in cap. 3. Matth. v. 6.*) non dubitavit talem apud Sacerdotem fieri confessionem, illis tamen criminibus exceptis, quæ mortem merebantur, ea enim Domino solummodo confitebantur. Unde verisimile judicat Calmet, (*Loc. cit. Diss. de*

Baptism.) Judæos peccata sua Joanni confiteri; ingenti namque confidentia eum adibant, Prophetam, spectataque fidei, & virtutis heroem prædicantes. Quomocumque autem confessio illa fuerit, certum est apud D. Thomam (*Loc. cit. q. 38. art. 3. ad 2.*) & alios, non ea virtute præditam esse, ad remissionem peccatorum statim per Joannis baptismum exhibendam, sed consequendam per pœnitentiam subsequenter, & per baptismum Christi, ad quem pœnitentia illa præparabat. Denique, certum est etiam apud a Lapide (*in c. 3. Matth. v. 6.*) non fuisse Sacramentum, nec peccata remittere, quemadmodum remittuntur per Confessionem a Christo institutam; sed tantummodo, ex Soto (*Loc. cit. art. 2.*) cum aliis, ad salutaria monita, consiliaque Sacerdotum haurienda utilem esse.

27. 28. Nunc discutiendæ aliquæ ex multis causis, cur Christum baptizari decuerit. Et fuisse dicimus cum Maldonato, (*in c. 3. Matth. v. 13.*) ut confluentibus ad Joannem populis Jesum ostenderet; vel etiam, quia videntes Dominum ad baptismum servi accedere, non gravarentur homines ad baptismum Domini venire: vel denique, ex D. Thoma, (*3. p. 1. q. 39. art. 1. 2 & 4.*) ut & aquæ Sanctissimæ illius carnis contactu mundatæ baptismatis vim obtinerent, sanctificarenturque: & insimul, ut baptismi indigentes, suo postea exemplo baptizarentur. In Jordane autem fieri etiam decuit, ut intelligeremus, viam ad Gloriam, clavemque Paradisi esse baptismum, quemadmodum non nisi Jordane trajecto, Israelitæ Promissionis terram sunt ingressi. Hoc in baptismi loco, ex Quaresmio, (*Elucid. ter. Sant. to. 2. lib. 6. cap. 6.*) & aliis, Sacra Ædes, Monasteriumque in Baptista honorem postea sunt ædificata; ibique leprosos, ex Gregorio Turonensi, (*De glor. Martyr. cap. 17.*) ablutos, sanitatem esse consecutos. Insuper conveniens etiam fuit juxta D. Thomam (*loc. cit. ar. 5. 6. 8.*) Spiritus Sancti descensus in columbæ specie, audiri a circumstantibus Patris vocem, ut nimirum Christo conciliaret auctoritatem, ejusque originem, vocationem, & doctrinam, qua mundus erat renovandus, approbaret; insimulque manifestaret, & declararet judæis, Christum Joannem non esse, uti narrat Lucas (*c. 3. v. 15.*) falso apud illos existimari, sed verum Messiam tot per secula expectatum, Filium suum unice dilectum, in hunc orbem missum, ut fractum, attritamque genus humanam, repararet. Denique, non modo conveniens, sed debita Christo fuit Cœlorum apertio, ut

baptismi nova in Lege instituti significaretur effectus, Regni nimirum cœlestis adeptio, media applicatione meritorum Jesu Christi.

29. Superest modo aliquod dicere de questionibus super baptismum Christi a DD. excusatis. Et in primis circa modum baptismi: de hoc autem recte sentiunt, qui affirmant ex Matthæi (*c. 3. v. 16.*) auctoritate, per immersionem Christum fuisse baptizatum, non autem, ut vulgo a pictoribus depingi solet, perfuso solummodo capite. Secundo, circa tempus, quo memorata prodigia contigerint. Et bene resolvunt, qui ex eodem Matthæo, Marco, (*c. 1. v. 9. & 10.*) & Luca (*c. 3. v. 21. 22.*) tenent prodigia supra memorata contigisse, non baptismi tempore, sed eo absoluto. Tertio, quomodo cœli aperti sint. Quidam cum Suario, (*3. p. 1. 2. disp. 22. sect. 1.*) & a Lapide (*In c. 3. Matth. v. 16.*) arbitrantur, Cœlos revera nullo patuisse hiatu, sed lucem repente quandam manifestasse, vel a Cœlo descendente, vel a diffrata nube prorumpente, fulminis instar, quod inter confertissimas nubes, aere disjecto, coruscet: illud autem ostensum non modo a Christo, Apostolisque, sed ab universo populo visum fuisse. Quarto, num columba vera fuerit, aut tantum columbæ species, quæ Christo insedit, cum lucis radius ejus caput tetigit, & splendor illum circumfulsit, ostendens ad solum Christum auditam Dei patris vocem pertinere? Communis sententia apud Calmet (*In c. 3. Matth.*) docet, columbam super Christum descendente, veram fuisse columbam; quia cum ex D. Thoma (*loc. cit. q. 39. ar. 7.*) Spiritus Sanctus veritatis spiritus, dicatur, veram decebat columbam formare; aliter, ex Maldonato, (*In c. 3. Matth.*) vel ab omnibus visum non fuisset columbæ corpus, vel tot essent miracula, quot adstantes; cum miraculum non in columbæ corpore; sed in oculis omnium fieret, quod non est temere concedendum. Nec juxta Augustinum Varenium (*Dissert. de colu. §. 25. in Thesaur. dissert. in Nov. Test. verisimile est Deum Baptista, circumstantiumque oculos nudo, & inani phantasmate perstringere voluisse. Neque contra facit Card. Toletus. (In Ev. Joan. c. 1. Not. 70.) cum aliis, Evangelistarum particulas: Sicut, quasi, & tanquam columbam adducens; hoc enim ex D. Thoma ideo est dictum, ne quisquam putaret Spiritum Sanctum in specie substantiæ suæ apparuisse. Concludendum pariter cum Calmeto (*Dissert. de Bapt. ar. 3.*) columbam, ut quidam temere existimarunt, cum Spiritu Sancto hypostatice non fuisse*

conjectam; quia licet hujusmodi unionis irrationalis natura omnino incapax non est, attamen cum ea minime decebat in missione sua divinam Majestatem conjungi; sicut Filio necessarium fuit in Incarnatione hypostatica unio cum natura humana. Non enim, ut observat D. Thomas (1. p. q. 43. ar. 7. ad 4.) Spiritus Sanctus sub columbæ specie apparuit, ut per ipsius columbæ naturam aliquid operaretur ad merendum, vel satisfaciendum, sanctificandumve; quod quidem per humanam naturam prestitit Filius, Denique tota Trinitas ex Lamy (*Harm. Evang. l. 2. cap. 5.*) in hoc fuit patefacta baptismo; in Cælo Pater ex voce cognitus; in Jordane Filius: in aere Spiritus Sanctus in persona vera, columbæ licet specie.

30. Jam de miraculo conversionis aquæ in vinum. Et fuisse primum miraculorum a Christo factorum, ait Joannes. (*Cap. 2. v. 11.*) Non enim debebat Christus, ex D. Thoma, (3. p. q. 43. ar. 3.) priusquam ætate jam perfecta docere inciperet, miracula edere, ut suam doctrinam palam faceret. Ex quo laude maxima dignos videtur esse Apostolos, qui sine miraculis Dominum sunt secuti, suamque doctrinam amplexati. De hoc miraculo alibi idem Benedictus XIV. (*Lib. 4. de Canon. SS. Par. 1. cap. 2. n. 4. & cap. 23. n. 11.*) Hic duo veniunt denique observanda, certum unum, dubium alterum. Certum est, nullo verbo, signove usum Christum, ut in aliis solebat, ad miraculum patrandum, sed ipsum, ex S. Maximo, effecit sola voluntas Domini tacentis. Dubium vero, an sicut substantia aquæ in vinum, sic ejus color fuerit in rubrum mutatus? Affirmare videtur Ecclesia canens: *Aque nubesunt hydria.* Neque audiendi sunt aliqui, falso affirmantes Palestinam vinum non ferre rubei coloris, quod aperte contradicit Scripturæ in Libr. Deuteron., & Machab., ubi nra vinum sanguis appellatur. At contra cum Joannes dicat (*cap. 2. v. 9.*) Architrachinum solum aquam degustando, mutationem deprehendisse. Atqui videtur, aquam colorem non mutasse; aliter jam ante degustationem Architrachus mutationem deprehendisset.

31. Modo de Nuptiarum Sponso. Et fuisse vel Simonem Cananæum, inter Apostolos Zelotem appellatum, vel Nathanaelem e Canas oppido in Galilæa Gentium affirmavit cum aliquibus Nicephorus. Joannem fuisse Evangelistam, qui nuptias abjecit, visio miraculo, alii autumant, merito a Baronio reprehensi. (*Ad ann. Chr. 31. §. 30.*) nam ut alibi idem Benedictus XIV. (*Lib. 3. de*

Can. SS. c. 37. in. 1.) Joannes in perpetuo vixit cœlibatu. De Hydria autem nobis verisimile videtur a Palæstina in Europam devotionis causa, fuisse asportatas. Quam, teste Lancellotto, (*In Chronolog. ad magna Vitreana Biblia.*) a S. Ludovico Francorum Rege, quæ Lutetiæ Parisiorum in Monasterio Portus Regii asservatur, Arthæram a Vitali Bacilero Servorum B. Mariæ Generali, quando per Urbanum VI. ad Sultanaum Egypti fuit ablegatus, ut in Tarcas junctis cum Cypriorum Rege viribus, arma ferret; & hæc in templo Servorum B. Mariæ Bononiensi habetur: Tertia etiam in Bononiæ Diocesi in Templo D. Bartholomæi, uti scribit Masinius: (*In Bonon. perustrat. pag. 201. & 429.*) Quarta Colonia: Quinta denique Tugris in Eburonibus; licet de his duabus vehementer dubitet Bailletus. (*Hist. bij. Fes.*) bene vero perpenlis Hebraicis verbis Parisiensi in hydria insculptis, lapidæque natura, & hydriæ capacitate considerata, colligitur atiquam certe fuisse ex iis, quibus Judæi in suis quotidianis ablutionibus utebantur, si non ex illis, quæ in Nuptiis sunt adhibitæ.

32. 33. 34. 35. Tris memorata prodigia affirmat D. Maximus, (*Serm. de Epiph.*) cum aliis, uno, eodemque die 6. Januarii contigisse; Sed contradicit cum pluribus Card. Cottus, (*P. 2. to. 4. cap. 2. Januarii 39. 40.*) & Epiphanius, hic dubitans de baptismo, hæc die peracto: at ex Baronio (*Ad an. Chr. 31. n. 181.*) cum omnibus Scripturis Ecclesiasticis rejicienda dubitatio, cum vetus hæc semper fuerit Ecclesiæ traditio, & ab ætate usque Ambrosii vigeret in Ecclesia sediolanensi, & etiam in Ecclesia Græca, teste Galefino, (*In Not. ad Martyrolog. pag. 12.*) consuetudo celebrandi festum Baptismi Christi D. die 6. Januarii. Ille existimans aquæ in vinum conversionem duobus post baptismum mensibus, Februario exeunte, contigisse. Insuper D. Augustinus testatur die Dominica omnia contigisse miracula; quod Baronio (*Ad an. Chr. 31. n. 36.*) non placet; nam unius anni exacto cursu dies sexta Januarii cadere non potest, in eundem diem Dominicum, quo superiori anno: Unde bene arguitur eodem die minime contigisse; licet eodem anno; presertim, cum id maxime consequatur ex Evangelio Joannis fidelissimi Scriptoris rerum gestarum Christi ad primum vitæ annum post baptismum pertinentium, & ab aliis Evangelistis prætermittarum. Præterea cum post baptismum cepisset Jesus, & Discipulos docere, & Evangelium predicare, incredibile

videtur, novus anni solidi spatium transivisse, quin Salvator aliquo miraculo suam illustraret doctrinam. Neque contra facit canere Ecclesiam in hujus diei officio: *Hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias*; quia ex Pererio (*12. c. 2. Joan. disp. 2. m. 8.*) & aliis, Ecclesia nihil aliud significare voluit, nisi quod hac die predicti miraculi commemoratio celebraretur; minime vero, ex multis cum Thomassino, (*De ecl. Fest. l. 2. c. 7. n. 13. 14.*) quod hac die evenit. Quod novum non est in Ecclesia, quae Festum Ss. Innocentium ante Epiphaniam celebrat, etiam si indubium sit apud omnes crudelem Infantum laniam post Magorum discessum evenisse. Igitur concludendum, eventus diem esse incertum.

36. 37. Jam de Magorum adventu in Bethlehem. Et fuisse mense post Christi Nativitatem ex isto, contendit Calmetus: (*In c. 2. Matth.*) vigesima, sexta, aut septima Januarii, Sery; (*Exercit. 35. n. 6.*) Januario exeunte, Lupinus; (*Tom. 1. Hist. Eccl.*) Kalendis Februarii, Tolmardus; (*Harmon. Evang.*) Quadraginta diebus a Christo nato, Tillemontius (*Not. 9. ad vit. Jesu Chr.*) & alii, Transacto anno, tribusque hebdomadis, Tribiel; (*Dissert. de Mag. Tom. 2.*) Transacto uno, vel plurius annis, Florentinus; (*Exerc. 3. de Mag. p. 234.*) Tredecim a Nativitate diebus, id est, sexta Januarii, communis sententia cum D. Thoma, (*3. p. 9. 36. ar. 6.*) Suario, (*3. p. F. 2. q. 36. a. 8. disp. 14. sect. 4.*) Raynaudo, (*T. 7. Diptych. Marian. p. 97.*) & aliis. Fundatur in eo præcipe, quod Occidentalis Ecclesia non nisi sexto Januarii adorationis Mysterium, adventusque Magorum constantissime semper celebravit, & insimul quia nulla gravis, solidaque ratio assignatur in oppositum, uti in miraculo aquæ in vinum conversa assignatur, quod certe magni ponderis argumentum esse existimamus. Hoc profecto in causa fuit, Ecclesia Mysterio celebrando, tanquam eventus proprium hunc constituerit diem.

38. &c. Nunc despiciendum, unde Magi prædicti. Et non fuisse e. Perside, seu Chaldaea, uti scum, aliquibus putant, Rhoden, (*Dissert. de Mag. T. 2. p. 72. S. 9.*) existimans plusquam tredecim dies Magos in itinere confecisse. E profecto, hac stante existimatione (licet juxta Isaia. oraculum velocissimis Magi uterentur Dromedaris) cum sit verosimile aliquod temporis, tum in deliberando iter, tum in Herodis colloquio, post visam stellam fuisse consumptum, certe non possent in tam brevi spatio Jeroso-

lymam pervenire, cum distet ab hac civitate prædicta Regio decies centenis millibus passuum, & amplius. Insuper, nec illo modo sustineri potest, quod adjungitur, mirum, stellam multo ante Christi Nativitatem apparuisse, visamque a Magis fuisse ante 25. Decembris, ideoque ante prædictum diem ad Dominum adorandum Magos fuisse profectos; hoc enim aperte contradicit Matthæo, dicenti: *Cum natus esset Jesus . . . vidimus stellam . . . venimus adorare Etc.* (*c. 2. v. 1. 2.*) quod certe ad stellam Regis nati jam, minime vero nascituri referendum est. Nos vero, qui sustinemus tredecim tantummodo dies in conficiendo iter Magos consumpsisse, stellamque cum Florentino (*Loc. cit. pag. 233.*) Nativitatis momento apparuisse, consequenter dicimus, Magos ex Arabia Felice, non plus quam octo diem itinere ab Jerosolymis distante, venisse. Tunc enim percommode jam poterant Bethlehemum pervenire, itinere parare, quæ opus erant, & Jerosolymis aliquantulum temporis ammorari, aut ostendit cum aliquibus Tertulianus, (*Advers. Judeos c. 9. c. 1. 3. contra Marcion. cap. 13.*) illa Davidica verba: *Dabitur ei de viis Arabia, & Galia: Reges Arabum, & Saba dona adducent.* (*Ps. 72. v. 10. 15.*) producens. Ex hoc forsitan apud S. Justinum Martyrem (*Dialog. cum Trypho.*) Arabum nomen Magi sunt sortiti. Accedit, quod Arabia prædicta ad Judææ orientalem plagam est posita, Matthæus autem scripsit ab Oriente, (cujus Regionis munera fuerunt oblata, quæ esse profectos. Denique testatur Gratius (*T. 6. crit. sacr. pag. 71. 72.*) vetustissimam fuisse apud Christianos, opinionem, ex Arabia Magos Christum adorare venisse.

43. His minime obstantibus, & multo tripliciter (ab aliquibus doctrina tradita impugnatur: 1. ex Matthæo, qui continuata narratione coniungit Magorum discessum cum Dominici Angeli in tomis Josepho apparitione, fugatione in Egyptum; (*c. 2. v. 13. 14. 16.*) quod quidem factum ex Luca (*c. 2. v. 23.*) convincitur, quadraginta ad minimum dies a Christo nato evenisse, presentatione in templo Jerosolymis interfecta. 2. Sane incredibile videri dicunt, Herodemæ Magis illustribus, biris, regnandique cupidine maxime abreptum, non illico, sed longo post tempore omnes Bethlehemii pueros a bimatu, & infra trucidari jusse, cum satis esset, ut a metu se expediret, binis bres, trimestres venecari secundum tempus, quod exquiserat a Magis. Insuper, cum Bethlehem non multo distet ab Jerosolymis, ut se illustri-

sciret a Magis, & infantum eadem delibere-
raret, nisi ad Divinam recurrendum sit Pro-
videntiam, non multum temporis ex Floren-
tino opus esset; nam sexaginta annis ante,
M. Cicerone, & Antonio Coss. rumore orto,
ac per urbem manante, *Regem pop. Rom.
naturam parturire*, eo rumore Senatus com-
motus statuit, *ne quis*, ut ait Svetonius (*In
Aug. cap. 94.*) *illo anno genitus educaretur.*

44. 45. Sed responsio in promptu est. Ad
primum dicendum ex eisdem verbis Matthæi
*Cum natus esset Jesus. . . . Ecce Magi
ab Oriente*, &c. clare evinci opinionis tra-
dita veritatem. Vox enim: *Ecce*, ut bene
advertit Canus, (*De Loc. Theol. l. 1. c. 5.*)
adducens pro se Genesim, (*c. 23. v. 15.*)
cum ex sua naturali vi, & potestate rem ino-
pinatam demonstrat, si inter narrationis fa-
cta historice interponatur, adhiberique mi-
nime soleat rebus iudicandis longo post tem-
pore eventuris; ideo aperte demonstrat Ma-
gorum adventum Nativitati valde proximi-
mum, elapsis tantummodo tredecim diebus.
Unde licet inter somnium Josephi, & Ma-
gorum discessum mensis saltem interponatur,
hoc non obstat, ut Matthæus duo hæc con-
tinuata narratione conjungat: parvula enim
morula, qualis est integer mensis, designari
bene potest per vocem *Ecce*. Denique, au-
diendi non sunt ii, qui cum Auctore quodam
(*Adnot. ad vit. Jesu Chr. cap. 8.*) ad
doctrinam traditam evertendam, affirmant,
Magos Dominum adorasse post Mariæ purifi-
cationem, Jesusque in templo Præsentationem
qua peracta, dicunt B. Virginem Bat-
shehemum revertisse. Verum hoc ex Baro-
nio, (*Ad an. Chr. l. 2. n. 31.*) cum aliis,
nemini verisimile videtur, cum de eo re-
ditu altum sit apud scriptores sacros As-
sentium. Quamobrem concludendum cum
Lamy (*Harm. Evang. l. 1. c. 11. pag. 46.*)
ex Matthæi, Lucæque Evangelio nihil erui
posse, quod nostram labefactet sententiam,
immo confirmari potius videtur.

46. Ad secundum dicendum, quod sine
recursu ad Providentiam bene potest stare, He-
rodem in tam longum tempus Infantum ead-
em rejecisse, etiamsi compertum a Magis ha-
buisset tempus stellæ, Magorumque illusionem
inverisimile enim non est, Herodem metu,
pavoreque divexatum, ne in re adeo sibi utili
erraret, in tutiorem partem, etsi crudeliter,
inclinasse, furoremque suum, etiam ubi non
esset opus, quam latissime effudisse; itaut
ex Chrysofomo (*Hom. 7. in Matth.*)
crudelitatis suæ fuissent victimæ bimuli etiam
Pueri. Præterea: Etsi Herodes ex Mal-
donato (*In c. 2. Matth.*) cum aliquibus

momentum, quo Stella primum illuxit, a
Magis comperisset, suspicari tamen potuif-
set, ante visam Stellam Puerum fuisse na-
tum. Quod si ponamus momentum illud re-
cessus Magorum Herodi innotuisse, adhuc
Infantium eadem differre potuisset; quia cum
videret Magos promissis deesse, existimare po-
tuit, nullo reperto Puerio Rege, pudore suffu-
so Jerosolymam noluisse reverti. Ubi autem
compertum habuit Jesus in Templo Præsentationem,
Annæ, Simeonisque acclamaciones, existimavit nihil quidquam amplius expe-
ctandum; eapropter crudelissimam illam Puerorum
lanienam edixit. Erudite, & concludenter D. Augustinus (*Lib. 2. de consens.
Evang. cap. 2.*)

47. 48. 49. Postremo, de hujus Festi An-
tiquitate, Solemnitateque. Et solemnissi-
mum fuisse affirmat cum aliis Thomassinus;
(*Tract. de Festor. celebr. l. 2. c. 7. n. 1.*)
magna enim cum solemnitate in utraque Ec-
clesia semper fuit celebratum. Profert nam-
que veterum Patrum testimonia (*Lib. 1. c. 4.*)
Conciliorumque loca, (*cap. 5.*) in quibus
fit mentio de maxima Epiphaniæ solemnitate.
Insuper, filieri minime oportet, Epiphani-
am semper apud Christianos inter præcipuas
utriusque Ecclesiæ solemnitates locum
habuisse; itaut impiissimi etiam Imperato-
res, Christianos in Templis associantes, illi
adesse voluissent. Sic de Juliano Apostata
in Gallis commorante, Christianamque Re-
ligionem divexante, narrat Ammianus Mar-
cellinus, (*Lib. 21.*) de Valenteque Impe-
ratore Nazianzenus (*Or. de S. Basilii lau-
dibus*) apud Baronium, & Bollandum. De-
nique, magnifice solemnitatem exaltant,
maxima in ea gesta miracula; quibus hunc
diem voluit omnipotentia Divina magnifi-
centissime exornare. Narrat enim Chrysofostomus
(*Hom. 24. T. 2.*) Christianos media
hujus Festi nocte domum esse solitos ab Ec-
clesia aquam afferre; eamque in memoriam
Baptismi Christi, unius, duorum, triumve
annorum spatio decurso, nullo infici vitio.
Prædicta consuetudo viget etiamnum apud
Orientales, ubi nonnumquam dictæ incorru-
ptionis miraculum solet evenire. Compertum
enim habemus Josephum Georgerinum,
Sami in Egeæ mari insulæ Archiepiscopum,
anno 1676. dum esset in Gallia, aquam
orientali ritu in Ecclesia consecrassè: in
eam Jesu Christi statuam ter immerisissè, in
ejus baptismi memoriam; eamque aquam
vitreo simpulo inclusam multos annos ab
omni vitio fuisse expertem, ac fortasse, ut
tradit cum aliis Graveson, (*Diss. 8. de
Mys. & ann. Chr. p. 185.*) duraturam
fuisse.

fuisse diutius, nisi simpulum diffractum fuisset. Tradit etiam Epiphanius: (*Hæres.* 51. n. 19. 30.) fontes aliquos in Cibyris Carix oppido, e Geraseno Arabix, Nilumque amnem in Ægypto singulis annis hocmet die & hora, in qua miraculum conversionis aquæ in vinum commemoramus; vino manasse. Additque: *Nos ex Cibyria illo fonte, fratres nostri ex Geraseno, potavimus. . . . Plerique vero idem & de Nilo Ægypti fluvio, confirmant.* Adjungit etiam Bailletus (*Ad sext. Jan. a. §. 4.*) vinum illud prodigio factum, elapso Felto, in pristinam aquæ formam redire, & insimul quædam esse aquas acidulas, fossiliumque, per quæ fluunt, vi præditas, quæ vini colorem, saporemque imitentur, adeo, ut etiam facultatem habeant inebriandi. Verum, hoc non obstante, a temeritatis nota eum non liberat, qui fidem detrahare velit miraculo, quod Epiphanius seriis, gravibusque verbis tradit, propriaque experientia testatur. Neque etiam Casaubonus, (*Exercit. 13. in Baron. num. 22. p. 246.*) etsi festâ Calvinianus, nec pronus ad credenda miracula, huic ab Epiphanio attestato fidem ausus est abrogare. Antiquissimum etiam esse Festum indeterminate tradit Gretserus, (*T. 5. l. 1. de Fest. cap. 30.*) Thomassinusque (*Loc. cit. supra*) affirmat illius mentionem fieri in utriusque Ecclesiæ antiquis libris, in quibus multarum solemnitatum, quæ nunc celebrantur, nusquam fit mentio. Suarez (*T. 1. de Relig. l. 2. c. 5. n. 9.*) denique putat Apostolis tribuendam Festi celebrationem. Nos vero, relictis Patrum, Conciliorumque testimoniis in Scriptoribus repertis, hic tantummodo dicemus Festi hujus mentionem reperiri in Actis Martyrii S. Philippi Heracleensis Episcopi, quod ineunte sæculo quarto contigit.

50. 51. Prædictum Festum celebrabatur in Ecclesia Orientali una cum Nativitate Christi, teste Tillemontio, (*Nota 4. & 6. ad vitam Jesu Christi.*) Basilique Imperatoris Græco Menologio, nono sæculo scripto, & anno 1727. Urbini edito. Ex quo Dionysius, Jacobus Bar Salibi appellatus, qui ineunte sæculo decimo tertio vivebat, reprehendit consuetudinem Armenorum celebrantium sexta Januarii utrumque Festum. (*T. 2. c. 32. oper. apud Asseman. Bibl. Orient. Clement. Vaticana.*) In occidentali autem olim Festum hoc vigilia, jejuniisque præeunte, in quibusdam Ecclesiis celebrabatur, modo vero viget vigilia sine jejunio. In quarundam Civitatum Ecclesiis etiam nunc fit benedictio aquæ in vigilia Epiphaniæ; de

qua consuetudine alibi idem Benedictus XIV. (*de Can. l. 4. p. 2. c. 19. nu. 22. & 59.*) Olim mos erat Officia noctu celebrare, sed propter aliqua gravissima scandala talis abolivit usus, qui ex Galefino: (*In Notis ad Martyr. pag. 13.*) viget etiam nunc in Ecclesia Mediolanensi. Matutinum Invitatorio caret, & initium fit ab Antiphona, vel ad denotandum, ex Durando, (*Lib. 6. cap. 16.*) Gentium alacritatem ad primam Stellæ lucem se illico in viam dantium; vel ex Martene (*De ant. Eccles. discipl. in Divina celebr. Offic. c. 14. n. 6.*) cum aliis, nebis idem repetatur Psalmus, cum ponatur in tertio nocturno. Nunc mos obtinet, ut hæc die in Missa, quæ in Ecclesia Cathedrali solemniter celebratur, post Evangelium Archidiaconus, vel Canonicus vel Beneficiatus, seu quivis alius, juxta locorum consuetudinem, totius ineuntis anni Festa mobilia Populo e suggestu denuntiet.

C A P U T III.

De Sanctissimi Nominis Jesu Festo, quod secunda post Epiphaniam Dominica celebratur.

1. 2. 3. 4. **M**Os erat apud Romanos teste Platarcho, (*Probl. 102.*) octava a nativitate die, nomen foemini imponere, maribus vero nona: infantibus autem, apud Athenienses, & Græcos, decima, tradit Alexander ab Alexandro. (*Lib. 2. cap. 25.*) Aristoteles denique refert, (*Lib. 7. Hist. Ani. cap. 12.*) pueris nomen imponi septima die; experientia enim docet, & multos antea obiisse, & spem vitæ indicare, si illum attigerint diem. Insuper apud Judæos, licet nihil in lege cautum esset, nomen octavo die una cum Circumcisione imponebatur; Luca, (*t. 1. v. 59.*) id in Circumcisione Baptiste, attestante. Hunc Judæorum morem putat Spencerus ab Ethnicis originem duxisse; cum Romani die Lustrico, (*de quo multa scribit Casaubonus, (in secundam Persi Satyram.)*) Circumcisioni correspondenti, nomen imponerent. At hoc nobis, & Binco non placet; ea propter concludendum, utrosque sponte sua ob majorem commoditatem cognatorum, & amicorum, eo die convenientium, nomen infantibus indidisse; Lustrico nimirum die Ethnicos, Circumcisionis Hebræos; juxta hunc morem, Christo octava die Circumciso inditur nomen Jesus, quod Salvatorem significat, teste D. Thoma (*3. part. q. 37. art. 2.*) cum communi.

5. 6. 7. Jetus Nomen in Legge veteri summum illi sunt appellati, qui vel Christi sum præfigurabant, sicut filius Josedec Sacerdotis, & Syrach; vel qui opera sua temporalis salutis fuere cause, sicut filius Nave, qui suo ductu, & consilio post Moysem Israeliticum populum ex Aegypti captivitate in promissionis Terram reduxit. Ita D. Thomas: (*Loc. cit. ad 2.*) qui ait Jetus nomen in Christo, attenta nostra spiritali & universali salute, & proprium, & novum esse. Adjungit D. Bernardus: (*Serm. 15. in Cantica n. 8. pag. 23. tom. 1.*) in aliis Jetus Nomen, uti vacuum, nec lucere, nec pascere, nec mederi. Contra omnino in Christo. Insuper in Christo, ut docet Suerius (*in 2. p. D. Thom. tom. 2. disp. 15. sect. 2. §. Teritiam &c. cum aliis, nominis complectitur omnia, quibus Propheta, Isaias (cap. 7. v. 14. & c. 8. v. 3. & c. 9. v. 6.) præfertim, & Zacharias, (c. 3. v. 12.) venturam Messiam prænunderunt; ad salutem namque, cujus nobis Dei filius Auctor futurus erat, quodammodo refertur possunt; Nomen enim Jesu tota inest vis, potestas, causa, & totius nostræ salutis ratio, ut diserte tradit cum Mattheo (cap. 1. v. 20.) Paulus. (ad Philip. c. 2. v. 9. & seq.) Jesu Nomen Christo, non ab homine fuit impositum, sed Luca teste (c. 2. v. 21.) ab Angelo vocatum, priusquam in utero conciperetur, quia, ut bene notat D. Bernardus, *Loc. cit. Serm. 2.*) vocatum est nomen, non impositum, cum sit ab aeterno innatum, non inditum ab humana, Angeli cave creatura: a natura enim propria habet, ut sit Salvator.*

8. Hoc SS. Nominis Jesu Festum olim una cum Circumcisione in Ecclesia celebrabatur; quemadmodum Feria V. in Cœna Domini Corporis Christi Festum; ac sicut ob mysterii solemnitate visum fuit Ecclesiæ, alium peculiarem diem Festo Corporis Christi assignare; ita Fidelium postulante pietate, Ecclesiæ placuit, peculiari die Festum SS. Nominis Jesu instaurare. Præclara adeo est hujusmodi solemnitas, ut, Basileo teste, (*In Hist. Fest. Circ.*) apud Anglos ante heresim introducta, etiam nunc in eas Gens Calendario retineatur.

9. De hujus Festi origine fassus legit aibi idem Benedictus XIV. (*Lib. 4. Canon. part. 2. c. 31. v. 5. & 6. & ibi Synopsis.*) nunc breviter dicendum, D. Bernardinum Senensem, qui Italiam iustrans, penitentiam prædicabat, e suggestu auditoribus ostendere solere Nomen Jesu radiis depictum in tabella, atque ita Fidelium animos ad peniten-

tiam excitavit, ut qui in Bononiensi foropictarum chartarum, & talorum iudis incubebant, suo persuasum id genus instrumenta Bernardino obtulerint ad suam penitentiam comptobandam. Facto contigit, eo inferia devenisse opificem, qui hujusmodi chartis pingendis summa & familie vitam sustentabat; ut Bernardinum ad eundem conquiri ausus sit, eum in causa esse penurie suæ. At viri Dei consilio, & monitis deinceps pingendo Solem radiatum, intus habentem Jesu nomen incumbens (uti etiam nunc visitur sub Portu Boni Jesu, cum ipsius Bernardini effigie) magnas ea ex re pecunias comparavit emptoribus Bernardini transfusionibus confluentibus. Ita Sigonius (*Lib. 4. de Episc. Bononien. in vit. B. Nicolai Abolbergali.*)

10. SS. Nominis cultui, prout a D. Bernardino proponebatur, quidam ita resistere, ut Martinus V. eum omnino prohibuerit, antequam examinaretur. Decreto paruit Bernardinus, D. Antonino teste, (*Hist. p. 3. tit. 44. c. 3. §. 2.*) donec impetrata a Summo Pontifice facultate examinandi, tantalis cultus modo ab ipso instituto esset superstitiosus; S. Joannes a Capistrano in solempni disputatione, habita in Basilica Vaticana, magna animi contentione, doctrinæque copia Bernardinum ab omni superstitionis labe non modo liberavit, sed etiam fuit consequutus, ut SS. Nominis Jesu cultus ab Apostolica Sede approbaretur. Videantur Damianus Cornejo, (*Tom. 4. lib. 4. 10. 12.*) & Ayala (*In Opp. Pictor. Christian. l. 3. in Av. c. 2.*)

11. SS. Nominis Jesu cultus sic stabilito, Bernardinus de Bussis Seraphici Ordinis Orator omnem curam impendit, ut idem peculiari Officio in Ecclesia celebraretur, Officium a se compositum, sed sine effectu, Xisto IV. & Innocentio VIII. obtrulit. At hujusmodi postulationi tandem subscripsit Clemens VII. concedens, ut dictum Officium a Franciscana Familia celebraretur. Idem Officium Apostolorum Sedes ad multas subinde Ecclesias extendit, novissimeque, Caroli VI. Imperatoris precibus, Innocent. XIII. in universis Ecclesiis, Dominica post Epiphaniam secunda recitari mandavit.

12. Igitur concludendo cum D. Bernardo (*Loc. cit. Serm. 15. n. 6. in Cant.*) Fideles hortando, ut SS. Nomen Jesu in omnibus adversitatibus & tentationibus invocent, nam teste eodem Bernardo ibid. *Nilil quærit impetum cohibet, superbia tumorem sedat, sanat avaritiam, dilans, respingit luxu-*

via fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat avaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Videantur alia in dicto sermone, tum in Lectionibus hujus Festi ex eo depromptis.

C A P U T I V.

De Dominica Palmarum.

2. 2. **I**N præfenti agendum nobis est de Dominica Palmarum. Feria V. VI. & sabbatho majoris Hebdomadæ, ac Paschæ: Dominicis Quinquagesima, Sexagesima, & Septuagesima, Quadragesimalique Jejudio, (de quibus alibi idem Benedictus XIV. (Tom. 1. Edict. 14. 15.) omnino prætermittis, cum ad præiens institutum vere non pertineat. Igitur Dominica Palmarum ingressus Christi in Hierosalem revolitur, quem sic describunt Evangelistæ.

3. Cum Jesu Hierosolymæ appropinquasset, Bethphageque venisset una cum Discipulis, ex illis duos misit in oppositum Castellum, ut secum adducerent asinam cum pullo, super quem nullus hominum adhuc federat. Additque, ut si quis eos obstiteret ipsi, dicerent: Dominus his opus habet; idque satis futurum. Adducta, sicut præceperat illis Christus, asina cum pullo, eaque vestimentis Discipulorum ornata, Jesum desuper sedere fecerunt. Visa Civitate, illacrymatus est Jesus; sciebat enim destruendam, soloque esse æquendam, eo quod tempus visitationis suæ non cognovisset. Jesu appropinquante, Turba plurima cum ramis Palmarum ei obviam venit, vestimenta sua in via sternit, humique spargit ramos ab arboribus caesos, communiterque acclamatur: *Hosanna Filio David &c.* ubi videre est apud Evangelistas.

4. Ex memorata narratione disquirenda sunt sequentia: I. Quo anno, quove die Christi ingressus contigerit. Et affirmandum videtur, annum fuisse ultimum suæ prædicationis; diem vero primum hebdomadæ, qui penes nos dies est Dominicus. Ex Joanne (c. 12. v. 12. 13.) enim habemus, Dominum Hierosolymam fuisse ingressum postridie Cœnam Bethanæ, factam sex dies ante Pascha, (cap. 12. v. 1.) quod eo anno Feria V. erat celebrandum. Ex quo necessario conficitur, die Dominico dictum ingressum contigisse; quia sex numerantur dies a Sabbatho, in quo nefas erat ramos cadere, ad Feriam V. Cœnaque facta fuit Bethanæ, quæ non plus ab Hierosolymis distant, quam duo millia passuum.

Tom. III.

5. 2. Quinam fuerint Discipuli, missi ad adducendam asinam cum asello. Et incompertum esse affirmamas, cum ex Scriptura non constet. Aliqui Hilarii (cap. 21. in *Matth. col. 712. n. 1.*) sententiam secuti, contendunt, Petrum fuisse, & Philippum; in iis enim significatur vocatio Gentium, & Judæorum: Gentium, quia Petri prædicatione Cornelius primus ex Gentibus ad Christum fuit conversus: Judæorum, quia Philippi opera Samaria Christi Fidem est amplexa. Alii putant fuisse Petrum, & Joannem; quia hi Luca teste, (cap. 22. v. 8.) missi fuere ad parandum Pascha; at ex hoc minime sequitur, missos etiam ad asinam, & asellum adducendum.

6. 3. An Christus asello tantum, an asello, & asinæ in itinere infederit. Et dicendum, Marcum, (cap. 21. v. 7.) Lucam (cap. 19. v. 35.) & Joannem, (cap. 12. v. 14.) affirmare asello Christum infedissem; minime vero asinæ. In eam sententia inclinavit D. Hieronymus, (in cap. 11. *Matth. v. 7.*) cui credible videtur asinum vacasse; inverosimile enim est, Jesum in tam brevi itinere asina, & asello infedissem. Et licet Matthæus, (cap. 21. v. 7.) dicat, Discipulos asinam, & asellum ornasse, ut Salvator federet; hoc minime officit, cum hic frequens sit loquendi modus in scriptura, indefinite pluribus tribuere id, quod uni tantum est tribuendum: ut videtur apud Matthæum, (cap. 26. v. 8.) ubi dicitur Discipulos de unguenti perditione fuisse indignatos, cum Judas solummodo esset scandalizatus: apud Genesim, (cap. 8. v. 4.) ubi scribitur, Arcam requievissse super montes Armeniæ; cum super unam tantummodo quievissset; & apud Josue, (cap. 7. v. 1.) ubi narratur prævaricasse Filios Israel intelligendo solum Acham; & in multis aliis passim.

7. 8. 4. Quinam sit Propheta, unde Matthæus verba illa depromptit (c. 21. v. 4. 5.) *Ecce Rex tuus venit sibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis?* & quando impletum fuerit oraculum de Christi lacrymis super Hierosalem a Luca, (cap. 19. v. 41. & seq.) memoratum. Quod attinet ad primam partem dicendum, a Lapide, (in cap. 21. *Matth. num. 5.*) & Maldonatum; (in id. cap. 4. & num.) putare ex Isaia, (cap. 62. v. 11.) æque ac Zacharia, (cap. 9. v. 9.) fuisse deprompta; Natalis Alexander (ad c. 21. *Matth. num. 2.*) autem contendit, deprompta fuisse solum ex Zacharia, quod facile intelligitur, si utraque verba Propheta, & Evangelistæ

O

recte

recte conferantur. Quoad secundam partem dicendum, oraculum fuisse impletum in expugnatione Titi Imperatoris. Ita Baronius, (*ad ann. Chr. 72. num. 5.*) & Josephus, (*de bello judaico.*) qui fuisse eam narrat expugnationem: & Joannes Christianus Art, (*in The. diff. in Nov. Test. Tom. 2. p. 351.*) Christi lacrymas denotare ait venturam, & atrocissimam destructionem, & maxime supplicium æternum, quod passuri erant Judæi, eo quod propter cordis daritiam tempus visitationis suæ negligenter; hoc est, teste Lamy, (*Loc. cit. lib. 5. cap. 1. pag. 445.*) singularis beneficii erga illos, quod per *visitationem* significari consuevit.

9. 10. Tam dira autem fames hanc Civitatem oppressit, ut Maria Eleazari filia lactantem filium, teste Josepho cit. necaverit, ut assum comederet: cujus rei atrocitas & milites ad odorem accurrentes, & mox universam urbem horrore affecit. Ad quod etiam forte alludit Christus, dum Crucem bajulans dixit mulieribus post illum plorantibus: *Venient dies, in quibus dicent, Beata steriles, & Ventres, qui non genuerunt, & ubera, que non lactaverunt, &c.* (*cap. 21. v. 6. & 32.*) Quomodo vero cuncta a Christo prædicta evenerint in memorato Hierosolymæ excidio videatur apud Baronium loco cit. Clarissimum est illud de Templi everfione, in quo, ut prædixerat Dominus, (*cap. 23. v. 28. & seq.*) lapis super lapidem relictus non est, licet muris constaret fertissimis, & crassissimis, ferroque, & plumbo immanes murorum lapides ad perpetuitatem necerentur. Cumque id acciderit anno post Christi prædicationes 38. etiam illud impletum est ejus vaticinium. (*ubi proxime.*) *Non præteribit generatio hac, donec omnia fiant:* nam multi excidii tempore vixerunt, qui, quando Christus ea prædixit, jam nati erant.

11. 12. 13. 5. Quonam modo Turbæ Salvatorem in triumphali ingressu exceperint? Et 1. certum est juxta Matthæum (*cap. 21. v. 8.*) viam vestimentis constravisse suis; quod quidem Regiæ est Potestatis indicium apud Judæos, juxta Regum Historiam; (*4. c. 9. v. 3.*) & apud Ethnicos, teste Plutarcho. (*in Cat. Uticensis vita.*) 2. Certum etiam apud eundem Matthæum omnino est; Palmarum; Olivarumque ramis, quibus mons Olivetus abundat, viam constravisse; quod ad triumphi celebritatem, splendoremque plurimum conferebat. De Agrippa enim habemus apud Philonem, Hierosolymam in triumphum fuisse ingressum frondibus, floribusque redimitum; ac de Ale-

xandro apud Josephum. Legimus præterea in Machabæorum Historia, (*1. c. 13. v. 51. & 7. cap. 10. v. 2.*) palmas Victoribus intraduntibus præferri consuevisse. Et similia fieri Deus præcepit, uti constat ex Levitico, (*cap. 23. v. 40.*) in Festo Tabernaculorum, mense Septembri celebrato. Quapropter animadvertendum, Judæos, qui in Festo Tabernaculorum una cum memoria discessus ab Ægypto, venturi Messie contineri præfagium arbitrabantur, modo rerum a Christo gestarum admiratione captos, eisdemmet gaudii signis Tabernaculorum solemnitatis Christum excipientes, & verum Messiam agnovisse, & præfagii illius fidem hoc prorsus modo confirmasse. 3. Certum denique est apud Matthæum, (*c. 21. v. 9.*) Marcum, (*cap. 11. v. 9.*) & Joannem, (*cap. 12. v. 13.*) clamando: *Hosanna Filio David &c.* Jesum excepisse. Hæ acclamationes invidos civium animos, præsertim sacerdotum, ita commovere, ut quasi digitorum a Christo factorum inscii, sed revera, ut ejus gloriam obtinerent, per contemptum interrogabant: *Qui est hic?* Populus vero audaciter, candideque respondebat, Jesum esse Prophetam a Nazareth Galilææ.

14. Acclamationis vox, est *Hosanna*; illa enim Judæi acclamabant viris de Republica optime meritis, quibus felicitatem, gloriam, benedictionemque deprecabantur. Ita D. Hieronymus, Damasus Papæ (*Epist. 15.*) interroganti, respondit ex Judæorum mente, in *Epist. 16.* apud Constantium. (*Tom. 1. Epist. Rom. Pontific.*) De *Hosanna* etymologia fuisse scripsit Winzern, (*Dissert. in Tom. 2. Thessau. Dissert. in Nov. Testam. Amstel. an. 1702. p. 164.*) Nobis sufficit dicere cum Lamy, (*Harmon. Evang. l. 3. c. 1. n. 21. p. 444.*) *Hosanna* significare *Serva nos*, vel, *opitulare quæso*; qua voce Judæi in Jesum Messiam agnoscentes, optatam redemptionem, & opem ab eo impetrabant.

15. Per illud autem, quod Jesus alio infederit, nihil triumphi gloriæ imminui videtur. Nam præterquam quod hoc factum maximæ sit humilitatis exemplo, a Cælestino V. teste Alliaco, (*Lib. 2. cap. 2. in vita S. Cælestini.*) imitatum, quando in Aquila civitate accessit, Romanæ Sedis possessionem sumpturus (frustra dehortantibus Siciliæ, & Hungariæ Regibus, una cum Cardinalibus, & Proceribus) & insimul a Zacharia, (*c. 9. v. 9.*) fuerit prophetarum, consuetudo erat Judæorum nobilium ut a sellis equitarent; uti legimus in *Judicium Historia.* (*cap. 10.*

v. 4. & c. 12. v. 14.) Deus enim in primorum Judæorum Regum Imperio equorum usum in suo populo improbaverat; quare scribitur in Psalterio (Ps. 19. v. 8.) *Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri invocabimus.* Unde fit, quod Regum Historia describens bellum sub Imperio Saulis, non equitum, sed pedestrium copias commemoret. (1. c. 15. v. 4.) Narrat præterea, (1. Reg. 3. 1. v. 33.) quod cum David Salomonem salutari Regem voluerit, Primoribus Regni jufferit, ut eum super mulam suam imponerent. Unde colligitur Salomonem regnante; introductam fuisse equorum usum; ait namque sacer textus, eum quadraginta millia equorum aluisse ad cursum, & duodecim millia ad vesturam. At peccasse illum in hoc sumptu, sacri observant Interpretes. Nam Salomonis luxum imitati sunt successores Reges Juda; sed merito a Prophetis reprehensi sunt; ut patet ex Isaiâ (c. 2. v. 2.) Judæi autem, uti suorum rituum tenacissimi, eorum usum, post captivitatem Babilonicam se plerumque abstinuere. Quapropter raro legimus, Machabæos, eorumque fratres in bello adversus Reges Syriæ equos adhibuisse.

16. 17. Memoria hujus triumphi, quem hodie Ecclesia recolit, initium sumit ab acclamatione *Hosanna*. Cantatur Evangelium Matthæi supra memoratum. Sacerdos Deum orat, ut sicut Turba vestimentis, ramisque viam constravit, ita nobis detur, unde fidei viam paremus, a qua sublato omni scandalo, in justitiæ ramis opera nostra frondeant. Populo deinde distribuuntur palmæ, in quibus, juxta D. Isidorum, (De Off. Eccl. l. 1. cap. 27.) significatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo superatus, & Crucis trophæo de Diabolo triumphaturus. Dum fit Processio, cantantur Antiphonæ triumphum hunc indicantes. Inter verba autem, quæ de Processione scribit Ivo Carnotensis, (Serm. in Ramis Palmar.) illa nota digna, quod Turbæ in hoc triumpho Christum præfago spiritum triumphatorem Diaboli, & mortis, vitæque largitorem agnoscere. In regressu Processionis duo, quatuorve ex cantoribus Ecclesiam ingredientibus, illiusque ostium claudentes, versâ ad illud facie primos duos versus ex Hymno: *Gloria, laus &c.* cantant, quos, Sacerdos cum his, qui forinsecus sunt, ingeminant, quotiescumque ab his, qui intus sunt, reliqui cantantur versus. Quo factò, Subdiaconus Crucis hasta ostium pallat, quod subito aperitur, & ingreditur Processio, in quo R. *Ingrediente Domino &c.* cantatur. Tandem

celebratur Missa, nec rami in manibus tenentur, nisi cum Evangelium, Passioque decantatur. Quod attinet ad asellum, licet nulla in Processione illius fiat mentio, D. Isidorus, (De offic. Eccl. l. 1. c. 27.) ait, in illo simplicia Gentilitatis corda significari, quæ Christus, præsidendo, atque regendo, in pacis visionem perducit.

18. Nunc de Auctore Hymni: *Gloria, laus &c.* Quidam cum Baronio, (Ad an. Chr. an. 835. num. 3. & 4.) e Gavanto, (Ad Rubr. Missal. Roman. part. 4. tom. 4. in not. §. 16.) affirmant, fuisse Theodulphum Floriacensem Abbatem, & postea IX. sæculo Aurelianensem Episcopum, illumque Andegavis in vinculis detentum (una cum Ludovici Pii filii conjurationis causa in eundem Imperatorem) cecidisse, quando Imperator in hujus diei Processione prope carcerem transibat; qui hymnus Imperatori adeo placuit, ut Theodulpho & libertatem, & gratiam Principis conciliaverit. Quidam tamen cum Menardo, (In Not. ad l. Sacr. S. Gregor. p. 56.) & Bellotte, (In observat. ad Rit. Eccl. Laudunen. p. 785.) negant Theodulphum fuisse Auctorem, carmenque coram Imperatore decantatum fuisse: quia hoc factum evenisse ajunt in Dominica Palmarum anni 818. quo tempore ab Andegavis absens erat Imperator. Præterea Alcuinus, (Lib. 1. de Divin. Offic. c. 14.) anno 778. scribens, meminit prædicti Hymni. Sed minime recedendum a communi opinione cum Lupo Ferrariensi, (Epist. 20.) Martene, (De ant. Eccl. disciplin. in Divin. celebrand. Offic. in Dominic. Palm. cap. 20. num. 13.) & aliis. Nihil enim contra facit Alcuini Auctoritas; cujus opus, ut bene notat pene omnium eruditorum consensus, ab aliquo XI. sæculo Auctore sub Alcuini nomine fuit compositum. Minime etiam facit, quod anno 818. factum evenerit; hæc enim duo Hymnum canere coram Imperatore, & illum componere inter se differunt, separarique possunt; unde bene poterat Theodulphus Hymnum componere, quod sententia communis affirmat; & illam coram Imperatore non canere.

19. 20. Per ostium Ecclesiæ prius occultum, & deinde apertum, ut ingrediatur Processio, intelligit Pouget, (In Inst. Catholic. Tom. 1. p. 2. sect. 4. c. 2. §. 9.) cælum per Adami peccatum clausum, non nisi per Christi mortem fuisse reformatum. Ritus benedicendi palmas nullum extare vestigium ante VIII. IX. sæculum affirmat Martene, (Loc. cit. cap. 20. n. 2.) quia illius non recordatur Kalendarium Romanum VIII. sæ-

culi a Frontone editum, licet de Dominica Palmarum loquatur. At antiquissimum esse ritum probat Meratus, (*Part. 2. t. 1. p. 1004.*) ex Calendario Ecclesie Romanæ sub 17. sæculi finem, vel initio v. scripto, & a Martene, (*Ad cal. Anecdotorum.*) edito; ac ex Sacramentariis Ss. Gregorii, & Gelasii, in quibus mentio fit de Palmarum benedictione. Ex quo, non VIII. vel IX. sæculo ritus benedicendi palmas tribuendus videtur, sed longe vetustior existimandus.

21. 22. Modo de ritibus hac in Dominica olim fieri solitis, qui jam obsolevere. Hujusmodi est illa, de Catechumenis dictis *Competentibus*, eo quod competere, seu simul peterent sacrum Baptisma, Sabbato scilicet Sancto conferendum. Sic vocem exponit D. Isidorus, (*Lib. 7. Orig. n. c. 14.*) cum aliis. Hi jam instructi erant Christiana doctrina, eisque licebat manere in Ecclesia, lecto Evangelio Missæ, ut Symbolum audirent, & Fidelium oblationi interissent, quod aliis Catechumenis non permittébat: veram Canone incipiente, & ipsi abibant. His ergo *Competentibus* Symbolum univèrsum, integrumque hac Dominica exponebatur, quod per partes explicatum fuerat aliis diebus, qui *Scrutini dies* dicebantur. Inde frequens huic Dominicæ nomen: *Pascha petitorum*, sive *Competentium*. Mos etiam erat hac die caput ablueri infantibus, Sabbato Sancto baptizandis; ut illud mundum præberetur Sacro Oleo, quo in Baptismo erant ungenti. In Quadragesima, Jejuniorumque diebus illicita erat cujusque modi ablutio; unde vulgo *Capitolarium* appellatur hæc Dominica juxta Gavantum, (*Ad Rub. Missal. Rom. p. 4. tit. 7. de Dominicis. Passio. &c. n. 6.*) & Isidorus. (*Lib. 1. de Div. Offic. cap. 27.*) Ulimus denique ille erat quarundam Ecclesiarum, in quibus Crux nuda, detectaque præferébat in Processione; vel triumphali pompa Sacer Evangeliorum Liber; aut Sanctissima Eucharistia. Videantur cum aliis Martene, (*Loc. cit. c. 20. n. 9. & seq.*) & Bailletus. (*Hist. Fest. hujus diei, num. 4.*)

23. Jam de Orientalium ritibus, quos accuratissime exponit Jacobus Goarius. (*In Not. ad Eucholog. Græcor. pag. 745.*) Apud Maronitas, narrat Marcus, (*In Notitia vocab. Eccles. V. Pal. Fest.*) in usu fuisse, integram Olivæ arborem in Ecclesia statuere, eamque jam benedictam, illi, qui elemosynæ nomine plus offerret, adjudicare. Is autem Olivæ imponit filium suam, seu quemvis alium puerum, & a cognatis, affibit

que adjutus, inter acclamationes Olivam gestat erectam in Processione. Quæ absoluta, omnes impetum in arborem faciunt, & ramusculum sibi quisque revellit, ut pietati, devotionique suæ satisfaciat. Gretserus, & (*Tom. 3. suor. op. nuperim. edit. l. 1. de Sac. Process. c. 18.*) Quaresimius, (*Lib. 4. c. 11. & 12. T. 2. Elucid. Ter. San.*) describunt Processionem Hierosolymæ fieri solitam. In ea Antistes, impositis asello vestibus, illoque inequitans e Monte Olivarum venit, cui in civitatis ingressu occurrunt alii Ecclesiastici, cæterique Fideles, viam suis palliis, herbis, & floribus sternentes. Hæc cæremonia magna cum pompa celebratur in oculis Infidelium, qui eam peragi patiuntur, quod nimia siccitate olim arcescentes agros, uberissima pluvia Deus creaverit post Processionem, quæ Guardianus, & Fratres Terræ Sanctæ a Deo pluviam illam imploraverunt.

24. Nunc de elemosynis a Romano Pontifice dispartitis; quas licet Romani Pontifices olim diebus etiam aliis largirentur, Anastasio teste, (*In vit. Zachar. Pap. T. 4. scilicet. 225. pag. 222.*) autamen in Sabbatho Palmarum, (*Sacram. S. Gregor. a Pamelio. edit. T. 2. pag. 105. & 244.*) largissime in Magdalene memoriam, quæ Christi pedes unxit, erogabant; facièdo in membris, quod Magdalena fecit in capite. Vacatio autem Sabbathi, de qua meminit S. Gregorius Sacramentariam, non Missam respicit, sed publicam stationem, cui Papa, juxta Alcinum, & Martene, (*Loc. cit. c. 19. n. 28.*) eo die adesse non consueverat, sicut in aliis diebus, ut ortum sibi esset, quo egenis elemosynas distribueret.

25. De hocmet Sabbatho legitur in Calendario a Frontone edito, (*Pag. 167.*) *Datur Fermentum in Confessoria Lateranensi*: Hoc Fermentum juxta plures, cum Martene, (*Loc. cit. c. 27.*) & Cardin. Thomasio, apud Ciampinum, (*In oper. de perpetuo Ary. usu c. 9. pag. 214. & seq.*) est Sacra Eucharistia. In more enim positum erat, ut singulis Dominicis Fermentum, scilicet Corpus Christi, Romanus Pontifex mitteret Titulorum Urbis Præbyteris, idest Parochis, quo ab ipsis Missam celebrantibus sumebatur. Episcopi vero Suburbicarii, non autem remotiores, Romano Pontifici proxime subjecti, tamquam Metropolitanis, appropinquante Paschate Romam suos mittebant Acolythos, qui acceptum Fermentum ad se afferrent, illudque intra octo dies absumebant, ne species corrumperentur. Et licet in Dominica Palmarum ex more celebrasset

Pontifex, Romanisque Presbyteris missilet eadem die Fermentum; attamen, ut Episcoporum commodo, qui longius abessent, confiteretur, Sabbatho præcedenti, tempus huiusmodi distributionis antecapere solebat, quo Episcopis, qui in Paschatis die coram Papa Eucharistiam sumere non possent, saltem copia, & facultas esset Sacramentum sumendi, quod sibi a Pontifice missum esset. Nec ex hoc aliquis suspicetur, Presbyteros in Missa panem non consecrassse, sed a Pontifice consecratum comedisse, cæterisque communicare volentibus, præbuisse; quia, ut observat Cardin. Bona, (*Ret. Liturg. l. 1. c. 23. n. 17.*) panem consecrabant, quem, una cum Eucharistia a Pontifice missa, distribuiebant. Nec denique hinc licet inferre, in Ecclesia latina fermentatum panem consecrari; nam, ut bene notat Petrus Constantius, (*Tom. 1. Epistol. Rom. Pontif. p. 859.*) Eucharistia tum temporis vocabatur *Fermentum*; quia sicut Fermentum in farina immisum, eique commixtum, totam conglutinât, ita per Eucharistiæ sumptionem mutua inter Fideles Charitatis Vinculum significabatur.

26. Postremo: antequam de Feria v. in Coena Domini agendum sit, sciendum, quod feria iv. post prandium cantatur in Ecclesia Matutinam cum Laudibus feria v. & eodem proforsim modo sit duobus sequentibus diebus. Sciendum præterea ex Augustino, (*Ep. ad Capul.*) aliisque a Baronio, (*Ad an. Chr. 34. §. 168.*) relatis, morem fuisse Ecclesiæ in primis temporibus his in singulis hebdomadis jejunaere, nimirum feria iv. quia in ea, quæ Coenam Domini præcessit, sceleratus Judas de venditione, proditioneque Magistrî sui egit: & feria vi. quia in ea mortis Domini memoria recolitur.

C A P U T V.

De Matutinis Tenebrarum, quæ Quarta, Quinta, & Sexta Feria Vespere recitantur.

1. IN his Tenebrarum Officiis videtur Ecclesia tantummodo studuisse, ut marem, lustumque suam omnino significaret. Abstinet enim se a suavis illis invocationibus, quibus alias Deum orat ut cæmendis ejus laudibus labia sibi aperiat. Nul- lum Invitatorum, Benedictionesve, Hymni, Capitula, aut *Gloria Patri &c.* reperitur in hujus Tridui Officiis; quasi rerum omnium oblita, tota generis humani peccatis ingemiscere incumbat, Christi que cruciatibus, illacrimare. Lectiones primi No-

cturni in Feria V. Matutino sunt ex Thronis Jeremiæ; ubi Propheta Hierosolyma des- cendit excidium multoque gravius saper sceleribus, quibus Deum Civitas illa irritaverat, ingemiscit. In duabus lectionibus Matutini Feriæ VI. excisam Hierosolymam desat, cujus ruinis, Synagoga disjecta, Romana inædificata fuit Ecclesia; in tertia autem de suo statu præsertim conqueritur Propheta, & in his animi angustis Redemptoris dolores exprimit; nam in altam fossam, veluti Seductor, dejectus fuerat, ut in ea, omni destitutus ope, interfireret. In Matutino denique Sabbathi Sancti Lectio prima exprimit afflicti hominis, dolentis, & solitarii formam, qui omnem suam spem in auxilio, opeque Dei reponit. Expressum revera exemplum invictæ patientiæ, mansuetudinisque infinitæ nostri Redemptoris. In secunda, & tertia excisum, dirutumque Templum, ever- sam Patriam, extremamque rerum omnium desat inopiam, qua florentes olim, & beati ejus cives, tunc temporis præmebantur. Tandem ad Deum preces effundit, ut Gen- tem illam tot angustis, contumelisque af- flictam, in suam gratiam recipiat. Dum hæc officia recitantur, ponitur ante Altare mag- num in trianguli formam Candelabrum; & in illo plures candelæ accensæ, singula sin- gulis Psalmis extinguende; una solummodo excepta, quæ sub Altari accensa occultatur. Finitis laudibus paululum obsrepitur, dein- de producta, quæ sub Altari latebat, can- delæ, sargunt omnes, ac taciti abeunt. (*Cærem. Epif. l. 2. c. 22.*)

2. Officia hujus Tridui *Matutina Tenebrarum* appellantur; quia & post Solis oc- casum absolvi solent, & sunt veluti umbra primorum Ecclesiæ temporum, in quibus Christiani soliti erant intempesta nocte sur- gere ad psallendum; quæ consuetudo justis de causis abolita, viget adhuc in quibusdam Ecclesiasticorum, & religiosorum Ordinibus. Hujusmodi psallendi consuetudo licet olim ex quodam Ordine Romano, apud Mabillonium, (*In Mus. Italic. c. 5. 19. P. 1. 2.*) media fieret nocte, ex more: attamen Ja- cobo Cajetano, (*Ordo Ro. c. 82.*) & Pe- tro Amelio, (*cap. 62. p. 480.*) testibus, a multis sæculis usus obtinuit, exemplo Ro- mana Ecclesiæ; ut post prandium ea Matu- tina decanterentur. Illæ voces, seu litteræ Hebrææ *Aleph, Beth, Ghimel &c.* indicant structuram Tærenorum; sic enim erant com- positi in Hebræo, ut singuli versus seu stro- phæ inciperent a littera ordine alphabeti He- braici subsequenti: quod cum facta versio- ne in aliam linguam servari facile non pos- set;

fer, placuit Ecclesie, ut sua cuique strophæ initialis littera Hebraica præmittatur, ut bene observat Mayzinellus. (*In Off. Maj. Hebdom. p. 94. & 365.*) Quapropter sunt recitandæ, aut canendæ, quidquid contradicat Virtus. (*In expl. car. Eccl. t. 4. p. 431.*)

3. 4. Quidquid etiam dicat Theodorus Archidiaconus, in Capella Papæ nullum lumen extingui Feria V. in cœna Domini, dicendum ex Martens, (*De ant. Eccl. disp. c. 22. §. 1. num. 2.*) cum aliis, consuetudinem esse Ecclesie, & nunc etiam in Capella Papæ, teste Marcello Archiepiscopo Coreyrensi, (*In Car. Rom. lib. 2. cap. 42.*) extinguendi, hoc in triduo, candelam finito quolibet Psalmo. Bailletus (*Hist. Of. Fer. V. in Cœna-D. §. 6. num. 17. & 18.*) non approbat id quod supra innuimus, Ecclesiam scilicet ad dolorem, & mœsticiam significandam hujus Tridui Officia mutilasse, sed inde profluxisse censet, quod vetustissimis temporibus cætera etiam officia sic se habent. Breviarioque reformato quo ad alios dies, pro his morem veterum retinere placuisse, Bailletus adhæret Virtus. (*Tom. 4. explicat. ceremon. Miss. in Off. Mai. Hebdom.*) & sacras ceremonias naturalibus originibus attribuens, ait candelas adhibitas ad fugandas tenebras; quia intempesta nocte olim Divina officia habebantur paulatimque extingui, prout dies magis illucesceret: mutata vero officiorum hora, remansisse morem candelas gradatim extinguendi. Præterea concludit, rationes symbolicas multis post sæculis excogitatas fuisse ab hominibus, qui piis meditationibus nimis indulgerent.

5. 6. 7. At ex professio Verti audaciam merito confregit Langletus Episcopus Suesionensis, (*In Oper. l'Esprit de l'Eglise dans la célébration des mysteres sacres.*) eum istiusmodi loquendi modus facile conciliari non possit cum Tridentini Concilii doctrina, quæ (*Ses. 22. cap. 5. de Sac. Mis.*) nos docet Ecclesiam adhibuisse mysticas benedictiones, lumina, thymianata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia Religionis, & Pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem, excitarentur. Et quod lumina attinet, ea non ad tollendas tenebras præcipue adhiberi, novimus ex D. Hieronymo dicente (*Lib. contra Vigilantium, n. 8. p. 394. t. 2. oper.*) Quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jata sole rutilante, non utique ad

fugandas tenebras, sed ad signum laticie demonstrandum. Quærenda igitur est mystica aliqua ratio in extinctione candelarum ad singulos psalmos.

8. Nonnulli cum Cardin. Turcremata, (*Lib. 1. de Eccl. 30. & l. 3. c. 61.*) putant candelas significare Beatam Virginem, & Apostolos; ea propter in candelarum extinctione contendunt designari Apostolos, qui in fide defecerunt; juxta Glossam in Matthæum; (*c. 26. v. 31.*) in illa vero minime extinguenda B. Mariam, in qua tota Fides, Ecclesieque ratio reledit in hoc triduo. At in hoc non omnes Theologi cum Sario, (*Fide Spe, & Char. dis. 9. sect. 8.*) & Cano, (*De loc. Theolog. lib. 4 c. 5*) conveniunt. Nam licet Petrus Christum negans, Deum gravissime offenderit peccato oris, non illum offendit peccato mentis, quam habuit ab omni errore vacuum. Præterea Christus Joanni, si a fide excidisset, Matrem suam charissimam minime commendasset.

9. Alias alii significationes tribuunt: sed dicendum potius cum Mazzinello, (*Oper. cit. p. 85.*) per candelam non extinctam significari Christum Jesum, quem e Cælo delapsum, ut mundum in tenebris jacentem illustraret, scelesti homines extinguere conati sunt. Sed cum penitus extinctam patabant, illum redivivum, & coruscantem toto orbe prædicari, & adorari conspexerunt. Vel etiam significari fidem Resurrectionis Dominicæ claram, & explicitam, quam hoc triduo B. Virgo constanter tenuit. Neque ex hoc argui potest, omnes Apostolos in infidelitatem incidisse; quia illi, ut bene advertit Cardin. Bellarminus, (*Tom. 2. Contr. l. 3. de Eccl. Milit. c. 17.*) & Abulensis, (*Quest. 14. Prol. in Matt.*) Resurrectionem Christi explicitè, nonnulli post legitimam promulgationem credere tenebantur. Cæterum paulatim extinguuntur candelæ ad significandum Apostolos remissio gradatim primo ardore, cum mors Christi adventaret, passim huc illuc aufugisse, Magistrum suum deserentes, salutem tantummodo suam consulentes. Qui autem ad Calvarie montem Christum fuerant secuti, eos terribis illis imaginibus, metuque mortis percussos pene obstupuisse. Denique concludit Mazzinellus, (*loc. cit. pag. 124.*) parvum illum strepitum in fine Laudum edi solitum in hoc triduo significare magnam illam perturbationem, rerumque confusionem, quæ, ut alibi demonstrabimus, Christi mortem consequuta est.

CAPUT VI.

De Feria V. in Cœna-Domini.

1. 2. Nihil aliud in Missa hujus diei recolitur, quam memoria Sanctissimæ Eucharistiæ a Christo institutæ in ipsamet nocte, in qua homines in sui Redemptoris necem conjurarent, scelestusque Judas Magistri sui prodicionem moliretur. Cæterum docemur ab Evangelistis Matthæo, (c. 26. v. 17. & seq.) Marco, (c. 21. v. 7. & seq.) & Luca, (c. 22. v. 12. & seq.) Jesum, cum dies Azymorum adesset, quando Pascha immolari lex jubebat, ad illud parandum, ut cum Discipulis comederet, Petrum, & Joannem ad Civitatem mississe, hoc signo, ut eum sequerentur hominem, qui illis, lagenam aquæ bajulans, obviaret, & Patris-familias domum introeuntes, dicerent: Magistrum velle apud illum Pascha cum Discipulis celebrare: Quo facto, a Patre-familias illis demonstrandum fore Cœnaculum, in quo ipsi pararent Pascha. Aliqua nunc ex Interpretibus petenda sunt.

3. 4. Et 1. exploratum est Civitatem fuisse Hierusalem, ibi enim, & non alibi, juxta legem Deuteronomii, (c. 16.) Pascha erat celebrandum. Ex quo fit, ut observat a Lapide, (In cap. 26. Mat.) quod dum postea Hebræorum populus ad illud celebrandum esset unitus, adeo acriter fuerit Hierosolyma Tiji obsidione pressa, ut pene omnis interierit. Quod attinet ad Patrem familias, dicendam, aliquos affirmare, Joannem fuisse Marcum, cujus meminit Lucas, (Act. Ap. c. 12. v. 13. 25.) & Paulus; (Ad Col. c. 4. v. 10. & 2. ad Timot. c. 4. v. 11.) compertum enim habemus, illum Hierosolymæ domum habuisse, ubi Fideles, & Apostoli post Christi Resurrectionem confluebant. Ita Cardin. Gottus, (De verit. Rel. Chr. t. 4. p. 2. c. 23. §. 4. num. 28.) & Serry, (Exerc. 51. n. 8.) qui addit, domum hanc in Ecclesiam Syon vulgo appellatam, fuisse conversam. At hoc non placet Tillemontio, (Not. 26. ad vit. Jesu Chr.) & Calmeto, (In cap. 26. Mat. num. 18.) cum nullo antiquitatis fundamento fulciatur, Nec etiam placet, cum Manduit, (Dis. 30.) Alphæi, & Mariæ, Jacobi minoris Parentum, fuisse domum; quapropter concludendum cum Gravelsono, (De My. & An. Chr. dissert. 9. in fine.) in traditis rebus nihil plane liquere, & cum Maldonato, (In Mat. c. 16. v. 18.) tantummodo videri verosimile i. Patrem fami-

lias hominem fuisse divitem, Judæum quidem, qui in Christum occulte credidisset, quemadmodum de Josepho ab Arimathea, & Nicodemo legimus apud Joannem; (c. 19. v. 38. 39.) ornataque domum habuisse, quod plebejum non est. Christo fuisse probe cognitum, immo & Discipulum, ut ex D. Marco, (c. 14. v. 13. 14.) colligit Natalis Alexander. (In cap. Mat. 26. num. 2.) 3. distinctum fuisse ab eo, qui lagenam aquæ portabat, ut ex Evangelio facile eruitur.

5. 6. 7. His positis: certum est 1. ex lib. Numerorum, (c. 9. v. 13.) Moysis legem jubere ab omnibus celebrandum esse Pascha. 2. ex lib. Exodi, (c. 12.) Pascha institutum fuisse in honorem professionis populi Hebraici ex Ægypto, cum cæremoniis videndis in citato loco. 3. ex Matthæo, (c. 26. v. 19. 20.) Marco, (c. 14. v. 16. & seq. Luca, c. 22. v. 13. & seq.) & Joanne, (c. 13.) Christum rebus omnibus ad celebrandum Pascha probe jam paratis, Agnum Paschalem cum Discipulis comedisse, legaleque Cœnam celebrasse. Contra hanc veritatem insurrexerunt Sæculo II. Marcion ab Epiphanio (Heres. 42.) graviter reprehensus; sæculo VI. Jonnes Philippus Eqtychiana sectæ, cujus meminit Potius; (Bibliot. Cod. 115. & 116.) Sæculo XI. quidam Græcorum (Ecclesia Græca reclamante, uti videtur apud Baronium (Annal. rom. 11. in fine.)) ad stabiliendum non in Azymo, sed in fermentato confici debere Sacramentum, audaciter tenuere; Christum anno e-mortuali non juxta Hebraicum ritum, Agnam Paschalem comedisse, nec legalem Cœnam celebrasse; sed tantummodo vulgarem, qua Pascha novum instituit, & venerabile Sacramentum confecit, suisque distribuit Discipulis.

8. 9. Nostra denique ætate rursus hanc opinionem in lucem revocavit multis rationibus fultam anno 1689. & 1697. Lamy, (In Op. Harmon. & concord. qu. Evāng. & continuat. tract. histor. de veter. Judeor. Pas.) cui suffragatur Calmet. (Dissert. de Pasch.) Reliqui omnes hujusmodi sententiam acerrime impugnaverunt, præsertim Tillemontius, (Not. 26. ad vit. Jesu Chr.) Gottus, (De verit. Relig. Chryst. t. 4. part. 2. c. 23. §. 1.) & Suarez, (In 3. part. D. Th. quest. 50. ar. 9. sect. 3.) qui ut hæreticam, notat. Quapropter concludendum Ecclesiæ hanc esse sententiam, Christum postremo vitæ anno, paulo ante mortem legale Pascha celebrasse; & priusquam novum Eucharistiæ Pascha institueret, & præscripto legis Paschalem Agnum manducasse. Ita diferte

ferre traditur in Tridentino, (*sess. 22. de Sac. Miss. c. 1.*) in Sacrifque Hymnis D. Thomæ, qui Ecclesia utitur in Feste Ss. Corporis Christi.

10. 11. 12. Sensui Ecclesiæ suffragari videntur Evangelistæ Matthæus, (*c. 26. v. 17.*) Marcus, (*c. 14. v. 12.*) & Lucas, (*c. 22. v. 17.*) dicentes, prima die Azymorum, Discipulos a Jesu quasisse, ubi comedere paratique Pascha vellet, Christumque illis injunxisse, ut Urbem introirent, Patrifamilias ejus nomine nuntiarent: *Apud te facio Pascha cum Discipulis meis*; ceteraque supra jam velata. Non enim Apostoli de novo Paschate Eucharistico perecebantur, quod omnino ignorabant; sed de Paschate a lege fieri præcepto illa ipsa die prima Azymorum; & interrogantium menti videtur plane congruere Christi responsio, hœspitii conditio, apparatus cœnæ indicius &c. Accessit Jesus, mensa accubit. Vel ergo comedit, quæ parata erant, vel non; Si non comedit, cogemur dicere, eum cibum parari jussisse, quem nec manducare volebat: quod quidem haud fas est dicere. Si comedit, quod paratum erat, Paschalem Agnum manducavit, Legalemque Pascha celebravit. Denique Judæi nunquam Christo ausi sunt objicere, illam præcepto non paruisse de celebrando legali Paschate, quod certe si illi Christus non obtemperasset, minime prætermisissent. Unde hæc stabilita veritate videnda apud A. A. Herminier, (*Tract. de Sacram. tom. 2. de Euchar. cap. 16.*) præsertim, ubi reperitur Ss. Pp. loca, solida traditione, illam stabilita, progredimur ad quæstionem illam: Utrum Christus legale Pascha, eo tempore, quo Hebræi consueverant, celebraverit? An tempus illud antevertit? An vero illo anno Hebræi post constitutum tempus Pascha immolaverint?

13. 14. Græci, licet ex una parte perspectum illius sit, Christum ex eo pane Azyimo, juxta ritum Judaicum mensa apposito, in celebrando Paschate, Eucharistiam consecrassè; attamen ex altera, ad sustinendam, Christum fermentatum consecrassè panem, affirmant, antecepto tempore, Pascha celebrassè. At nihil eis valet hoc esugium; nam quamvis Christus tempus antevertisset; nihilominus Azymum panem comedisset; quod ex lib. Numerorum, (*c. 9. v. 10. 11.*) aperte constat: impotens enim ad Pascha, præscripto tempore, celebrandum, alio tempore & Paschalem Agnam, & Azymum panem jubebatur manducare. Ex quo sequitur, quod consecrans panem in mensa appositum, non fermentatum, sed Azymum

consecrasset. Alij apud Bellarmin, (*Tom. 3. Controv. lib. 4. de Sac. Euc. c. 7.*) censent, Christum eo quidem die, Pascha legale celebrassè, quo celebrare juxta ritum Judaicum oporteret; Hebræos vero non ita fecissè, sed in crastinum diem distulissè.

15. 16. Aliter sentiunt Mauduisius, Pezronius, & Harduinus, uti videre est apud Boucat. (*Theol. PP. t. 7. de Euchar. Injir. dis. ser. 3. a. 3.*) Mauduisius affirmat, Hebræos Pascha distulissè, quia gravissimum onus illis erat duo Festa duobus continuis diebus celebrare, eo quod Festis diebus quamplurima facere prohibebantur; & propterea primam Azymorum diem utique Festam, quæ eo anno juxta diem lunæ, a quo regulabatur, in feriam VI. incidebat, in Sabbathum, alias Festum, transulissè: Christum vero non ita; sed primam diem Azymorum Feria sexta celebrassè; eoque jam incipiente juxta Ecclesiasticum computandi modum, de quo infra, ad Vesperum Ferie quintæ Agnum Paschalem manducassè. Pezronius vero ait, Hebræos principium mensum lunarium dupliciter computassè, nimirum a novilunio, & a Lunæ apparitione: quapropter, Christum primam secutum computationem, Paschalem Agnum manducassè decima quarta luna, idest, Vespere Ferie V. Ferie autem VI. Hebræis secundam amplectentes. Harduinus contendit, Galilæos, & Israelitas Agnam vespere Ferie V. comedere consuevisse; Hebræos vero vespere Ferie VI. Quæ de causa (inquit) Christus utpote Galilæus, pridie, quam Hebræi, Pascha celebravit. Nos vero affirmamus, Christum eo, quo oportebat die, & quo Hebræi ipsi Pascha celebrabant, Paschalem comedissè Agnum; ideoque neque Jesum tempus antevertissè, nec Hebræos Pascha distulissè, sed decima quarta die primi mensis, in Exodo (*cap. 12. v. 3. & 6.*) a lege præscripta; celebrassè. Hic autem primus anni mensis apud Hebræos convenit partim cum Martio, partim cum Aprili, & appellatur *Abib* seu *Nisan*; qui cum septimus in ordine antea fuisset, post professionem Israelitici Populi ex Ægypto, primus anni mensis, in Exodo computatur. (*Ibid. v. a.*)

17. Ut autem assertio posita melius intelligatur, notamus, duas in Lege præscribi solemnitates. Prima Festum Paschæ vocabatur, in honorem perfectionis ex Ægypto institutum; Secunda Azymorum, institutum idem in memoriam Azymorum, quos, ut narrat Exodus, (*c. 12. v. 39.*) præ festinatione comedere opus fuit. Itaque apud

Exodum, (c. 12. v. 19. & 20.) & Numeros, (c. 28. v. 16. & seq.) legitur decima quarta primi mensis die, Pascha, & decima quinta Azymorum solemnitate celebrari, in qua fermentatum panem nefas erat comedere, sed Azymum tantum. Hæc autem solemnitas per septem agitabatur dies, quorum primus, & ultimus festi erant. Cum autem Paschæ dies, ut mox docebimus, cum Azymorum die partim congrueret, propterea Paschalis Agnus juxta Exodum, (c. 12. v. 8.) non nisi cum Azymis poterat manducari.

18. Sciendum præterea, penes Hebræos plura genera dierum esse. Quidam Legales, & Sacri; Naturales alii; alii denique Artificiales, Legales, seu Sacri juxta Leviticum, (c. 23. v. 32.) initium trahebant a Solis occasu; & ita Legalis diei termini erant duo Solis occasus. Hoc diei genere utitur Ecclesia Romana. Naturalium initium a mediâ nocte, finis in mediam noctem consequentem. Artificialium vero, spatium inter duo Solis ortus intercipiiebatur. Quapropter, licet Scriptura præscribat decima quarta primi mensis celebrandum esse Pascha ad vesperam, & decima quinta Azymorum Festum, decima quarta diei vespera cum initio decimæ quintæ recte congruit; diæque naturalis festæ v. conflatur ex parte utriusque diei legalis prædicti.

19. Ex quibus manifeste constat anno Christi emortuali Hebræis decima quarta die primi mensis, Martii nimirum, celebrandum fuisse Pascha, & Agnum manducandum; At non prima illa vespera, qua Pascha inchoabatur, sed secunda, quæ primi Azymorum diei initium erat. Cum autem Evangelistæ dicant, Discipulos de parando Paschate mandatum accepisse. *Primo die Azymorum*, ut habet Matthæus, (c. 26. v. 17.) & *Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha*, ut habet Lucas, (c. 22. v. 87.) addatque Marcus: (c. 14. v. 12.) *(Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant,* Judeos subintelligens, cum de aliis intelligi non possit verbum *immolabant*, plans conficitur, & Christum, & Judæos de facto Pascha celebrasse, & Agnum comedisse eo ipso die a Lege præscripto, scilicet, sub finem diei legalis decimi quarti, & initium decimi quinti, seu Feriâ quinta ad vesperum.

20. &c. Huic asserto non obstat Evangelium Joannis, dicens: (c. 13. v. 1.) ultimam Cœnam, in qua Jesus pedes Discipulorum lavit, & Pascha celebravit *ante diem Festum Pascha* contigisse. Nec etiam dum

ait (c. 18. v. 18.) Hebræos Jesum a Caipha in Prætorium adducentes, illud non introisse, *ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha*. Conciliantur enim omnes Evangelistæ per diversam dierum computandi rationem, a nobis supra factam. Qui enim scribunt cœnam factam esse *prima die Azymorum*, intelligunt, ad vesperam diei Paschæ secundam, quæ primæ Azymorum diei initium est, sequentes in hac computatione Legalium, sacrorumque dierum mensuram. Joannes vero non negat factam fuisse secunda diei Paschæ vespera, sed significat factam fuisse ante primum Azymorum diem, adhibita non Legalium, sacrorumque dierum mensura, sed naturalium, & artificialium. Exemplo res clarescet. Si quis enim anno 1738. quo pervigilium & S. Baptistæ dies 23. Junii in feriam secundam cecidit, rem aliquam hora vigesima tertia gestam narrando, dixerit, eam Festo die Baptistæ contigisse, recte dicet, ratione habita Sacri diei, ejusque mensuræ; Si vero narret, eam ante Festum diem S. Baptistæ accidisse, recte item dicet, sumpta nimirum naturalis, artificialive diei mensura. Sic Catechisus Romanus, respondet; (*de Sacr. Euch. P. 134.*) sic D. Thom. (3. par. 1. q. 148. art. 8. ad 1.) & alii communiter magni nominis DD. Adde (& maxime notetur) solemnitate Azymorum etiam dici solere *Pascha*; ac proinde Joannes de Cœna Christi acturus recte dicere potuit *Ante diem festum Pascha &c.* intelligendo de Paschate Azymorum, quod juxta naturales dies nondum inceperat; & juxta legales vix incipiebat, cum Christus Cœnæ accubuit. Unde tamen id eruiamus? prompte dicemus: ex D. Luca, dicente (c. 22 v. 1) *Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha.* & ex Josepho dicente (*Antiq. l. 28. c.*) *Dum celebraretur Azymorum solemnitas, quam Pascha nuncupamus;* & consonat idem Joannes, dum loquens de tempore, quo Pilatus sedit pro tribunali, ait: *Erat autem Parasceve Pascha, hora quasi sexta &c.* (c. 4.) Ex quo patet, male hoc loco uti adversarios ad suam probandam sententiam.

24. 25. 26. Non obstat etiam secundus locus D. Joannis contra nos adductus; quod Judæi non introierint Prætorium, ne contaminarentur, *sed ut manducarent Pascha*: (c. 18. v. 28.) intelligitur enim non de Agno Paschali, sed de cæteris cibis Legalibus, quibus per eos Azymorum dies vesci oportebat: Pascha enim generale nomen est, complectiturque etiam oves, & boves, qui

in ea maſtabantur ſolemnitate, & per ſeptem illos dies comedebantur. Conſtat ex Deuteronom. (c. 4. v. 2.) *Immolaſque Phaſe* (ideſt Paſcha) *Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus.* De hac re late Baronius & Bellarmin. ſupr. Suarius (Tom. 2. in 3. part. diſp. 40. ſect. 1.), & Raynaudus. (Tom. 9. pag. 652.) Quod attinet ad rationes Pezronii, Mauduiſii, & Harduini, num. 15, adductas, dicendum reperiri omnino everſas apud Gottum, Gravesonium, & alios: Hebræi enim, ſi primum Azymorum diem in Sabbathum tranſuliſſent, ne duo proxime conjungerentur Feſta, nihilominus iis fuiſſet neceſſum eodem reſolvi nam decurſa hebdomada, duo Feſta, nimirum FERIA VI. qui ſeptimus fuiſſet Azymorum dies, & Sabbathum ſe invicem excipientia, occuſſent, ac proinde fruſtaneum eſſet ad hoc evitandum, primum Azymorum diem in Sabbathum tranſferre. Harduinus denique rejicitur, & præcipue ab Auctore: *Vindicia Veterum Scriptorum contra Joannem Harduinum*; quia nullum de duplici Galilæorum, Judæorumve Paſchate in Sacris litteris extat monumentum. Incredible deinde eſt, Chriſtum e Tribu Juda, & Regio Davidis ſanguine ortum, Legiſque obſervantiſſimum, non cum Judæis, ſed cum Galilæis Paſcha celebraſſe. Unde concludendum, Chriſtum anno emortuali cum Judæis eodemmet die Paſcha celebraſſe. Et in hoc conveniunt etiam hæreticarum partium homines, præſertim Caſaubonus, (*Exerc. 16. n. 13.*) & Bineas. (*Lib. 1. de mort. Jeſu Chr. c. 1. n. 32.*)

27. Jam ad ea, quæ Chriſtus geſſit in ultima Cœna, ſermonem convertamus. Docemur a Matthæo, (c. 26. v. 21. & ſeq.) & Marco, (c. 14. v. 18. & ſeq.) Chriſtam menſæ jam recumbentem Apoſtoliſ dixiſſe: *Unus veſtrum me traditurus eſt*: quod quidem ita Apoſtoloſ perturbavit, ut ſingillatim unusquiſque interrogaverit: *Nunquid ego ſum Domine?* Reſponſumque accepitſe, Judam: *Tu dixiſti*; ceteros vero, eum fore, qui cum Chriſto manum in paropſide intingeret. Dein Chriſtum accepitſe panem, eumque benedixiſſe, fregiſſe, & diſcipuliſ diſtribuiſſe, ut manducarent, & Calicem, ſimiliter, ut ex illo omnes biberent. Totum hoc ab Evangeliſtiſ relatum, proteſtatur D. Paulus a Domino accepitſe. (*ad Cor. 1. c. 11. v. 13. & ſeq.*) Hoc factò, hymnoque dictò, exiſſe in montem Olivei Lucas adjungit, (v. 22. c. 14. & ſeq.) coortam tunc fuiſſe inter Diſcipuloſ de eorum majo-

ritate controverſiam, & quomodo a Jeſu fuerit extingta: monuiſſe Petrum fore, ut omnes tentaret Satanâs; ſe autem a Patre exoraſſe, ne Petri deficeret Fides; cui injunxit, ut fratres ſuos in fide confirmaret. Præterea narrat Joannes (c. 13. v. 4. & ſeq.) Chriſtum a menſa ſurrexiſſe, detractiſ veſtibas, linteo præcinctum, injectaque aqua in Catinum, pedes Diſcipuloſum laviſſe, & exteriſſe linteo, quo erat præcinctus: Reſtiſſe lotioni Petrum; ſed Jeſum eum admonuiſſe: *Si non laverò te, non habebis partem mecum*; ad eaque reſpondiſſe Petram; *Non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput.* Narrat præterea indicatam Judæ prodicionem illiſ verbis: *Vos mundi eſtiſ, ſed non omnes*; & clariuſ poſtea: *Unus ex vobis tradet me.* Joannem interogaſſe, quiſnam eſſet? & reſpondiſſe illi Dominum, eum eſſe, cui panem intinctum in patina porrigeret, eumque præbuiſſe Judæ; dixiſſeque: *Quod faciſ, fac citiuſ* Hæc verba ab aliis minime fuere intellecta; exiltimarunt namque, Chriſtum Judæ præcepiſſe, vel, ut aliquid ex pecunia, quam cuſtodiebat, coemeret ad Paſchæ uſum, vel, ut ex ea aliquam elargiretur eleemoſynam.

28. 29. Hiſ poſitiſ, aliqua hic dicenda ſunt de modo, quo Hebræi menſæ accumbere ſolebant, deque eorum ante menſam ablutione. Quoad primum dicendum, morem apud illoſ fuiſſe non in ſelliſ, ſed in lectiſ jacentes, cubitoque innixos cibum capere. Ita legitur in Eſther, (c. 1. v. 8. & c. 7. v. 7.) viſiturque in iconiſmiſ ab Antonio Bineo (*De mort. Chr. to. 1. p. 210.*) exhibituſ: quorum unus a Ligorio e veteriſ monumentiſ fuiſ extractuſ; alter, ex Patavino marmore expreſſuſ quod etiam nunc extat. Apud eundem, (P. 260.) extat etiam alter quod ad menſam Chriſtuſ, & Diſcipuli exhibentur in lectiſ recumbentes, quando Magdalena Jeſu pedes unxit in domo Phariſæi convivantiſ, de qua unctioe D. Lucas, (c. 7. v. 6.) uti etiam obſervavit Maldonatuſ, (*in c. 38. Luca*) dicens, Chriſtum in lecto accubuiſſe, capite ad menſam converſo, reſectiſque pedibuſ ad exteriorem partem, qua dapes offerebantur. Nec aliter Magdalena adverſa ex parte ad Chriſtum accedere, lacrymiſ pedes abluere, capilliſ tergere, unguentoque inungere ullo modo poſſet. Dicendum ergo, Chriſtum hanc conſuetudinem obſervaiſſe in ultima Cœna. Intelligibile enim eſt, quomodo Joanneſ in Jeſu gremio recumbere potuerit, ut ipſemte teſtatuſ eſt; (c. 13. v. 23. c. 21. v. 20.) & in-

& insimul quomodo Christus laverit Discipulorum pedes, qui a mensa surgerent, aut mensa ipsa submoveretur; nisi in forma supra descripta mensæ accumberent. Quare rejicienda omnino est tanquam absona, nova, & singularis, opinio Andreae Baccii, dicentis (*Lib. 4. de naturalis vin. histor. pag. 147.*) Christum more nostro sedentem relatis in Evangelio Cœnis accubuisse. Hoc enim cum Evangelica Historia pugnare videtur, ut ex dictis patet.

32. 31. Quoad secundum dicendum, in more etiam positum fuisse apud Hebræos, ut nonnisi loti ad mensam accumberent. Ita de David narrat Regum Historia; (*2. 6. 12. v. 10.*) & Phariseum etiam legimus, apud Lucam, (*c. 11. v. 37. & 38.*) miratum fuisse Jesum mensæ illorum accubuisse. Ablutio autem hæc ante mensam in balneo fiebat; proxime autem ad mensam, soli pedes abluebantur, ut mundarentur a sordibus, quas a balneo ad mensam sine calceis, & caligis incedendo contraxerant. Ita de Abrahamo, & Lot hospicio Angelos convivæ recipientibus, & de Josepho fratres a Cananæa advenientes, legimus in Genesi, (*c. 18. v. 4. & c. 43. v. 16. & 24.*) & in multis aliis, quod scilicet pedes ante cœnam laverint. Denique hanc vigere, Christi etiam tempore, consuetudinem, clare evincitur ex illo Joannis: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet;* (*c. 13. v. 10.*) licet per ea verba mundities etiam animæ designari possit teste Augustino, (*T. 3. n. 4.*) qui per pedes significari dicit humanos affectus, sine quibus in hac mortalitate, non vivitur.

33. 33. Non prætereundum ex Joanne, (*c. 13. v. 4. & seqq.*) Christum (quod, teste Ferrario (*De re Vestiarum, part. 1. p. 138.*) fervoribus erat) ad Discipulorum pedes lavandum, veste exutum, linteoque præcinctum ad eosdem extergendos, accessisse; ut maximum nobis præberet humilitatis exemplum. Prædicti lintei pars, juxta Leonem Ostiensem, ad Casinense Monasterium fuit allata per quosdam Monachos Hierosolyma profectos; quæ, probationis causa, juxta illorum temporum consuetudinem, in ignem fuit injecta, statimque igneo colore incanduit: semotis dein carbonibus in formam pristinam restituta, teste Joanne Chiffletio, (*De linteis Chr. Sepulchral. c. 6.*) honorifico in loco fuit collocata. Iterum ad res in Cœna a Christo gestas. Ter prædixit Judææ prodictionem: 1. initio Cœnæ, apud Matthæum, (*c. 26. v. 20. 21.*) & Marcum; (*c. 14. v. 18.*) 2. post lotio-

nem pedum, apud Joannem: (*c. 13. v. 10.*) 2. post Eucharistiæ institutionem apud Lucam (*c. 22. v. 21.*) & Joannem. (*c. 13. v. 28.*) Hujus autem trinxæ prædictionis causa ex SS. PP. & Interpretibus, apud Calmet, (*in Matt. c. 26. n. 21.*) eo tendit, vel ut Apostoli certiores fierent de libera, & voluntaria Christi morte (quam si libuisset, facile illi fuisset evitare) vel ut Judææ pœnitentiæ daretur locus.

34. Licet ex Joanne (*c. 13. v. 2.*) certum habeamus, Christum, Cœna facta, Discipulorum pedes lavisse, attamen, cum triplex consideretur cœna, nimirum Legalis, in qua cæremoniis adhibitis, Paschalis Agnus unice erat comedendus; Vulgaris, in qua communes epulæ adhibebantur familiæ, cui satiandæ satis non fuisset Paschalis Agnus: Sacra, in qua Eucharistiæ Sacramentum fuit institutum; controversum est apud Patres qua cœna finita, hujusmodi lotionem Christus exercuerit. Aliqui cum Calmet, (*in c. Jo. 13. n. 2.*) id factum dicunt post Sacram Cœnam, & Eucharistiæ distributionem. Suarius (*in 3. p. D. Th. tom. 3. disput. 141. sect. 2. & 4.*) post primam Cœnam, paulo ante secundam; ait enim sic optime intelligi res ibi gestas quomodo Jesus, lotionem expleta, mensæ iterum accubuerit, ibique Eucharistiæ instituerit; prima enim Legali Cœna præcepto Legis obtemperavit; deinde pedum lotionem mysterio satisfecit, puritatem indicans, qua ad Eucharistiæ accedere oportet. Suario ex parte consentit communis sententia, quæ pedum lotionem ponit tempore Cœnæ secundæ, & ut bene probant a Lapide, (*in c. 26. Matth. v. 26. & in c. 13. Jo. v. 2.*) & Maldonatus, (*ad c. 13. Jo. n. 2.*) illa jam magnam ex parte absumptam, attamen ante Eucharistiæ institutionem. Christus enim, ex Joanne, (*c. 13. v. 12. & 26.*) post lotionem vestimenta accipens, mensæ iterum accubuit; ubi appositæ adhuc erant aliquæ epulæ, ex paneque mensæ appposito, frustum in patina intinctum Judææ præbuit.

35. Jam de tempore Eucharistiæ institutionis; in quo videntur minime convenire Sacri Scriptores. Matthæus, (*c. 26. v. 26.*) & Marcus, (*c. 14. v. 22.*) innuunt institutam fuisse inter cœnam; communem intelligas. Cœna vero expleta, eam videntur ponere Lucas, (*c. 22. v. 20.*) & Paulus. (*1. ad cor. cap. 11. v. 23. & seqq.*) Quo ex discrimine arguunt aliqui vulgarem inter cœnam, Christum consecrasset, ac distribuisset panem; vinum autem, ea finita. Alii

arbitrantur panem, & vinum, mensa nondum sublata, seu nondum peracto tempore vespertinae Cœnæ, sub nomine Cœnæ sepiissime contento, Christum consecrasse, & distribuisse. Huic sententiæ suffragatur Eftius. (*In c. 2. Ep. 1. ad cor. n. 52.*) Verum, cum supra jam docuerimus, pedum ablutio- nem, quæ ex Maldonato, (*Loc. cit.*) muniti- em denotat, qua ad Eucharistiam debemus accedere, pene sub fine vulgaris Cœnæ factam fuisse; consequenter dicimus, Eucharistiæ institutionem evenisse post rever- sionem Christi ad mensam, in qua aliquot patinæ remanserant. Sic autem facile concilian- tur Sacri Scriptores, dicendo Mat- thæum, & Marcum per verba: *Cœnantibus, & manducantibus illis*, inuere voluisse reditum Christi ad mensam, lotione jam ex- pleta; Lucam vero, & Paulum per verba: *Postquam cœnavit*, finem manducandi de- notare.

36. Et notetur cum Bellarmino (*T. 3. controver. l. 1. c. 2. de Sacram. Euc.*) D. Lucam duos narrare Calices, alterum ante, alterum post consecrationem panis adhibi- tum. De primo ita loquitur *cap. 22. vers. 17. Et accepto Calice, gratias egit, & dixit. Accipite, & dividite inter vos.* De altero vero *vers. 20.* hæc habet: *Similiter, & Calicem postquam cœnavit, dicens: Hic Calix novum Testamentum in sanguine meo &c.* Primus ad legalem Cœnam referendus, in cuius initio fuit distributus cum vino minime consecrato: secundus ad Eucharisti- cam Cœnam spectat, & sub vulgaris men- sæ finem consecratus est. Porro ad innuen- dam hanc duorum Calicum distinctionem, determinat Lucas, tempus porrectionis se- cundi fuisse, *Postquam cœnavit*: quod de pane consecrato non opus fuit dicere, cum de distributione alterius panis non consecra- ti antea non scripsisset. Videantur Cajeta- nus, (*In Luc. cap. 22.*) & a Lapide. (*In Mat. c. 26. v. 29.*) Hic Calix, ex Beda, (*De loc. Sant. c. 2.*) & Baronio, (*Ad an. Chr. 31. §. 63.*) argenteus erat, duas hinc, inde ansas habens, Sextarii Gal- licæ mensuram capiens; multisque annis Hierosolymæ fuit conservatus una cum spon- gia, Domineci potus ministra, seriniolique reconditus, per operculi foramen tangebatur a Fidelibus, & osculabatur.

37. Nunc de actionibus a Christo gestis in institutione Eucharistiæ. Fuere autem pa- nem, calicemque accipere; illum post gra- tias Patri exhibitas, frangere, Discipulis- que distribuere, ut manducarent, & insimul, ut ex calice omnes biberent, illum porrige-

re. In fine autem Cœnæ sic panem, & vi- num consecravit, ut inter utriusque consecra- tionem, & distributionem nihil gestum, di- ctumve fuerit, uti colligitur ex Evangelistis: verisimiliorique sententia. Denique consulto prætermittimus reliquas ultimæ Cœnæ actio- nes, Mysteriorum licet plenas, veneratione- que dignissimas, ut eas pertractemus quæstio- nes: An Christus in Azymo, Fermentatove consecraverit? An in consecratione certis conceptisque verbis usus fuerit? An se com- municaverit? An Judæ corpus suum præ- buerit? Quid denique, Cœna expleta ges- serit?

38. 39. Ad 1. dicimus, quod supra jam docuimus, in pane Azymo Christum conse- crasse. Neque ex hoc recte arguitur, ex Algeri, (*Lib. 2. de Sac. Corp. & Sang. D. c. 10. in Bibl. PP. T. 21. p. 283.*) so- lummodo Azymum posse, deberique conse- crari; nam in Concilio Florentino an. 1439. habito, quod a Græcis, Latinisque fuit subscriptum, definitum fuit, Sacerdotem, quo ad consecrandum in Azymo, vel fer- mentato Ecclesiæ suæ Latine, vel orienta- lis consuetudinem sequi debere: & in pane triticeo, sive Azymo, sive fermentato, *Corpus Domini veraciter confici.* (*Tom. 13. collat. 22. col. 1136. concil. Collect. Lab- beana.*) Observandum, Ecclesiam Latinam, (*In Constitution. Gregor. IX. Eug. IV. Leon. X. Clem. VII.*) nunquam Græcorum disci- plinam improbasse, non ita vero Ecclesiam Græcam, (*Epist. Michael. Cerularii, & Leon. Archiev. Bugarolum.* quæ judaiza- re profert Ecclesiam Latinam in Azymo consecrantem. At hanc calumniam merito disjecit S: Leo IX. (*Epist. l. cap. 5.*) Vi- deatur propterea Baronius, (*Annal. T. II. ad an. 1054.*) Igitur certissime tenendum, Christum & panem Azymum consecrasse, & Eucharistiæ materiam debere esse panem triticeum: insimul Ecclesiam Latinam lau- dabiliter fuisse solitam in Azymo consecra- re; Græcam vero in Fermentato, exceptis Maronitis, Morino teste, (*Pref. ad ordinat. Maronit.*) & Armenis. (*Const. Grego VII. in Euchirid Græcoedito. Benevent. au. 1717.*) Quò vero tempore hæc utraq; in Ecclesia cœperit consuetudo, controversum est. D. Thomas, (*In 4. Sentent. dist. 2. q. 2. quæst. 3.*) censet, Azymi usum viguisse in utra- que Ecclesia usque ad hæresim Ebionita- rum, atherentium, ideo se panem Azymum consecrare, ut Christianorum, Hebræorum- que ritus in unum conjungerent, ac proin- de Moylis, Christi que Legis præcepto satis- facerent. Id propter, utraq; Ecclesia, ut

longe ab hæresi abesset, disciplinam de consecrando in Fermentato amplexa est. Hæresi dein oppressa, ex D. Thoma, cum cæteris Theologis Orientalis Ecclesia usum fermentati retinuit, Occidentalis explosit. Sirmondus (*Dissert. de Azymo T. 4. opedit. novissima.*) contendit, in Latina Ecclesia obtingentos, & amplius annos fermentati usum communem fuisse, Azymi vero inventum fuisse per tempus inter Photii, & Cerularii Schismata mediam. Christianus Lupus, (*T. 3. ad Decret. & can. conc. dissert. de Act. S. Leon. IX. cap. 7. & sequent.*) putat ab Apostolicis usque temporibus ductam in Ecclesia Latina Azymi disciplinam sine aliqua interruptione. Denique Cardinalis Bona docet, (*Rev. Liturg. lib. 3. cap. 23. edit. novissima.*) Græcos semper Fermentato esse usos; Latinos vero primis Ecclesiæ temporibus promiscue & Azymo, & Fermentato pro locorum, temporumque opportunitate; decimo vero sæculo Azymi disciplinam fuisse confirmatam in Ecclesia Latina. Ex quibus satis apparet, quanta sit initii, & progressus moris hujus incertitudo. Si quis vero symbolicas significationes in hujus Sacramenti materia desiderat, illi dicimus cum Herminier (*T. 2. de Sacram. c. 12. de Euc. p. 413.*) in Azymo Carnis Christi sinceritatem, & puritatem; in Fermentato Divinitatis, & humanitatis unionem in Christo significari.

40. Ad 2. dicimus penes Theologos certum esse, Christum panem, vinumque consecrasse; quoniam tamen modo hujusmodi consecrationem consecravit, Theologos inter se discrepare. Quidam enim cum Innocentio III. (*Lib. 4. Misericord. Miss. c. 6.*) & aliis, arbitrantur Christum consecrationem consecrasse, interna, & occulta benedictione, *per potestatem Excellentia*, ab omni verborum necessitate absolutam; sed tamen postea formulam quamdam conceptraque præscripsisse verba, quibus nos postea uteremur. Quoniam vero Pontifex non decreto edito, sed suam opinionem declarando id affirmavit, recedere nolumus a D. Thoma. (*3. part. quest. 78. art. 1.* qui cum aliis dilerte docet, Christum externa benedictione, & his adhibitis verbis, quibus nunc Sacerdotes in consecratione utuntur, Eucharistiam consecrasse. Favet Concilium Tridentinum, (*Sess. 13. cap. 1.*) dicens, institutionem Eucharistiæ factam a Christo fuisse, *Cum post panem, omni benedictionem, se suum Corpus præbere; ac suum Sanguinem, disertis, ac perspicuis verbis testatus est*; quæ verba sa-

tis declarant, non per benedictionem consecrasse, sed per verba: *Hoc est Corpus meum. Hæc est Sanguis meus* ab Evangelistis, & D. Paulo relata. Adhærent Catechismi Romani Auctores; de utraque consecratione loquentes. (*De Sacram. Euchar. pag. 136.*) Neque ex hoc dicendum, monet Tournely, (*In Prælect. Theolog. de August. Euc. Sacram. p. 439.*) Fidei esse articulum nostram sententiam; quia Tridentina Synodus, teste Salmerone (*Tom. 9. tract. 13. pag. 88.*) & Societate Jesu, qui tamquam Theologus Pontificius interfuit Concilio, nihil in hoc puncto definiendum, prudenter censuit, licet Theologi id peterent; sed tantummodo propensior nostræ fuit sententiæ, nunquam vero contrariam damnavit.

41. 42. Ad 3. dicimus, quod alibi jam docuit idem Benedictus XIV. (*Institut. 38. edit. Lat. §. 5.* Christum in ultima Cœna suum Corpus, & Sanguinem sumpsisse. Sic D. Thomas (*3. part. quest. 81. art. 1.*) cum Hieronymo, (*Epist. 150. ad Hedibianam q. 2.*) illudque observandum, quod sicut ante Legis Baptulinatis promulgationem Christus baptizari voluit, ita Corpus, & Sanguinem suum in ipsamet Eucharistiæ institutione voluit sumere, antequam Discipulis distribueret juxta illud (*c. 1. v. 1. Act. Ap.*) *Capit. Jeus facere & docere*. Communis est hæc sententia penes Vasques; eam subscripsere Orientales Theologi apud Renaudetium, (*Tom. 1. Collect. Liturgiar. Orient. p. 237.*) aliique videndi apud Sylviam, (*In 3. par. D. Thom. quest. 81. art. 1.*) qui adjungit, Christum per communionem istam non gratiam, gratiæ augmentum accepisse, cum ipsiusmet gratiæ plenitudine in sui conceptionis momento fuerit repletus; sed spirituales fuisse comestiones cum devotione, sanctitateque conjunctum, ex qua sensit spiritualis dulcedinis actualem delectationem.

Ad 4. dicendum, controversam esse inter DD. Judæ communionem; quia Matthæus, Marcus, & Lucas affirmantes Legali cœnæ Judam adfuisse, omnino silent illum communi Cœnæ, institutionique Eucharistiæ fuisse præsentem. Ex quo aliqui ex veteribus sunt arbitrati Judam Eucharistiæ institutioni non interfuisse, sed cum Jesus illum ut sui proditorem demonstrasset, foras erupisset. Alii apud Calmet, (*Ad cap. 26. Matth. num. 23.*) licet concedant Eucharistiæ sumpsisse panem, at tamen putant ex illo Christum in porrectione consecrationem admississe.

43. 44. Nos vero cum communiori, ve-

riorique sententia, quam tenent cum PP. D. Thomas, (3. p. q. 81. art. 2. & in 4. Sentent. dist. 2. q. 3. a. 2. q. 1. & 2. & in c. 13. Joann. Lect. 3. 4.) & a Theologis, Interpretibusque, Suarez, (3. part. tom. 3. disp. 41. Sect. 3.) & a Lapide, (In cap. 13. Joann. vers. 30.) affirmamus, Eucharistiam a Judæ fuisse susceptam; quia omnibus quotquot cum Christo ad Legalem, communemque Cœnam accubuerant, Redemptor Eucharistiam præbuit; uti colligitur ex D. Marco, (c. 14. v. 22. 3.) ubi verba, *manducantibus illis*, ad eos referuntur, qui ad Legalem Cœnam excepti, communi etiam Cœnæ adfuerunt, in qua Christus Eucharistiam confecit. Id plane etiam probant verba: *Biberunt ex ea omnes*: quæ vox *omnes* nullum excludit ex 12. Apostolis, qui Cœnæ Legali interfuerant, juxta eundem Marcum. (c. 24. v. 17.) Deinde cum ex supra dictis constet Eucharistiam institutam statim post lotionem pedum, cui lotioni Judas interfuit, ut clare eruitur ex Joanne, (cap. 13.) sequitur, ut Judas etiam Eucharistiam sumpsit. Confirmatur; quia post distributam Eucharistiam dixit Jesus unum ex iis, qui aberant, eum fore traditurum; utque eum soli Joanni manifestaret, Judæ porrexit bucellam intincti panis; quæ omnia clare conficiunt Judam cum aliis sumpsisse Eucharistiam. Consonat Ecclesia de Cœlesti pane dicens: *Turba fratrum duodena; Datum non ambigitur. (Festo Corporis Chr. in Sequentia)*. Si ergo duodecim datus fuit, utique etiam Judæ.

45. 46. Ad 5. supr. n. 37. propositum dicimus, quod Cœna expleta, Judæque egresso, suavissimus, & mirabilis subsequens fuit Christi sermo, quem attentissimus auscultator exacte narrat Joannes: (c. 13. & seq.) & Matthæo teste (c. 26. v. 30.) dictus fuit hymnus: quo expleto, Christus cum Apostolis exiit in montem Oliveti. De hoc hymno varia varii canunt, ut videre licet ex diversis AA. sententiis a Benedicto XIV. hic relatis; cum quo nos concludimus fuisse gratiarum actionem: quibus tamen concepta fuerit verbis, ad nos non pervenisse: hincque profectum, aut certe firmatum laudabilem Christianorum morem gratias Deo agendi, sublata mensa, prout jam nos Ecclesiasticus monuerat. (c. 32. v. 17.) Ex præindicatis opinionibus illa relatu dignior est, quæ tenet fuisse Psalmum 113. *In exitu Israel &c.* Hunc enim ab Hebræis dici consuevisse in Paschali Cœna, utpote Festo accommodatum, eruit Baronius (Ad ann. Chr. 34. n. 65.) ex veteri, quem affert, Hebræorum Rituali,

47. Nunc ad hujus diei cæremonias. Missa Eucharistiæ institutionem recolit. In Introitu declarat Ecclesia in Cruce maxime gloriari, quia illa in causa est nostræ vitæ, salutis, & resurrectionis. Intonata *Gloria in excelsis &c.* campanæ silent. In Epistola affirmat D. Paulus se a Domino accepisse Eucharistiæ institutionem. In Evangelio D. Joannes pedum lotionem describit. *Agnus Dei*, sine pacis osculo, dicitur. Sacerdos duas consecrat hostias, & aliquas particulas, (ut vocant:) hæ infirmis reservantur; ex hostiis una hac die sumitur a Sacerdote, alia in diem sequentem reservatur, a Sacerdote sumenda; sed in alio Calice, ab illo Sacrificii distincto, & non in Pyxide, ut monet Bellotte. (Ad Rit. Eccl. Laudunens. p. 800. n. 3.) Dictum Calicem Diaconus super Altare positum, palla, & patena tectum, velo circumdat; idque tutius est; quamvis Ecclesia Laudunensis, sacra aliqua Sindone Hostiam soleat involvere. Deinde Sacerdos celebrans Clerum universum, etiam Presbyteros, more laicali sub una tantum specie communicat. Missa peracta, fit Processio, in qua Sacerdos Hostiam in Calice reservatam gestat; qua finita, collocatur in aliquo Altari ad id, quam potuit, ornatissime parato. Postea recitantur Vesperæ, illque absolutis, nudantur Altaria; & ubi est consuetudo, a Superiore, vel Prælato fit pedum ablutio, quæ cæremonia *Mandatum* appellatur. Si vero Missa per Episcopum celebratur, Sacra etiam Olea conficiuntur.

48. De campanarum silentio; alibi idem Benedictus XIV. (Instit. 20. cit. edit. Latin.) ubi etiam docuit, ad fragorem ligna quædam obstrepentia adhiberi; ut extet memoria consuetudinis convocandi primis Ecclesiæ sæculis prædicto signo Fideles ad Divina Officia. Ideo autem in veteribus Ritualibus campanarum usum interdici, quia in his significantur Prædicatores, nimirum Apostoli, qui Christam Passionis tempore deseruere. Alibi etiam Sermone habuit idem Benedictus XIV. (Instit. 38.) de Communionem Cleri, ejusque vetustate. Hic solum addendum, ex Bellotte, (Ad Rit. Eccl. Laudunens. p. 802. n. 7.) in Parisiensi, aliisque Ecclesiis vigere consuetudinem, ut Sacerdotes Missas celebrent privatas, antequam solemnibus absolvatur. Ex Mayzinello autem (In Oper. de Offic. Maj. Hebdom.) Ecclesiam conjunxisse hac in die læticiam cum mœrore; læticiam, in Eucharistiæ institutionis memoria; mœrorem in Passionis recordatione. Ea propter vel ad hunc mœrorem

rorem significandum, vel maxime ad Judæ osculum execrandum, se abstinere in Missa a pacis osculo. Insuper lotionis pedum cæremoniam ideo *Mandatum* appellari, vel quia a prædicta voce initium sumit, vel quia mandatum est Christi, qui prior exemplum nobis dedit, apud Joannem. (c. 13. v. 14. & 15.) Denique Altaria denudari, ad significandam contumeliosam Christi in Passione nuditatem.

49. &c. De Altaribus nudandis agunt cum pluribus Isidorus, (*de Offic. Eccl. lib. 1. c. 28.*) & Durandus (*l. 6. c. 76.*) De eorundem vero ablutione, quæ nonnullis in locis hac die fit, in aliis vero Feriæ vi. agit Gretserus. (*T. 5. post. edit. Oper. l. 1. de Fes. c. 17. p. 59.*) In Vaticanâ Basilica, absoluto matutino vespere Feriæ v. Clerus universus Choro addictus ad Aram maximam se confert; hujusmodique confessionis Altare jam nudatum Canonici primo, deinde cæteri et Clero vino, & aspergillis abluunt. Hujusmodi cæremonia meminere aliqui, præsertim Joannes Chrystoporus Battellus, Archiepiscopus Amasenus, Basilicæ olim Beneficiarius, apud quem multa videri possunt. (*dissert. ann. 1702. Rom. edit.*) Inter multa scitu digna, quæ de pedum ablutione scribit Baillet, (*de Fer. v. Major. Hebdom. §. 3. n. 8.*) illud memorabile, quod Abbates Regulares magna pompa Monachis lavabant pedes intra claustra, extra vero egenis, largissimis cum elemosynis; quos etiam, lotione expleta, ad mensam accersébant. Cum autem circa IX. sæculum corruptela fuisset introducta convivorum in honorem Cænæ Christi instruendorum, suavissimis vinis, & bellariis menisæ appositis; abusu occurrerant Cardin. Pulus, & B. Petrus Cluniacensis Abbas, certam formam, modumque præscribentes. Addit Baillet laudabilissimum hanc morem ad sæculares etiam Potestates, quin & ad fœminas religiose esse propagatum, quod multis firmat exemplis, quibus hodie insistant clarissimi Reges, Principesque piissimi. Idque licere hac die fieri a Monialibus etiam, declaravit Zacharia Pontifex ad Bonifacium Episcopum Moguntinum. Eundem testatur Gretserus (*T. 5. Oper. novissim. edit. l. 1. de Fes. c. 7.*) cum aliis, vigere etiam in Ecclesia Græca quo ad Patriarchas, & Episcopos. Et notat a Lapide (*In c. 13. Joan. v. 7.*) in Mediolanensi Ecclesia, multisque aliis Hispaniæ, & Africæ abluí pedes etiam Cathecumenis, qui Sabbatho Sancto baptizandi erant. Hoc autem decentiæ tribuit S. Augustinus, (*Epist. 54. alias 118. pag.*

127.) cum alias per observantiam Quadragesimæ fordida essent corpora, nec in ea balnei usus vigeret. Ecclesia tamen Romana a dicta Cathecumenorum ablutione abstinuit, ne, teste Ambrosio, (*L. 3. de Sacram. c. 1. n. 5.*) cum illis sentire videretur, qui eam ad Baptismi substantiam pertinere arbitrabantur; eandemque interdixit Conc. Eliberitanum. (*Can. 49.*) Ex recentioribus etiam non desuere Hæretici, qui tenerent verum fuisse Sacramentum pedum lotionem, factam in Cœna ultima; agnoscunt enim signum sensibile in illo: *Capit lavare pedes Discipulorum*; præceptum impositum in verbis: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; Gratiam denique in illo: *Si non laverero te, non habebis partem mecum*, a Christo Domino promissam. Nobis tamen satis sit dicere, pedum ablutionem, signum licet sensibile, verum non constituisse Sacramentum; cum signum debeat esse constans, in Religione perpetuum, gratiamque sanctificantem efficiens quod quidem in pedum ablutione omnino deest. Neque Christus per verba: *Si non laverero te &c.* significare voluit, Petrum fore a Paradiso excludendum sine ablutione, quasi per defectum gratiæ illius Sacramenti, sibi ad salutem necessariæ, sed quasi inobedientem Dei voluntati, sibi sufficienter manifestatæ: vel voluit, non habiturum cum Christo partem in sumptione Eucharistiæ.

54. 55. De vigente nunc pedum lotionem dicimus 1. hujusmodi consuetudinem præceptam fuisse a Concilio Toletano XVII. anno 694. habito (*cap. 3.*) a sanctæ communionis perceptione per duos menses inobedientes arcet. 2. a vetustissimis usque temporibus hanc Romanum Pontificem servasse consuetudinem, licet non uniformiter semper. Nam apud Cencium, (*In Ord. Romano.*) habetur Papa hac die duodecim Subdiaconis, Missa peracta; post prandium vero tredecim pauperibus pedes abluere consuevisse: apud Mabillonium (*In Ord. Roman. X. n. 12. & XIV. n. 91.*) vero, duodecim Diaconis, & in eorum defectu duodecim Capellanis: denique apud Piccolominum Episcopum Pientinum, vel Marcellum Archiepiscopum Corcyrensem, (*In Cæreman. l. 2. c. 26. & 49.*) tredecim pauperibus veste candida indutis, qui numerus pauperum, Sacerdotum quidem, etiam num retinetur.

56. 57. 58. Hujusmodi Romanæ Ecclesiæ consuetudo non in omnibus Ecclesiis fuit observata quoad pauperum numerum fuit tamen in Florentina, ubi, facta hac cæremonia, coram Regè Daniæ anno 1709. Rex

ad circumstantes conversus, interrogavit: *Eccur tredecim?* Id autem susceperunt viri docti explanandum. Sarnellus Vigiliensis Episcopus (*Tom. 1. Epist. 13.*) duplicem cum Ruperto Abbate in Romana Ecclesia lotionem observat; alteram in memoria Magdalænæ, Christi pedes in domo Pharisei lavantis, & ungentis; alteram in Christi memoriam Apostolorum pedes abluentis; sed in unam utramque coaluisse. Quapropter in duodecim lotionem, illa Christi ablutio recollitur; in decimi tertii ablutione, illa Magdalænæ lotio repræsentatur. Quidam denique opinantur per lotionem duodecim Subdiaconorum, Missa peracta, exprimi Apostolorum ablutionem; per illam vero tredecim pauperum post prandium, quos quotidie Pontifices mensa excipiunt, repræsentari memoriam ejus miraculi, quod coniigit S. Gregorio Magno; qui cum quotidie solitus esset, duodecim pauperibus prandio exceptis, ministrare, vidit quondam tertium decimum, Angelum nimirum, mensa eximproviso accumbere; ut exprimit pictura in Templo ejusdem Sancti. Hinc non immerito censent, brevitate gratia utramque ablutionem in unam redactam, subrogatis Sacerdotibus pauperibus pro Subdiaconis, & servato decimo tertio ob prædicti facti memoriam. Vide Meratum (*Part. 2. t. 1. Observa. ad Gavant. pag. 1069. & seq.*).

59. 60. 61. In Pontificali Romano jussu Pp. Clementis, Urbanique VIII. recognito describitur ordo in Missa ab Episcopis servandus, benedicendi Catechumenorum Oleum; quod Ecclesia adhibet in benedictione Fontis Baptifimalis, in Baptifimi collatione, in consecratione Ecclesiarum, & Altarium tum firmorum, tum mobilium, in Presbyterum ordinatione, in Regum denique, & Reginarum coronatione, & benedictione. Oleum Infirmorum ad Extremæ Unctionis Sacramentum administrandum, Campanasque benedicendas. Chrismatis denique ad Baptifinatis, & Confirmationis Sacramenta conficienda; ad consecrationem Episcopi, Patenæ, & Calicis, ad Campanas denique, una cum Infirmorum oleo, benedicendas. Prædictum autem Chrisma, (*Cap. unio. de Sacra Unctione.*) ex oleo, & balsamo confici debet; de balsamo ex Occidentali India adveſto fieri potest, quod quidem juxta Lupum, (*Differ. de VIII. Synod. General. t. 4. p. 344.*) ab omnibus fere Europæ Episcopis adhibetur, vis licet paulo debilioris, naturæ autem veri balsami. Hujuscemodi autem Chrismatis consecratio, ex Basilio, referenda venit ad traditionem Apostolicam; (*l. de Spir. San.*

c. 27.) potestas autem illud consecrandi residet solummodo penes Episcopos, ex Concilio Carthagenensi II. & III. (*Pag. 952. & p. 964. Canone, 26. col. Hardu.*) ex Jure, (*Can. si jubet 1. & can. Presbyter 2. 26. q. 2.*) & quamplurimis Ss. Pp. testimoniis, apud Lupum: (*loc. cit. p. 141.*) qui verba illa ex vita S. Silvestri: *Constituit Chrisma ab Episcopo confici*, in hunc modum interpretatur: *Vocem, constituit, usurpat pro constitutum utique Divino Jure declaravit.*

62. 63. 64. Circa Infirmorum Oleum, adhuc disputant Theologi, an ut ægrotis adhibeatur, debeat esse ab Episcopo benedictum necessitate solius præcepti, an etiam necessitate Sacramenti, ita, ut sine illa nihil opereatur? De hoc dicitur ad libr. VIII. De Synodo Dicecesan. cap. 1. n. 4. Disciplinam autem ut Olea benedicantur die Cæna Domini quidquid Gratianus (*Can. Litteris vestris de consecr. dist. 3.*) tribuat S. Fabiano sæculo III. nos verisimilius ponimus circa sæculum VII. nam & viri docti epistolam illam S. Fabiani spuriam suspicantur: & Concil. Toletanum 1. can. 20. sæculo V. habitum affirmat posse Episcopos *omni tempore* Chrisma conficere, & de consecratione hoc in die peragenda, extat mentio in Sacramentario S. Gregorii; in veteri Ordine Romano; in AA de Divinis Officiis, per id temporis, scribentibus; & in Jure etiam, (*In Decretal. Quoniam deservent. Excommunicat. in 6.*) ubi statuitur, Feria V. in Cæna Domini, etiam tempore Interdicti, conficiendum esse Chrisma, necessarium ad Baptifimum, Confirmationemque administrandam; quæ duo Sacramenta in eodem etiam tempore conferuntur. Adde ex D. Thoma, (*3. part. quest. 72. art. 12. ad. c. p. 230.*) quod Ecclesia congruenter hunc potius diem elegit, quam alium, ad has Sacramentorum materias benedicendas, quia hæc ad Eucharistiam, hæc in die institutam, quodammodo ordinantur. Insuper Pontificale Romanum adhibere jubet in hac actione, præter Ministros Episcopo inservientes, duodecim Presbyteros, septem Diaconos, aliosque Acolythos, omnes vestes candida indutos. Hinc male aliqui existimant apud Martene, (*loc. cit. pag. 240. num. 3.*) Presbyteros adesse tanquam Ministros, ac proinde posse ipsos Chrisma conficere; quod confirmabant ex quodam Ordine Romano, in quo ipsi appellantur *Cooperatores*, sed omnino dicendum, solum adesse ut testes, & inspectores, aut etiam ut Episcopi Ministros seu cooperatores quoad

solemni-

solemnitatem & ministerium, minime vero quo ad essentiam. Sic Bellotte, (*In Obs. ad rit. Eccles. Laudunen. p. 794. n. 7.*) id probans ex Conc. Florentino (*Decreto de Armen.*) dicente, materiam Confirmationis esse Chrismam, ex oleo, & balsamo per Episcopum consecrato. Addit Bellotte, nefas esse Episcopo sub gravi peccato Chrismam conficere sine cooperatoribus Presbyteris.

65. Aliter se gerit Orientalis Ecclesia. Episcopi enim in conficiendo Chrismate, ut alibi idem Benedictus XIV. (*Edict. 6. tom. 1.*) notavit cum Cardin. de Lugo. (*Lib. 1. Responson. Moral. dub. 8.*) præter oleum, & balsamum ad triginta quinque aromatum genera adhibent, una cum vino largius indito. Antiquitas autem, uti ex Innocentio IV. colligitur, (*Epist. Tuscul. in collec. Concil. Harduin. pag. 364.*) maxima cum pompa conficiebatur a Patriarcha, præsentibus Archiepiscopis, Episcopisque Suffraganeis. Qui quidem solemnitatis ritus, teste Lupo, (*loc. cit. pag. 1423.*) & aliis sæculo V. fuit introductus ab hæretico Patriarcha Antiocheno Petro Fullone. Quod attingit ad Infirmorum Oleum ex vetustissimo ritu a Clemente VIII. (*Eucholog. in Offic. Olei Sancti.*) permissio, solent Presbyteri illud veteri ritu benedicere, & conficere in ipsamet Sacramenti administratione.

66. Hujusmodi præterea benedictionis, consecrationisque ritum ostendit Pouget, (*In instr. Catholic. tom. 2. cap. 8. §. 5. pag. 895.*) ab Apostolica Traditione fuisse profectum; quidquid dicant Protestantes, quos provocat, ut Concilium ullum, Sanctumve Patrem proferant, hujusmodi ritum observatum fuisse, negantem, aut improbantem. Adjungit, a sæculo usque V. & VI. Ecclesiam & observasse illius inspirationis disciplinam, qua Episcopi, & Presbyteri ampullas Chrismatis, & Olei Catechumenorum ter inhalant; & insimul salutationes, *Ave Sanctum Chrismam, Ave Sanctum Oleum*, quibus Episcopi, & Presbyteri salutant Chrismam, & Oleum jam benedictum. Crismatis ampulla, ex Amalario, (*De Eccl. offic. lib. 1. c. 12.*) cum aliis, Christi Corpus in Maria utero formatum significat; aperta autem, & ab Episcopo, ejusque Ministris salutarata, designat Christi præsentiam corporalem iis exhibitam, Paulæ morte, quos Resurrectionis suæ testes esse voluit; oclusa denique, & a cæteris salutarata significat Christum post Ascensionem, invisibilem, quotidie a nobis adorari. Quidquid oblatrent Hæretici, utrumque ritum

Tom. III.

ab Idololatria immunem esse ostendunt Theologi; in inspiratione enim, Spiritus Sancti delapsus significatur, exemplo Christi, qui insufflavit in Apostolos, Joanne teste, ut ostenderet, (*c. 20. v. 22.*) super ipsos Spiritum Sanctum illabi; in salutatione vero nihil mirum, quod res etiam salutentur inanimes. Nam & S. Andreas, visa sui Martyrii Cruce, eam salutavit; & Bethlehem, Hieronymo, (*In Ep. de S. Paula morte.*) teste, S. Paulâ; & denique Templum, Cathedralique Constantinopolitanam Gregorius Nazianzenus, (*In Or. ad Clerum de Episc. abdicando.*) Neque nos Chrismam, & Oleum physice & absolute, ut loquitur Theologi, sed relative, & moraliter, tamquam Christi simul salutamur. Videatur cum aliis Bellarminus, (*Tom. 3. contr. lib. 2. cap. 13. de Sacram. Confirm.*) Concludendum cum Bellotte, (*Oper. cit. pag. 791. num. 4.*) oscula, salutationesque ampullis, uti rebus sacris, ratione sanctitatis deberi; quia eo ipso, quod ad Dei cultum deputantur, Divinum quiddam in se habere censentur, honorque iis exhibitus in Deum redundat.

67. 68. Hac etiam die commemorat Pontificale Romanum vetustissimam cæremoniam reconciliandi Pœnitentes, ab Ecclesia pulsos primo Quadragesimæ die; eapropter antiquitus etiam tres dicebantur Missæ; pro reconciliandis Pœnitentibus prima; secunda pro Sacris Oleis benedicendis; pro commemoratione denique Eucharisticæ institutionis, tertia. Nunc in unum contractis ternis illis cæremoniis, sua cuique unius Missæ pars assignata est. Videatur cum illis S. Innocentius. (*Ep. l. c. 1. pag. 998. Collect. concl. P. Hard.*) Morinus, (*de Sacram. Pœn. l. 7. c. 19.*) ostendit, sæculo VII. cœptas esse Feria IV. Cinerum publicas pœnitentias imponi, eosque Pœnitentes, juxta vetustissimum ritum Ecclesiarum Occidentalium, reconciliari solitos Feria V. in Cœna Domini, qui vel pœnitentiæ suæ expleverant tempus, vel ab Ecclesia gratiam impetraverant, ut illo etiam nondum expleto, reconciliarentur. De publicis Pœnitentiis, quæ justis de causis absolere, hic agere superfedemus. Aliqua de his habentur ad cap. 11. libri XI. De Synod. Diocæsana. Hic sufficiat tantum innuere Concilium Tridentinum, (*Sess. 24. cap. 8.*) ex Apostoli præcepto, (*Tim. c. 5. v. 20.*) publicam statuisse peccatoribus publicis pœnitentiam, sed tamen Episcopis permisisse, ut si videretur, in occultam, privatamque permutarent. Ex quo S. Carolus Borromæus (*in Med. Con. III.*)

Q

Q

& V.) iussit; Parochos proximo ante Quadragesimam mense ad Episcopum publicorum peccatorum nomina afferre, ut, juxta Ecclesie prescriptum, & expulsi essent in eunte Quadragesima ab Ecclesia, in ejusque gratiam hac die reciperentur; quod etiam a Benedicto XIII. dum Beneventanam Ecclesiam regeret, factitatum comperimus. Memoratas ceremonias, olim per semetipsos Romani exequabantur Pontifices, Mabillonio teste, (*Ordin. Rom. X. Sac. XI. Scripsit in Museo Ital. 10. 2.*) Cardinalique Cajetano Bonifacii VIII. Nepote. (*Ord. Ro. XIV.*) Modo Sacra Olea conficiuntur in Basilicis Vaticana, & Lateranensi; in hac a Cardinali Romae Vicario; in illa a Cardinali Archiepiscopo, vel si Episcopali non gaudet dignitate, ab aliquo Episcopo de ejus mandato. Et hoc, Mabillonio teste, (*in Com ad Ordin. Rom. cito 2. Musci Ital. pag. 71.*) ex Joannis XIX. privilegio.

69. Denique concludendum, Romanum Pontificem hac die publicare illam celeberrimam Bullam, in *Cæna Domini* appellatam. De ejus origine disputant inter se Doctores. Sotus (*in 4. Sent. dist. 22. q. 2. art. 3. concl. 5.*) existimat ætate D. Thomæ non existisse, cum de illa non recorderetur S. Doctor, sed initium habuisse sub Martino V. anno 1420. quando in Concilio Constantiensi damnati inere Bohemorum errores. Sed longe antiquiorem esse oportet, cum de Bulla, veluti ætate sua antiquiore, recorderetur Cardinalis Cajetanus, (*in ord. Ro. XIV. §. 92.*) Nepos Bonifacii VIII. qui Pontifex factus creatus anno 1294. Quamobrem fateri oportet, & initium habuisse ante annum 1294. & illius originem obscuram plane esse. Postremo dicendum, quod, teste Joanne Andrea, (*in cap. Quod olim, de Judæis, &c. Ut officium, de Hæreticis in 6.*) antiquitus fieri solebat trina Bullæ publicatio singulis annis; nimirum feria V. in Cæna Domini, in Festo Ascensionis, & Dedicacionis Basilicæ SS. Petri, & Pauli: nunc vero Cardinali, & Joanne Anania, (*in cap. Quod olim, de Judæis.*) testibus, semel publicari, videlicet feri V. in Cæna Domini, unde de ei nomen inditum.

C A P U T VII.

De Feria VI. in Parasceve.

1. 2. **F**eria VI. in Parasceve appellata quia Hebræi, ut insequentem Sabbatho ab omni cura essent expediti, edulia & quicquid sibi opus erat, hac die parabant, ab Apostolicis usque temporibus ad Christi Mortem, Passionemque commemorandam fuit de-

stinata. Eapropter vestigiis Evangelistarum inhaerentes, brevitate consulentes, de eadem Christi Morte & Passione differemus divisim, & per partes. Et 1. de Cedroni trajectu, Sanguinisque in Horto sudore, quæ prima est Passionis pars. Hymno, de quo supra, dicto, trajecit Jesus cum Discipulis suis torrentem Cedron, Olivetumque accedens, illis prædixit omnia ad Passionem, Resurrectionemque suam spectantia. Dein in Hortum Gethsemani ingressus, Discipulos ibi iussit remanere, solam Petrum, Jacobum, & Joannem secum adducens; ab illis jam timens, ac pavens, ad jactum lapidis recessit; in genua provelutus Patrem oravit, ut Calicem, si ei liberet, a se amoveret; sic tamen, ut non sua, sed Patris fieret voluntas. Postea humo erectus, ad Discipulos rediens, illos sermo captos invenit, reprehenditque; & ad vigilantiam orationemque eos cohortatus, iterum, ut oraret eadem plane obsecratione, ab eis secessit. Hoc peracto, Discipulisque iterum commonitis, ad orationis locum regressus, tertio, ac in eundem plane modum Patrem oravit; adfuitque Angelus de Cælo, qui pavore jacentem erexit. Delapsus denique in quandam veluti agoniam, longiusque, & vehementius orationem protrahens, sanguineo cæpit sudore perfundi, cujus veluti guttæ in terram decurrerent. Denique ad Discipulos rediens, illis dixit, ut dormirent, ac quiescerent, sibi jam horam adesse, eumque prope esse, qui se proderet. Dormicionis Apostolorum locus, æque ac Christi orationis, Quaresimo teste (*Elucid. Ter. Sanct. l. 4. c. 7. & 9. T. 2.*) etiamnum demonstratur; Fidelesque illuc devotione ducti se conferunt, & utrumque ea, qua par est devotione, & pietate venerantur.

3. 4. Nunc de tedio, & mœrore, quibus Jesus, ex Matthæo, (*c. 26. v. 38.*) Marco, (*c. 14. v. 33. & 34.*) & Luca, (*c. 22. v. 43.*) fuit commotus, vere, & re ipsa, ut luculenter ostendit D. Augustinus; (*In Psal. 93. pag. 1014.*) aliter nec vere & re ipse credendus esset, dormisse, & manducasse, licet Scriptura testetur, eum dormisse, ac manducasse. Consentit D. Thomas, (*3. p. 4. 15. a. 4.*) Christo tribuens eisdem, quos experimus, motus, & affectiones, sed diverso modo; in nobis enim cum honesto, & licito pugnant, & hac pugna Christus caruit; judicium, & rationem pervertit, in Christo vero rationi obtemperant; ultra fines in nobis appetitus sensitivi se se conferunt, & vi secum trahunt rationem; in Christo autem humana natura motus ita intra appetitus

sensitivi fines consistebant, ut rationi minime obstarent. Quapropter concludit, vero mœrore fuisse oppressum; quia sicut delectatio Divinæ contemplationis ita per virtutem Divinam in mente Christi continebatur, ut dolorem acerbissimum ex cruciatibus sentire non impediret, ita nec mœrorem, tristitiam &c. in appetitu impediit, cum nihil ex delectatione illa ad sensitivas potentias descendebat. Huic explicationi adhæret sensus communis SS. PP. quorum dicta profert Thomassinus, (*Theolo. Dogmat. T. 2. l. 4. c. 11. n. 18.*) ostendens, illa minime inter se pugnare; nam licet aliqui Christo humanas affectiones negent, alii tribuant; hoc ideo est; quia secundi de Christo, ut homine, loquuntur; primi de Christo, ut Deo. Si vero de Christo, ut Deo. Si vero de Christo, etiam ut homine, loquentes, humanas illi affectiones tribuunt, aut ab eo abfuisse autumant; secundo modo de animi motibus loquuntur, qui rationem perturbant; primo de iis affectionibus, quæ rationis parent imperio.

5. 6. Jam de Oratione Christi in Horto, de qua agunt Matthæus, (*c. 26. v. 39. & seq.*) Lucas, (*c. 14. v. 35. & seq.*) & Marcus, (*c. 22. v. 41. & seq.*) afferens Christam invocasse Patrem voce *Abba*; hæc autem apud Syros Patrem significat. Eam retinere Hebræi, qui Græca utebantur lingua: eaque filii parentes salutabant; minime autem servidomines, ut observat Lamy. (*Harmon. Evang. l. 5. c. 26. num. 43.*) Omnes vocem *Calix* commemorant; qui licet in Saeris Pagineis, *Isaia*, (*c. 51. v. 17.*) præsertim, Libroque Psalmorum, (*Pf. 10. v. 7. & 74. v. 9.*) ponatur pro cruciatu, & pœna; attamen in Christi prece referendus est ad eam consuetudinem, quæ in Hebræorum conviviiis, ex Religionis præscripto fieri solitis, in usu erat. Præbebatur namque poculum vini plenum omnibus conviviiis, qui paululum vini in orbem degustabant, iis exceptis, quibus bibere vel non licebat, vel non libebat: hi enim ex Calmet, (*In c. 26. Matth. v. 39.*) se excusabant dicentes: *Transseat a me Calix*. Illud præterea maxime observandum, binas in Christo fuisse voluntates; & intellectus, Divinum, & humanum, naturæ Divinæ, & humanæ correspondentes; itaut neque naturæ humanæ, neque Divinæ aliquid deficiat, quod ad uniuscujusque complementum perfectissimum pertineat. Ita definitum fuit in Synodo vi. Oecumenica sub Agathone Pontifice. contra Monethelitarum errores. Rursus sciendum, in Christi humana voluntate, sicut & in nostra, duplicem dari appetitum, in quem hu-

mana dividitur voluntas, sensitivus nimirum (voluntas minus proprie appellatus) cæteris etiam animantibus communis; & rationalis, qui vere, & proprie voluntas appellatur. Uterque hic appetitus, ut supra notavimus, amice conveniebat in Christi humana voluntate: ita enim sensitive moveri permittebatur, ut naturæ suæ fines non excederet, sub dominatu esset rationis, adversum quam, nullam perturbationem excitaret. In hoc conveniant Theologi omnes cum D. Thoma, (*3. p. ar. quæst. 18. art. 1. usque in finem.*) ad Catholicamque Fidem ita pertinet, ut nefas sit ab hoc dissentire. Et sane ipsamet Christi oratione confirmatur. Ait enim: *Transseat a me Calix iste &c.* quibus verbis humanam voluntatem non rationalem, sed sensitivam exeruit, quæ a Morte, & Passione, tamquam formidolosa, & naturæ adversa, refugiebat. Cum autem dixit: *Sed sicut tu vis*; voluntatem Divinam inquit, quam communem habebat cum Patre. In illis autem verbis: *Non mea, sed tua voluntas fiat*; rationalis voluntas ostenditur, prorsus cum Divina consentiens; qua, etiam monemur, de recta ratione Deum obsecrandi, ut a nobis mortem prohibeat, & a gravissimis doloribus liberet.

7. 8. Inquitur modo: An omnis Christi oratio a Patre fuerit exaudita? Ad cujus decisionem sciendum, D. Thomam, (*3. p. q. 21. art. 4.*) affirmare nihil aliud esse orationem, quam voluntatem humanam ad Dei voluntatem relatum; & tunc solum exaudiri orationem dici, cum Dei voluntas adimpletur. Addit, hominis voluntatem proprie eam esse, quæ recta ratione, & maturo judicio ducitur: nec vere dici posse, nos quidpiam velle absolute, quod tantum sensitiva voluntate velimus: tunc enim volumus non absolute, sed *secundum quid*. Duplex igitur in hac Christi oratione considerari potest sensus & origo: vel enim orta fuit a voluntate sensitiva; vel a rationali. Si a sensitiva, significante, ex aliquorum SS. PP. sententia, desiderium de semovendo Passionis Calice, tunc non fuit exaudita; cum vera, & propria non fuerit oratio, sed naturalis & sensitivi desiderii significatio, rationalisque voluntas petitioni obstiterit. Videatur Sylvius: (*In 3. p. D. Thom. T. 4. qu. 21. ar. 4.*) Si autem orta fuit a voluntate rationali flagitanti, juxta alios Patres, ut Martyres suam imitari essent patientiam, vel ne ipse mortis timore turbaretur, tunc in utroque hoc sensu omnis Christi oratio fuit exaudita.

9. Denique de Angeli apparitione, fido-
 Q 2 reque:

reque sanguineo. De hoc latius agit alibi Benediēt. XIV. (*In l. 4. Canoniz. Sancti. p. I. cap. 26.*) In ejus Synosi ibi invenies, explodi eos, qui sudorem hunc verum fuisse negant, & D. Lucam hyperbolice locutum affirmant. Discussum etiam reperies, an sudor ille fuerit naturalis, an miraculosus. Illam Lucæ Evangelii partem omnino esse recipiendam, quam male olim pii aliquot Catholicici ab eo subtraxerunt, ob impietatem scilicet Arianorum, ex ea negantiam Christi Divinitatem: quod Bineus (*T. 2. de Mor. Chr. l. 2. c. 2. nu. 34.*) evenisse ait SS. Hilarii, Hieronymique astate. Quo ad Angelum e Cælo delapsum dicimus, animum Christo addidisse: sicut enim doloris fuit capax, ita & solatii; ejusque animus commovebatur affectibus iisdem, quibus vir alius pius in ejusmodi discrimine positus. Postremo nec fidem detrahimus, nec examinare vacat illud, quod novimus existimasse aliquot pios viros apud Drexelium, (*Part. 2. de Christo moriente. c. 2. §. 4.*) sanguinis scilicet sudorem ad centum quinquaginta octo guttas evalisse, quarum pars humum, ex Marcantio, (*In Hort. Pastor. tract. 3. sect. 16. prop. 3.*) irrigarit, unde flores eruperint, quibus scriptum erat: *O mors, quam amara est memoria tua!* pars vero linteis abstersa; quod quidem linteum, Gretsero teste, (*De Cruc. T. 1. l. 1. cap. 97.*) illis pretiosis guttis ita imbutum magna veneratione custoditur in Monte Sancto Bavaria.

10. Sequitur examinanda secunda Passionis pars complectens Militum in Hortum adventum, usque ad Petri lacrymas, cum tertio, ut jam diximus, Jesus orasset, Discipulosque dormientes invenisset; ecce, Juda præeunte, Cohors illi adfuit militum cum gladiis, & sultibus. Tunc Judas osculatus est Jesum, hoc enim signum eis dederat, ut Jesum ostenderet. Qui Judæ; Amice, quid ita huc venisti? Itane vero per osculum Filium hominis prodis? Dein conversus ad milites Jesus, Cohortem interrogavit, quem quærerent, responsumque accepit, Jesum quærere Nazarenum; quibus ipse ait: *Ego sum*, & continuo omnes in terram ceciderunt. Petrus educto gladio, Malchum ex familia Principis Sacerdotum percussit, eique auriculam amputavit. At Jesus cessare eos jussit, & tacta aere, Malchum sanavit. Cumque omnibus exprobasset, quod tamquam ad latronem venissent comprehendere eum, cum toties antea docentem in Templo comprehendere potuissent, illi tandem manus in Christum iniecerunt, &

vincum ad Annam adduxerunt. Tum vero Discipuli omnes fuga dilapsi Jesum deseruerunt, & adolescens quidam, qui sequebatur eum amictus Sindone, ab iis comprehensus Sindone, qua tenebatur, rejecta, ab eorum manibus, elapsus est. Annas autem vincum duci jussit ad Caipham, ubi omni contumeliarum genere fuit irrisus; oculisque etiam objecto velo, colaphis cæsus, ut sese Prophetam esse ostenderet, percussorem divinando. In eademmet domo Petrus ter Magistrum suum abnegavit; at cum oculos ejus in se coniectos animadvertisset, inde egressus amare flevit.

11. 12. 13. Imprimis certum est ex Scriptura, Judam unam e duodecim Apostolis fuisse, dictum Iscariotem, ad patriam, ex Chrysolomo, (*Serm. de prod. Jud. to. 4. pag. 456.*) denotandam. E Tribu Ephraim eum fuisse judicat D. Hieronymus, (*in c. 28. Isai. & in Matt. t. 10.*) quem sequitur Baronius, (*ad ann. Chr. 32. n. 9.*) existimans *Iscariotes* vocem e duabus coaluisse, & ex voce *Is* hominem denotante, & *Cariote* oppidum in Tribu Juda, cujus meminit Josue. (*c. 15. v. 25.*) Utcumque tamen sit, certum est, Judam nec Germanum, Gallumve fuisse, ut aliqui somniant; nec etiam, ex Cariote Piceni oppidulo, uti existimant Ubertinus, & Rubius. Quod ad Malchum attinet, certum est ex Scriptura, (*Matth. c. 26. v. 51. Mar. c. 14. v. 47. Luc. c. 22. v. 10.*) illum fuisse Principis Sacerdotum Servum, *Malchum* a Joanne, (*c. 18. v. 10.*) appellatum, cui auricula in Horto fuit amputata. Ea vero restituta, existimant aliqui apud A Lapide, (*in c. 26. Matth. v. 51. §. Deniq. Chr.*) illum Christi Fidem fuisse amplexum; alii eum fuisse, qui colaphum Jesu impexit. At hoc, ut advertit Calmet, (*in Dict. Sacr. Scr. verb. Malchus.*) creditu difficilius, nam Joannes dicens, fuisse unum ex Annæ ministris. Summo Sacerdoti assistentibus, Malchum fuisse, silet, cum tamen eundem in Horto nominasset. Jam de adolescente, quem supra diximus, relicta Sindone, aufugisse. Quidquid vero aliqui dicant fuisse Jacobum Fratrem Domini, alii Joannem Evangelistam, alii fuisse unum aliquem ex domo, in qua Christus cœnavit, qui ad Hortum usque Christum sit secutus, vel tandem fuisse aliquem de vicina Vila, qui jam lecto cubans armorum strepitu fuerit excitatus, & sola tectus Sindone domo egressus, res profecto divinatoria est, de qua nihil defini potest, ut tandem fatentur Bineus, (*de mor. Chr. to. 2. l. 2. c.*

4. n. 14.) & Lamy. (*Harm. Ev. l. 5. c. 27. pag. 545.*)

14. Dubium nunc incidit de Pontificatu Annæ, & Caiphæ. Ambos Pontificatus dignitate fuisse insignitos cum Baptista cœpit prædicare, tradit Lucas. (*c. 3. v. 2.*) At Joannes, (*c. 18. v. 13. & 24.*) diferte tradit illius anni Pontificem fuisse Caipham: infimulque Jesum primum in domum Annæ, qui Socer erat Caiphæ, fuisse adductum, quem cæteri Evangelistæ in domum Principis Sacerdotum introducunt. Cum tamen exploratum sit penes Hebræos unum tantummodo fuisse Summum Sacerdotem, qui si quo impedimento a Sacris faciendis prohiberetur, ea provincia ad præfinitum tempus alteri cuiquam demandabatur, uti colligitur ex Josepho, (*Antiq. l. 27. c. 8.*) ideo dicendum 1. cum Baronio, (*ad ann. Chr. 31. n. 8.*) Principem Sacerdotum appellari illum, qui primus erat in Synedrio; licet a ter esset ab eo longe præstanti præditus dignitate. Ex quo fit, adjungit, (*ad ann. Chr. 34. n. 70.*) Christum primo adductum fuisse ad Annam Synedrio Præfectum, qui cum potestatem quidem habere cognoscendi de Prophetæ doctrina, non tamen judicandi, ferendique sententiam sine Concilio, illum ideo misit ad Caipham, cujus erat eos convocare, quibus consultis, judicium suum ferret, 2. Cum Augustino, (*Tr. 113. in Joann.*) Christum primum ad Annam fuisse adductum; vel quia Caiphæ id consensit; vel quia adduci non poterat ad Caipham, quin ante domum Annæ transiret; qui cum Socer esset Caiphæ, jure poterat a Genero ejusmodi honorem exigere. 3. Cum Chrysoftomo, (*Hom. 38. in Joann.*) & aliis, Christum primo ad Annam fuisse ductum, veluti in speciem triumphi.

15. Denique, exploratum adhuc non est, quis ille fuerit Discipulus notus Pontifici, qui, Joanne (*c. 18. v. 15. & 16.*) teste, Petrum in domum Caiphæ introduxit. D. enim Hieronymus, (*Ep. 95. alias 26.*) Joannem putat fuisse Evangelistam propter generis claritatem. Sed dissentit Baronius; (*Ad ann. Chr. 34. n. 70.*) cum Joannes, ex Matthæo, (*c. 4. v. 21. 22.*) factus fuerit Apostolus ex piscatore; consentit autem, Petrum ab eo fuisse introductum. D. Thomas. (*In c. 18. Joann. Lect. 3.*) existimat, Pontificis notitiam originem duxisse ab affinitate, cognationeve Patris, aut cujusvis alius cum familia Pontificis. Lyranus (*In c. 18. Joann.*) verisimile judicat provenisse Pontificis notitiam ex eo fortè, quia

Joannes a Patre missus, pluries ad domum Pontificis pisces portaverat: vel quia aliquis de cognatione ejus ibi serviebat; vel denique, quia descenderat de David, & Sacerdotes habebant istas genealogias; minime vero, ut aliqui contendunt, ex Legis peritia. Quamobrem concludendum cum Augustino, (*Tract. 113. in Joann. p. 786.*) & aliis, Petrum domum Caiphæ ab alio introductum fuisse Discipulo, Pontifici noto, non esse autem temerè nominandum, quia ab Evangelistis tacetur.

16. 17. Ulque modo de Personis, nunc de rebus gestis. Et 1. de Judæ prodicione, quam alibi jam diximus, Christum prædixisse. Ad idem modo, Judam hoc scelus patrasse propter nimiam avaritiam, in unctioe Magdalene fati indicatam, quam palliare voluit misericordia in pauperes. Hic communis est sensus SS. PP. cum Augustino, (*In P. 63.*) & Leone Magno, (*Serm. 9. de Passion. c. 4. pag. 131.*) apud Suarez; (*In 3. part. to. 2. quest. 46. Sect. 1. pag. 336.*) cui verisimile videtur (quod etiam placuit Cornelio Jansenio (*In Concord. Evang. c. 128. p. 877.*) pluribus a Juda criminibus fuisse Christum infimulatum, ut de tanti sceleris atrocitate nonnihil minueretur; naturale siquidem est hominibus sub aliquo colore palliare propria iniquitatis factum. Unde rejiciendi illi, qui existimarunt, Judam in hac prodicione Magistri sui non intentasse mortem, sed elapsurum e Judæorum manibus expectasse. Nam vel credebat, Jesum merum esse hominem; & tunc qui speraret e turbarum manibus evasurum? vel verum Deum, & hominem credebat; & tunc, licet aufugere potuisset, jam a Magistro suo edocens erat, uti legitur apud Matthæum, (*c. 20. v. 18. & 19.*) Principibus Sacerdotum, & Scribis fore tradendum, morte condemnandum, ac post biduum crucifigendum.

18. 2. De his, que in Christi vinctioe acciderunt. Dicto a Jesu: *Ego sum*, omnis Cohors, Joanne teste, (*c. 18. v. 6.*) in terram concidit retrorsum. Quod factum, ait D. Thomas, (*3. part. quest. 44. art. 3. ad 1.*) Hieronymum, & Augustinum (*Tract. 112. in Joann.*) secutus, a majestate Christi, ac dignitate fuisse ortum. Cæleste namque, nescio quid, & Divinum ex oculis ejus emicabat; & ex illius ore majestas eminebat, ut Redemptor non solum animas justificando interius immutaret, ut passim legitur in Sacris Litteris, præsertim apud Matthæum, (*c. 9. v. 9. & c. 21. v. 12.*) & Lucam; (*c. 4. v. 42. & seqq.*) sed etiam exterius alliciendo, vel deterrendo, stupefaciendove, uti evenit in presenti.

Insuper adjungit Augustinus, verba illa Joannis: *Si ergo me queritis, snite hos abire*, (c. 18. v. 8. jubentis fuisse, & imperantis; nolebat enim interfici Apostolos, qui etsi tandem morituri erant, tamen ad eum Fidei gradum nondum pervenerant, quo eum pervenisse oportet, qui æternam salutem consequatur. Consentit Calmetus, (*In c. 18. Joann. vers. 8.*) adjungens ex communi sententia cum Chryostomo, (*Homil. 82. in Joan. pag. 490.*) Christum, apud Joannem, (c. 18. v. 9.) dicentem: *Quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quemquam*, de morte animæ, & corporis fuisse locutum; licet aliqui contendat intelligi debere de sola morte animæ, & de morte corporis alii. Maldonatus, (*In cap. Joann. num. 6.*) tres hic proponit quæstionculas: 1. Cur Jesus suam voluerit potentiam ostendere, nec statim pati, ut manus sibi milites injicerent? Et respondet cum Ruperto, id causæ fuisse, ut satellites, viso miraculo, nullam culpæ suæ haberent excusationem. 2. Quamobrem Jesus, cui infinitæ suppeterent rationes declarandæ suæ potentiæ, eam voluerit potius ostendere, dicendo: *Ego sum?* Et respondet, ut Judæis ostenderet, quod etsi responsione illa potius excitandi fuissent ad manus in illum injiciendas, tamen eadem responsione non solum non posse eos viribus suis, sitis ut vellet, resistere, sed ne sustinere quidem nomen suum. 3. Quando, & quomodo milites, qui humi procubuerant, in pedes se receperint, antequam Christus eos secundo interrogaret, *Quem queritis?* Et ait, credendum eadem Christi virtute, qua ceciderant surrexisse, postea quam tandem jacuissent, quamdiu opus erat, ut ejus, quam comprehendere volebant, potentiam experiiri possent.

19. 20. 3. De auricula Malcho restituta; de quo miraculo videndus alibi idem Benedictus XIV. & Synopsis. (*Lib. 4. de Canon. part. 1. c. 16. n. 33.*) 4. De fuga Discipulorum, relata a Mathæo, (c. 26. v. 56.) prædictaque in Libro Psalmorum, (*Ps. 21. v. 12. & 68. v. 21.*) Isaïæ, (c. 68. v. 5.) & Zachariæ; (c. 13. v. 7.) cujus postremi oraculo usus fuit Christus, apud Matthæum, (c. 26. v. 31.) in Olivarum montem prociiscens. Chryostomus existimat, Joannem cum cæteris Apostolis non aufugisse; ea propter contendit aliquam exceptionem subaudiendam fore in verbis: *Omnes relicto eo, fugerunt*; at cum vox omnes disertissime omnes Discipulos complectatur, videtur cum Maldonato, (*in c. 26. Matth. n. 56.*) & aliis, ad veritatem esse propius, omnes qui-

dem profugisse, Joannem vero, & Petrum revertisse; ut apparet ex Joanne: *Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, & alius Discipulus* (c. 18. v. 15.)

21. 5. De terribis illis, nefariisque Christi contumeliis, ab Isaja, (c. 50. v. 6.) prædictis. Inter eas omnes illæ semper habitæ fuere gravissimæ, alapa nimirum, & sputum in faciem injecta; uti videre est in Sacris litteris, præsertim in Numeris, (c. 12. v. 14.) & Deuteronomio. (c. 25. v. 9.) De alapis Christo impactis ita cecinit Sedulius: *His alapis nobis libertas maxima plaust*, ad eas, quibus servi libertate donabantur, teste Isidoro, (*Lib. 9. Orig. c. 4.*) respiciens. Quærit hic Augustinus, cur non eo Christus usus fuit consilio, cujus ipse apud Matthæum, (c. 5. v. 39.) auctor fuit. Et respondet consilium non intelligendum ad litteram. Verus enim sensus est; tranquillo ut animo injuriam perferas; paratque sis, ut eam patiaris potius, quam ulciscaris. Quod totum a Jesu fuit completum, ut ostendit Suarius, (*Loc. cit. disp. 35.*) qui pacate nihil aliud respondit, quam quod opus esse existimavit propulsandæ calumniæ, quæ adversus se, suamque innocentiam, & doctrinam intendebatur.

22. Nunc examinandum, in cujus domo acciderint irrisiones. In domo Annæ contigisse quorundam est opinio congruens Evangelio Joannis, qui postquam illam injuriarum feriem commemoravit, statim adjunxit: *Et misit eum Annæ ligaturum ad Caiphæ Pontificem*. (c. 18. v. 14.) Suffragatur Calmet, (*In c. 18. Joann. v. 19.*) licet fateatur communem esse sententiam affirmantium id in domo Caiphæ contigisse; ait enim Joannes, (c. 18. v. 14.) Jesum interrogatum fuisse de doctrina, & Discipulis a Pontifice, qui illius anni erat Caiphæ. Quod attinet ad verbum *misit*; dicendum cum Suario, (*Disp. cit. 35. p. 341.*) & aliis, vim præteriti plusquam perfecti *misserat* habere; quo Hebræi, teste Duhamel, (*in c. 18. Joann. n. 24.*) perpetuo carent. Insuper legendus P. Ayala; (*in Op. Pict. Chr. 1. 3. c. 4. n. 7.*) apud quem invenitur ex quibusdam piis meditationibus, Christum, accepta alapa, in terram corruisse; percussoris manum ferrea manica, chirothecave fuisse armatam; vi alapæ tantum sanguinis Christi ex ore effluxisse, ut omne maduerit pavementum; in Divinaque facie digitorum vestigia extitisse impressa. Apud Quaresmium, (*Elucid. Ferr. San. to. 2. l. 4. c. 3. 4.*) etiam legitur, alapæ percussorem etiamnum sceleris sui penas inere in domo.

domo Pilati, seu Gubernatoris Hierosolymæ; ibi enim vilus fuit a Petro Brantio Penalis nobili Vicentino, huc illuc perpetuo inambulans, atque inclamans: *Sic respondes Pontifici?* Utrumque tamen sit de veritate piarum istiusmodi meditationum; illud quidem notandum, Scriptores Sacros minime inter se discrepare, licet non videantur convenire in tempore, quo hæ contumeliæ Christo fuere inflictæ. Lucas enim eas ponit ante convocationem Concilii, de quo infra; (c. 22.) Matthæus, (c. 27.) vero, & Marcus, (c. 14.) post latam sententiam; existimamus namque cum Baronio, (ad ann. Chr. 34. n. 72. pag. 140. edit. Lucens. 1738.) easdem contumelias semel, & iterum fuisse illatas, ante, & post Concilium convocatum.

23. 24. 6. De lapsu Petri: circa quem discutiendum venit. 1. An, & quodnam peccatum Petrus, negando Christum, commiserit? 2. Quoties in illud lapsus sit? 3. A quonam, & quando impulsus? Ad 1. dicendum, cum Augustino, (Tract. 113. in Joann. p. 786. p. 2.) & Thomæ, (Quodlibet 9. art. 14.) Petrum lethaliter peccasse, tum Fidem negando, in loco, ubi periclitabatur, & ejus confessio requirebatur ex præcepto; tum confessionis defectui, atque mendacio addendo perjurium, & blasphemiam; quidquid dicat D. Hilarius, (In cap. 26. Matt. num. 4. pag. 805.) ex pio erga Apostolum affectu, illum vere jam hominem sine piaculo negasse, quem Dei Filium omnium primum agnovisset. Hoc enim frivolum videtur Hieronymo, (Ad cap. 16. Matt. tom. 6. p. 225.) & Augustino, (Tract. 36. in Jo.) qui acriter castigat excusantes Petrum a peccato. Ad 2. dicendum, Petrum ter peccasse, correspondente, ex Augustino, (Ad Consentium, cap. 6. n. 13. p. 455.) triplici hoc peccato trinæ Petri, apud Evangelistas, negationi. De peccati autem multiplicitate, aut gravitate consulendi Theologi præsertim Suarez. (Tom. 2. part. 3. disp. 35. sect. 1.) Nobis sufficit dicere, Petrum non amisisse Fidem, licet amiserit Charitatem; quia non intrinsecus discessit, sed tantummodo extrinsecus negavit; immo nec, ut ex Evangelistis apparet, (Matth. c. 26. v. 69. & seq. Marc. 14. v. 68. & seq. Luc. c. 22. v. 57. & seq. Joann. c. 18. v. 25. & seq.) extrinsecus etiam negavit, Christum Deum esse, aut Messiam; sed eum se novisse, ex illiusque fuisse sectatoribus.

25. 26. Ad 3. dicendum, Evangelistas non eodem modo loqui de Impulsoribus, nec

etiam de tempore: nam Matthæus, (c. 26. v. 69. & seq.) & Marcus, (c. 14. v. 66. & seq.) scribunt, Petrum negasse primo interrogatum ab ancilla, secundo ab alia ancilla, tertio a præsentibus; Lucas, (c. 22. v. 56. & seq.) a muliere primo, secundo ab homine, tertio ab alio homine; Joannes, (c. 18. v. 25. & seq.) denique primo ab ancilla, secundo a pluribus, tertio a servo Pontificis, Malchi cognato. At conciliandi sunt ex D. Thoma, (Lect. 4. in c. 18. Joann.) & dicendum, Petrum negasse primo interrogatum ab ancilla, dein egressum, & redeuntem negasse secundo, interrogatum non solum ab alia ancilla, sed etiam ab iis, cum quibus ancilla fuit collocata: tertio denique negasse interrogatum ab aliis; tamen cognatus Malchi testatur Petrum esse e sectatoribus Christi. Quod ad tempus attinet sciendum etiam, Matthæum, (c. 26. v. 34.) & Lucam, (cap. 22. v. 34.) affirmasse, Christum Petro trinam negationem prædixisse ante Galli cantum; & ita evenisse scribunt. Marcus vero ait, (cap. 14. v. 30. & seq.) prædictam fuisse negationem ante duplicem Galli cantum; & ita accidisse testatur, nimirum ante primum Galli cantum primam, secundam vero, & tertiam ante secundum Galli cantum; & tunc Petrum de Christi prædictione flevisse. At conciliandi etiam veniunt ex Tillemontio. (Nar. 4. ad vit. S. Petri) Exploratum enim est, Gallum bis cantare solitum esse; primo media nocte; duabus, tribusve horis ante Solis ortum, secundo; & hic vulgo etiam *cantus Galli*, appellatur. Ea propter dicendum, Matthæum, & Lucam tantummodo fuisse locutos de secundo Galli cantu, Gallicinio appellato; Marcum vero accuratius de utroque Galli cantu, ideoque mediæ noctis cantum post primam negationem posuisse; post secundam vero, & tertiam Gallicinium, Aurora appellente.

27. Denique de fletu Petri amarissimo. Eum provenisse ait Lucas, (cap. 22. v. 61.) ex Domini aspectu. Et hoc non satis intelligitur, cum tunc temporis Christus superiori esset in conclavi, Petrus vero, Marco teste, (c. 14. v. 66.) in atrio deorsum. Ea propter D. Leo, (Serm. 9. de Pa'c. c. 4. & Augustinus, (Lib. 2. de Gratia Chr. cap. 45. pag. 250.) arbitrantur, Christum oculis corporeis nec respexisse Petrum, nec illum respicere potuisse, sed tantummodo interioris gratiæ adjutorio eum ad penitentiam adduxisse; & in hoc sensu intelligit D. Augustinus, (Lib. 3. de Consens. Ev. c. 6. n. 26.) textum Lucæ; adjungens, nos

nos quotidie Deum precari: *Domine respice me; respice, & exaudi me*, quæ precandi forma ad interiorem gratiam impetrandam pertinet. Sed pace tantorum DD. non videtur recedendum a litterali sensu; maxime cum ex Sulpicio Apolinari, (*Apud A. Gellium Noct. Atticarum l. 16. c. 5.*) habeamus ante primorum virorum ædes atrium penes veteres fuisse; & in hoc conveniunt etiam Interpretes, existimantes ante januam ædium Caiphæ hujusmodi fuisse locum, in eoque Petrum constituisse; & tunc licet Christus in Superiore esset parte, respicere bene poterat Petrum in inferiore existentem, cum inter unam, & alteram partem pauci tantummodo gradus interponerentur. Vel dicendum, quod nonnulli advertunt, noctu dimissum fuisse Concilium, iterum, die illucescente, convocandum, per idque temporis Christum traditum fuisse custodiendum familiæ Pontificis, vesanæque plebi; & tunc potuit verosimiliter Christus corporalibus oculis Petrum respicere, qui in atrio ad prunas sedebat.

28. Jam de tertia Passionis parte, quæ quinque complectitur capita. 1. Eo pertinet, quod Principes Sacerdotum falsos subornarant testes, ut Christus ultimo supplicio necaretur; & Sacerdos vestimenta scidit sua, cum interrogatus ab eo Christus, se Filium Dei esse respondit. 2. Est de pœnitentia Judæ, qui projectis sin Templum denariis, inde egressus, laqueo se suspendit. 3. Est de iis, quæ Christo contigerunt, cum ad Pilatum adductus est. 4. Est de illo ita, ac reditu a Pilato ad Herodem, & ab Herode ad Pilatum: 5. Pilati continet gesta a Christi reditu ab Herode, usque ad flagellationem, & latam mortis sententiam.

29. Quo ad 1. narrat Matthæus, (*c. 26. v. 3. & seqq.*) & Marcus, (*l. 1. 14. v. 1. & seqq.*) a Principibus Sacerdotum, & universo Concilio conquisitos fuisse testes, ut Jesum morte damnarent; nec idoneos inveniri potuisse; cum nullius roboris esset, quæ producebant, etiamsi aliqui testarentur, Christum affirmasse, posse Templum Dei destruere, illudque post triduum de novo reedificare. Itaque Summus Sacerdos de objectis criminibus eum interrogavit, tacentemque adjuravit *per Deum vivum*, ut diceret, *Filius ne Dei esset?* plane affirmavit Jesus, addens, videndum se a dextris Dei sedentem in nubibus Cœli. Ad hæc Summus Sacerdos scidit vestimentans sua clamita: *Blasphemavit. Quid adhuc agemus testibus?* Cæterorum sententiam rogavit, qui omnes mortis

reum pronuntiarunt. Hæc omnia noctu contingere. Cum tamen essent irrita, tum quia Concilium generale non esset, tum quod contra legem noctu jus dicere prohibentem, ideo illucescente die, iterum convocatum fuit concilium, de quo Lucas, (*c. 22. v. 66.*) & coram illo Jesus apparuit, qui iterum interrogatus, eodemque proflus modo respondens, Reus esse mortis de novo fuit pronuntiat.

30. Merito vocantur *falsi testes* de Templo attestantes: Christus enim dixerat apud Joannem (*c. 2. v. 19.*) *Solvite Templum hoc* (innuens utique Corpus suum) *& in tribus diebus excitabo illud*. Testes vero ea verba sic referebant, juxta Matth. (*c. 26. v. 61.*) *Possim destruere Templum Dei, & post triduum reedificare illud: & evidentiis juxta Marcum* (*c. 15. v. 68.*) *Ego dissolvam Templum hoc maza factum, & per triduum aliud non manu factum edificabo*. Inter hæc enim quantum intersit, quis non videt? At cum ne hoc quidem testimonium satis esset ad Jesum condemnandum, quia non cogitationes, sed facta leges morte puniunt, necessum fuit recurrere ad aliud crimen, Christum scilicet, & quidem adjurandum per Deum vivum, blasphemasse affirmando, se esse Filium Dei, non adoptione, ut cæteri justii, sed natura. Qui enim sic adjurabatur, ut observat Maldonatus, (*loc. cit. num. 63. p. 605.*) pluribus ex locis Sacræ Paginæ, præsertim Levitico, (*c. 5. v. 1.*) & Proverbiis, (*c. 29. v. 24.*) vera proloqui oportebat; quia eo loquendi modo significabatur *Dei nomine, & quasi mandato, aliquem aut ad loquendum, aut ad faciendum obstringere*.

Quod autem Sacerdos sciderit vestimenta sua, scire opus est, morem Hebræorum fuisse, ut in signum doloris, aut blasphemiam detestandam sua vestimenta, Hieronymo teste, sciderent. Hujusmodi consuetudo vigebat, etiam, teste Sagittario, (*Histor. Passion. Chr. tom. 1. p. 247. n. 38.*) apud Ethnicos quibusdam occasionibus. At ex dictis contendunt quidam viri docti cum D. Leone, (*Serm. 55. p. 125.*) ex Levitico, (*c. 21. v. 10.*) Summo Sacerdoti numquam licuisse vestimenta scindere. Verum ex Natali Alexandro, (*In Matth. c. 26. n. 5.*) illud Levitici privatam luctum respiciebat, minime vero publicum, in quo, testante Machabæorum libro, (*loc. cit. n. v. Tom. 1.*) vestimenta sua Jonathas scidit. Adhæret Calmet, (*In cap. Matth. p. 143. §. 65.*) adjungens ex communi meliorum Interpretum sensu, prohibitionem Levitici completi solummodo tem-

tempus, quo Sacerdos esset in Templo vementiaque illa sacra publicis in solemnitatibus adhiberi solita.

31. Ad 2. dicendum Judam, Matthæo teste, (c. 27. v. 3. & seq.) accepto nuntio, quod Christus morti esset condemnatus, penitentia tactum Principibus Sacerdotum, & Senioribus, quos ab eis accepisset, triginta denarios retulisse, inclamantem, se Sanguinem justum prodidisse; illosque dixisse nihil id ad se pertinere. Quo audito, Judam denarios projecisse in Templum, atque inde egressum laqueo se suspendisse: Sacerdotes autem pecuniam humo sublata collegisse, atque ex ea, quoniam in ærarium Templi nefas erat ejusmodi argentum conjicere, agrum sepeliendis peregrinis coemisse, quo Jeremie impletum fuit oraculum, de quo mox sermonem habebimus.

32. 33. 34. Alia præterea circa Judam examinanda 1. Quantum pretii Judas a Sacerdotibus acceperit? Et dicendum, ex Baronio, (Ad an. Chr. 34. num. 19.) triginta fuisse argenti libras; vel ex Suario, (3. p. T. 2. disp. 34. sect. 1.) triginta nummos argenti calcos, qui vel siclum, vel sicli semissem conficerent; & hoc mancipii fuisse pretium colligitur ex Exodo, (c. 21. v. 32.) ac Gotto teste, (De Fer. Relig. Chr. T. 4. p. 2. c. 24. §. 1. pag. 82. & seq.) valoram octodecim Scentorum Romanorum exæquat; & Mateo Georgio Schvartzan teste, (Dissert. in Theol. Diss. in Novum Testam. T. 2. p. 210. §. 26. Amstelod. an. 1701.) quindecim thaleros Imperiales conficit. Verum quomodoque sit, certum est, agrum ex illo pretio fuisse emptum ad peregrinorum sepulturam. Addit Baronius, (Loc. cit. n. 35. & seq.) esse urbi proximum; emptionemque temporariam non fuisse nec secundum Hebræorum mortem, penes quos anno Jubilæi ab prioribus Dominis prædia redibant. 2. Quænam fuerit Judæ mors? Et quidquid varii varia scripserint, cum Matthæus diserte dicat (c. 27. v. 3. & seq.) Laqueo se suspendit, nullus est difficultati locus. Quod autem de illo addit D. Petrus, (Act. Apostol. c. 1. v. 18.) Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus, verisimile facit, cadaver arborē dactulum dejectumque in viam crepuisse, ut aliis projectis cadaveribus accidere solet: nisi quis malit, deciasse in ventrem, atque ita crepasse, ut videre est apud Calmetum, (In c. 26. Matth. §. 5.) vel curru prostratum, ut vult Oecumenius (In c. 1.) Actor. Suspendii arbor, si fides danda est Juvenco, ficus fuit; & si Quaresinio, (Eucid. Ter.

Tom. III.

Sanct. T. 2. l. 4. cap. 21.) quinquaginta annis antequam ille in eas se contulisset regiones, prægrandis ostendebatur Ficus, ad quam senes narrabant sese Judam suspendisse, eam vero, cum ipse esset in Terra Sancta, arefactam esse tradit, ac casam. Nunc de Agro, qui a Matthæo, (c. 27. v. 7.) appellatur Ager figuli, vel quia a quodam figulo possidebatur, vel quia figuli ab illo figulinam vasis fingendis effodebant. In sepulturam peregrinorum certum est fuisse coemptum; antea enim hujusmodi carebant loco pro peregrinis; cum alias pro civibus sepeliendis publicus esset campus, & privati privati vasis uterentur. De situ, ac presenti campi statu loquitur Quaresinius, (Loc. cit. cap. 23.) dicens, modo quosdam Armenos illic injici, qui a suis Sacerdotibus decepti, non parvam pecunie summam expendunt, ut illic sepeliantur; existimant enim sic penas æternas pro peccatis debitas evadere. Concludit, falso affirmasse aliquos, agri illius humo viginti horarum spatio cadavera exedi, & absorbi; ut experientia ipsa deprehendit. Tandem ubinam legatur apud Jeremiam, quod illi hic attribuit Matthæus cap. 27. vers. 9. & 10. & au potius Zacharie cap. 11. v. 12, & 13. tribuendū esset, vel an, & qua ratione Matthæi testimonium sit ex utroque constat? Verum implexiora sunt hæc, quam ut possint cum claritate, & dignitate in compendium mitti. Consultas lector adeat vel ipsam Benedictam XIV. hic, vel Interpretes ab eo citatos, præcipue Maldonatum, Calmetum, & Notalem Alexandrum, omnes in cap. 27. Matth. & Lamy, Harm. Evang. lib. 5. cap. 30.

35. 36. 37. Ad 3. supra propositum numero 28. dicendum inter ea, quæ hic acciderunt, illa fuisse maxime memorabilia, nimirum Judæos Christum a Caipha in Prætorium adduxisse, illuc tamen eos non introisse, ne, ut alibi diximus, a manducando Paschate abstinere cogerentur: Pilatum foras egressum, idest, juxta Lamy, (Harm. Evang. l. 5. c. 3.) in exteriorē porticum, sive vestibulam exterius, eos rogasse, quo demum crimine Christum infimularent: illos, ut est apud Lucam, (c. 23. v. 2. & seq.) respondisse, Jesum seductorem esse; tributum dari Cesari prohibuisse; Regemque se facere: Pilatum denique illis Jesum permisisse, ut est apud Joannem, (c. 18. v. 31. 32.) ut ex suis legibus judicarent: at Judæos respondisse sibi non licere quemquam interficere. Pilati patria incerta omnino est apud AA. Alii enim eum volunt fuisse Romanum, Italumve; alii, cum Petro Comestore, Gal-

R lūm

lum e Delphinatu; alii cum Theophylasto natum in Ponto. Constat autem decem annorum spatium Procuratorem Cæsaris Judææ præfuisse, & ut erat prætorici animo, ac omnium scelerum genere inquinatus, Philone, (*Legat. ad Cæsarem p. 1034. op. Græco Latini. Francofort.*) ejusque Traductore e Græco in Latinum telibus, eam Provinciam ita divexasse, ut seditioni, quæ paulo post excitata est, causam præbuerit. Insuper docemur ab Adone Episcopo Viennensi, (*In Chronico.*) Pilatum venisse Romam missum a Vitellio Syria Præside, ut iudicio causam diceret. Ex quo factum, quod cum criminata, quibus præmebatur, non potuisset resistere, perpetuo carcere Vienna in Gallia damnatus fuerit, ubi eo furoris devenit, ut sua se transverberans manu multorum malorum compendium mortis celeritate quaesierit.

38. 39. 40. Circa verum sensum verborum Pilati: *Accipite eum vos &c.* & responsionis Judæorum: *Nobis non licet interficere quemquam*, innumera sunt AA. opiniones, quoniam modo Judæi id vere dicere possent, nec a Pilato argui manifesti mendacii? Nam si dicatur cum Rabbiniis, jus gladii Judæis esse ademptum a Romanis anno 40. ante Hierosolymæ excidium, adeoque ipso Passionis Christi anno, vel cum Scaligero, & aliis anno ante illum excidium 60. cum Judæa facta in provinciam redacta, illud obstat, quod ipsi paulo post D. Stephanum iusserint interfici, & D. Paulo opus fuit, Cæsarem appellare, ut Hebræorum declinaret jurisdictionem. Quin & Philo Hebræus scribit, Hebræis licuisse suis legibus uti, quas Tiberius rumpi noluerit. Unde expeditior dicendi via videtur esse, ideo Judæos respondisse *Nobis non licet interficere quemquam*, quod esset Pascha, die autem Festo non licebat per eorum legem capitalem exequi sententiam. Videtur a Lapide, (*In c. 18. Joann. 31.*) Suarius (*In 3. p. 9. 47. a. 4.*) & Baronius, (*Ad an. Chr. 34. num. 77.*) & maxime S. Augustinus. (*Tract. 114. 12. Joan. pag. 789. n. 4.*)

41. 42. Alii tamen rem totam sic conciliant: ereptam quidem Judæis jus gladii, quo ad cætera crimina, & maxime ea, quæ Romani Imperii majestatem læderent; restitutum tamen ipsis fuisse jus quasi Ecclesiasticum, puniendi scilicet eos, qui in Deum, aut res sacras peccassent. Hac de causa ad Caiphæ tribunal Christus reus mortis pronuntiatur, quasi blasphemus, quod Filium Dei se dixerit; blasphemæ enim crimen ad Synedrium spectabat: apud Pilatum vero tanquam Crucis reus agitur, quod prohi-

buerit tributum dare Cæsari, & seditione in populo tentata, Regem se fieri curaverit, quod a Pilato tanquam Cæsaris Procuratore cognoscendum erat. Et cum tandem Christus a Pilato reus læsæ Majestatis fuerit pronuntiat, supplicio crucis facti affigendum; & sic impletum est ipsius vaticinium, qui dixerat. *Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget;* (*Matth. 20. v. 19.*) nam si de blasphemia per tribunal Synedrii judicatus fuisset, non Crucis supplicio, sed lapidibus, ut D. Stephanus, perimendus erat. Sic enim allis P. Bacchinus. (*De Or. Ecclesiast. Hierarchy p. 1. p. 195.*) Pilatus, Hebræorum responsione audita, reversus in Prætorium, accersitum ad se Christum interrogavit, an esset Rex Judæorum? Cui Jesus respondit; *Tu dicis quia Rex sum ego.* Subdit tamen, Joanne teste, (*cap. 18. v. 36.*) regnum suum non esse ex hoc mundo; innuens utique in cælo esse & summi Imperium, & eos quibus ipse imperet. Quibus declaravit, se reum non esse læsæ Majestatis nullumque Principem hujus mundi debere de eo quidquam suspicari, aut ab eo sibi cavere. Ante hæc tamen vicissim Jesus Pilatum interrogavit: (*Joann. cit. c. 18.*) *A te meipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?* Significans, quod si ille curiositate ductus interrogaret, se responsum non daturum, quod ad inutilia respondere paratus non esset.

43. 44. Ad 4. supra n. 28. dicendum, indubium esse, Pilati jurisdictionem non ultra Judææ fines extendi, Hierosolymisque tunc temporis commorari ad Paschæ celebrandum Herodem Antipatem Galilææ Tetrarchem, cujus erat juxta Romanorum leges causam de perduellione, affectatoque Regno cognoscere; inde est, ut Pilatus intelligens ex Turba, Luca teste, (*c. 23. v. 5. & seq.*) Christum esse Galilæum, ad Herodem illum miserit, cui vehementer placuit, cupiebat enim & Christum & prodigium aliquod ab eo factum videre. Hoc autem minime facti assequutus, licet de multis Jesum interrogaverit; nam Christo, nihil respondente (*Luc. c. 23. v. 11.*) nec miraculum patrante, quæ non ad ostentationem edebat, cum Herodes cum suo comitatu sprevit, & *illust indutum veste alba*, quæ scilicet primarium deceret virum, sic Deo placitum est, Ambrosio teste, (*In Luc. c. 23. pag. 1526.*) ut per hanc quoque vestem Christi innocentia demonstraretur; nam Baronio teste, (*Ad an. Chr. 34. n. & seq.*) penes Hebræos pullata veste rei induebantur. Hac occasione Pila-

rus, & Herodes in gratiam invicem rediere; nam antea inimici erant, seu quod inter Reges, & Romanos Praefides, ex amulatu facile odia nascebantur; seu quod Galilaeos a Pilato nuper trucidatos, dum Hierosolymis sacrificarent, quorum sanguinem, ut ait Lucas, (c. 13. v. 1.) Pilatus miscuit cum Sacrificiis eorum. Sic Lamy: (*Harm. Ev. l. c. 1.*)

45. Jam ad 5. supra propositum n. 28. Rediit Christus ad Pilatum, qui illud Hebraeis proposuit, ut, quoniam nec ipse, nec Herodis capitale in eo crimen reperirent, leviori plecteretur supplicio, flagrisque caderetur. At cum Judaei vehementius flagitarent, ut neci dederetur, Pilatus ut Christum a morte eximeret, id consilium cepit. Mos erat die Paschatis reum aliquem dimitti; cumque Barabbas seditionis reus, & homicidii detineretur in vinculis, Pilatus optionem dedit populo, utrum vellent dimittere; sed Principum Sacerdotum, & Seniorum impulsu populus postulavit, ut Barabbam dimitteret; atque ita nefario, & facinoribus noto homini Christus posthabitus est, ut legitur apud omnes Evangelistas, ex quibus Matthaeus (c. 27. v. 14. & seq.) adjungit, Pilatum, dum sederet pro Tribunali, per internuntium ab uxore monitum esse, ne se in causa justii hominis immisceret.

46. Ab aliquibus praedicta uxor Claudia Procula appellatur, & a Lapide teste; (*Loc. cit. supra.*) penes Graecos in Sanctorum est adscripta catalogum. Duo ex dictis examinanda 1. Num somnium fuerit a Deo an Daemonem profectum? Et fuisse a Diabolo profectum contendunt aliqui cum Beda, in Mattheum, ea innixi ratione; quia quidpiam Diabolus suspicabatur; & cum ex crucifixione suam perniciem praesentiret, ab ea ut cessarent, moliebatur. At divinitus fuisse immissum sentiunt alii cum Ambrosio, Chrysostomo, & Augustino; Deo sic disponente, ut antequam Christus injustissima damnaretur sententia, ejus innocentis hoc etiam somnium comprobaretur. 2. num in Paschate tantum, an vero in Pentecoste etiam, & Festo Tabernaculorum unus ex reis esset dimittendus? In hoc postremum inclinat Calobonus; (*Exert. c. 16. §. 203.*) quia Matthaeus, (c. 27. v. 15.) Marcus (c. 15. v. 6.) & Lucas, (c. 23. v. 17.) indeterminate narrant hoc fieri consuevisse: *Per diem Festum, vel Solemnem*. At cum Joannes, (c. 23. v. 39.) Paschae Festum determinate exprimat, ideo Bineo, (*De Mor. Chr. T. 3. l. 3. c. 4. num. 3.*) & aliis placet, Joannem Festum determinasse, quod alii Evangelistae indefinite scripserunt.

47. &c. Antequam deveniamus ad quartam Dominicam Passionis partem, quae comprehendit flagellationem, coronationem, caeteraque gesta usque ad Calvariae locum, sciendum est, constare ex Evangelistis, Pilatum quinque vicibus e Judaeorum manibus Jesum eripere voluisse. Harum tres narrat Lucas, (c. 23. v. 4. 20. & 22.) & duas addit Joannes, (c. 19. v. 4. & 12.) apud quem etiam legitur, populo Jesum flagellatum, & spinis coronatum ostendisse, utique, ut observavit Augustinus, (*Tract. 116. in Joann.*) ad Judaeorum misericordiam commovendam. Intumescente vero tumultu, cum jam videret eum non posse eripi, accepta aqua, lavit manus coram populo, ut suam, ex Maldonato, (*In c. 27. Matt. n. 24.*) innocentiam omnibus faceret; & hoc non morem Romanorum secutus, licet Romanus esset, penes quos talis etiam vigeat consuetudo, teste Gretsero, (*De Cru. l. 1. c. 14.*) sed Judaeorum, qui hac utebantur caeremonia ut criminis invidiam se averterent. (*Deutor. c. 21. v. 6. P. 72. v. 13. & 25. v. 6.*) Quidam cum Chrysostomo, (*Orat. 2. de Eleemosyna*) ex Joannis verbis: *Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigretur*, (c. 19. v. 16.) contendunt Pilatum non condemnasse Jesum, sed tantum permissive se habuisse. Alii vero probabilis, ex illo Lucae: *Adjudicavit fieri petitionem eorum*, (c. 23. v. 24.) existimant, capitalem a Pilato latam fuisse mortis sententiam. Nam & pro Tribunali sedit, more Romanorum Judicum; & sententia ab ejus militibus fuit executioni mandata. Illud etiam culpe datur Pilato, quod supplicium ad decem dies non distulerit; sic enim Tiberias Caesar Senatus Consulto, quod refertur a Svetonio, & Dione, servari jusserat in damnatorum poena exequenda: quam moram si Pilatus interposuisset, Judaeorum impetum, & furorem compressisset. Sic Baronius. (*Ad. an. Chr. 34. num. 92.*) & quamvis per leges liceret, si tumultus, popularisque seditionis esset suspicio, capitalia supplicia praevertere, nihil ejusmodi Pilatus sibi posset tenere, qui Romanarum legionum praesidio erat munitus. Ex quo concludendum, multarum iniquitatum reum fuisse; nam conscientia ipsa reclamante, Jesum acerbissimis suppliciis, & morti tradidit, & ut ait S. Leo: *Cooperatus seditionis, reliquit proprium iudicium, & in crimen trahit alienum*, & leges in hoc iudicio non servavit, ut late deducit Christianus Thomaeus. (*Dissert. de injust. Pilat. iudicio.*)

50. Jam supra attingimus, Pilatum verbe-

berari Jesum jussisse, ut experiretur, num pœna Judæorum animos posset explere, atque ita Christum supplicio Crucis liberare; & hæc est quorundam cum Augustino (*Tract. 116. in Joann.*) sententia, quæ nobis, & Lirano, (*In c. 27. Matth.*) ardet; innititur autem Evangelio Lucæ, (*c. 22. v. 16.*) Alii cum D. Hieronymo, (*Luc. 27. Matth.*) contendunt, Jesum flagellis fuisse casum, ad satisfaciendum consuetudini, juxta quam, ut constat ex Livio, (*Lib. 33. de Servis conjuratis*) & Curtio, (*Lib. 8.*) oportebat primum verberari eos, qui Cruci erant affigendi. Alii denique cum Calaneo, (*In c. 27. Matth. v. 16.*) utramque amplexi sententiam, duas in Christo flagellationes agnoscunt, & ad satisfaciendum consuetudini, & ad placandum populum; præsertim, quia Matthæus, & Marcus prædictam flagellationem ponunt ante latam mortis sententiam. Joannes vero nonnulla interijcit inter flagellationem, & sententiam mortis. At rejicienda cum Gretsero, (*Lib. 1. de Cruce cap. 9. §. Nec quidquam &c.*) & aliis, duplex hæc flagellatio, cum de illa omnino sileant Evangelistæ, dicendumque Joannem facta, & ferriem narrasse, cæteros vero solam facti substantiam.

31. Licet Sacri Scriptores modum, locumve flagellationis Dominicæ prætermittant; attamen cum a J. Lipsio, (*Lib. 2. de Cruce cap. 4.*) doceamur, reos ex more vel cædi in Prætorio ad columnam alligatos, antequam ad supplicium deducerentur; vel in ipso ad patibulum itinere; insuperque habeamus ex vetustissima traditione, Jesum in Prætorio fuisse casum; consequenter dicimus cum D. Hieronymo, (*In Epitaph. Paulæ.*) Bedæ, (*In c. 23. Lucæ.*) & aliis, attestantibus ætate sua videri adhuc columnam sacro maculatam sanguine, Jesum in Prætorio ad columnam alligatum verberatum fuisse. Atque ex hoc refellitur a Gretsero, (*Lib. 1. de Cruce cap. 10.*) impudentissima Calvinii calumnia, qui hanc columnam ausus est dicere a Pontificiis omnino esse confictam. Ea etiam teste Gregorio Turonensi, (*Lib. 1. de Gloria Martyr. c. 17.*) Hierosolymis sæculo VI. summa Christianorum veneratione colebatur, qui eam ligulis retilibus cingebant, easdemque postea adhibebant ad pellendos morbos. Postea anno 1213. Romam fuit asportata, collocataque in Ecclesia S. Præxedis in Exquiliis, uti alibi idem Benedictus XIV. ostendit, (*Lib. 4. de Canoniz. Sanctor. p. 2. c. 10. n. 21.*) per Joannem Cardinalem Columnam Tituli S. Præxedis, sub Honorio III. Apostolicum

Legatum: de quo videatur de Attichy, (*Lib. Flor. Hist. Sac. Colleg. S. R. E. Card.*)

52. Nunc de instrumentis flagellationis. Duo antiquitus fuere flagellationis genera; alterum, cum arborum virgæ in fasciculos colligatæ adhibebantur, & ad hunc modum verberatus est Paulus; (*2. ad Cor. c. 12. v. 25.*) alterum, cum flagra, & funes adhibebantur; atque interdum etiam, ut acerbior esset pœna, extremis funibus alligabantur tenuia ligni, aut oliis frustula, parvuli que unci ferrei. Hoc modo verberatum fuisse Jesum creditur in Revelationibus S. Brigittæ; (*Lib. 4. cap. 70.*) licet nos cum Lipsio, (*Lib. 2. de Cruce cap. 3.*) nihil ejusmodi scire fateamur. Insuper dicendum, Baronium observasse, (*Ad an. Chr. 34. num. 84.*) Christum, qui, ut ait Apostolus, formam servi assumpsit, noluisse virgis cædi, quæ pœna erat liberorum hominum; sed flagris, quibus mancipia cædebantur. Consequenter, crudelissimam fuisse Christi flagellationem, sive quod Judæi ad immanitatem satellites incenderent, sive quod Pilatus consideret, quo pœna hæc saevior esset, eo sibi fore facilius a morte illum eripere.

53. 54. Christum omnino nudum fuisse ad columnam alligatum, & flagellatum affirmamus cum omnium sententia, teste Suarez; (*In 3. p. T. 2. disp. 36. sect. 4.*) præsertim, cum hæc esset Romanorum consuetudo, uti legitur apud profanos Scriptores Ciceronem; (*In Vert. l. 5. c. 62.*) Svetonium; (*In Cajo cap. 26.*) Livium, atque alios. Quod ad satellites attinet, dicendum, Jansenium Imprensem Episcopum, (*In c. 27. Matth.*) affirmasse, quatuor tantummodo fuisse; S. Mariam Magdalenam de Pazzis in quadam ecclasi vidisse a sexaginta cædi Jesum; attamen unum fuisse contendit D. Hieronymus; (*In c. 29. Matth.*) si Pilatus more Romanorum sententiam tulit; novissima enim est formula: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, virgis cædito*. Et hunc flagellatorem fuisse ipsum Pilatum singularis est Bedæ (*In Marc. c. 15. l. 4.*) sententia, quam putat Evangelio Joannis, (*c. 19. v. 12.*) inniti. Verum refragantur cæteri, & Joannis locum explicant per vulgarem apud Jurisperitos regulam: *Quod quis per alium facit, ipse fecisse videtur*. Unde, licet Pilatus alias hæc Romanorum consuetudine uteretur, non sequitur, ut solus ipse flagellaverit; verissimileque est, quod sicut alias leges in Christo damnando non servavit, ut supra diximus,

mus, ita neque hanc consuetudinem: pluresque ad verbera adhibitos fuisse lictores: de quorum tamen numero nihil nos certi habere concludit Card. Gottus. (*De Ver. Relig. Chr. T. 4. p. 2. cap. 25. §. 1. n. 11.*)

55. 56. Modo de lictorum patria. Calabros fuisse affirmat Serry; (*Exor. 56. §. 6.*) quia hi primi omnium in Italia, uti constat ex Felto Pompejo, & A. Gallio, a Romanis ad Annibalem defecerunt; ac in pœnam defectionis parere jussi sunt Magistratibus Provinciarum, & fervorum vicem obire. At cum ex Baronio, (*Ad an. Chr. 34. n. 85.*) habeamus, hujusmodi torpissima ministerio fuisse addictos alios etiam ex aliis Gentibus in quibusdam regionibus; ea propter videtur nihil adversus Calabros inde confici, ut scribit Berti. (*T. 5. de Theolog. discipl. l. 29. cap. ult. §. 7.*) Immo (si danda fides est Perimezio, (*Lib. de natione torolorum Chr. par. §. 3.*) olim Episcopo Oppidensi) dicendum, omnis levitæ, in Christianamque contumeliæ ministros fuisse Judæos in tota Passionis serie, Romanosque milites ex omnibus collectos nationibus non nihil operæ suæ præter assistentiam contulisse. Quoad verberum numerum, certe quadragenarium non excessisset, si Pilatus Hebræicæ legis rationem habuisset. (*Deuter. c. 15. v. 2.*) At cum Romanae leges verberum numerum non præscribant, & Pilatus nullam ad Hebræorum legem videatur habuisse respectum; quia non humi stratum, ut lex præcipiebat, sed columbæ alligatum jussit verberari; ideo Ectius, (*D. Chr. Passion.*) ait quinquies mille trecentas, & triginta quinque fuisse plagas: Lodulphus, (*In vita Christi.*) quinquies mille quadringentas, triginta quinque: Lanspergius, (*Hom. 50.*) illum auget numerum ad quinquies mille quadringentas, & sexaginta. At melius dicendum cum Durante, (*In notis ad Revel. S. Brigit. l. 1. c. 10. n. 5.*) numerum esse incertum; & cum Suario, (*T. 2. in 3. p. 4. 46. 2. disp. 35. sect. 2.*) esse verisimile, quod multum excessisset quadragenarium numerum, illum autem determinari non posse, cum de illo Scriptura, Sanctique PP. sileant.

57. Licet non constet, Pilatum jussisse, Christum post flagellationem spinis coronari; nihilominus milites effrenata licentia ausi sunt illum in Prætorium trahere, & universa convocata cohorte, veste purpurea illum vestire, ejus capiti coronam e spinis intextam imponere, arundinem in ejus manibus injicere, & amaris illusionibus ludifi-

cari, flexisque genibus per ludibrium, veluti Regem Judæorum, salutare. Omnes hæc ignominia, juxta Calmetam, (*In c. 19. Joannis.*) ideo fuere illata, quod se Regem dixerit. Vestem illam Marcus appellat, *Purpuram*; Joannes *Purpuream vestimentum*; Matthæus *Coccineam chlamydem*. Coccineus color juxta Baronium, (*Supra. cit. n. 89.*) color erat chlamydis militaris apud Romanos, qui illum a Lacedæmonis morem acceperunt: in Scriptura vero, (*Isai. c. 1. v. 18. & Numeror. cap. 19.*) peccati symbolum est; ideoque Lamy (*Concor. Evangel. 5. c. 33.*) ait, non sine Dei providentia Christum veste coccinei coloris fuisse indutum, quia factus erat victimæ pro humani Generis peccatis.

58. 59. Ad coronam quod attinet, diversa affirmant Scriptores, de ejus materia; quæ his nec per ocularem inspectionem terminari potuit. Eam enim sese vidisse attestantur Durandus, (*Rational. Div. off. l. 6. c. 77. §. 17.*) & Martinus del Rio, (*Lect. 9. de Passio.*) in Pariensi Regio Sacello. Primus, ait, e juncis marino esse intextam; secundas affirmat, nil quidquam cum juncis marinis communem habere; ideoque dicendum viderur cum Bineo, (*Cit. l. 3. c. 4. n. 12.*) & aliis, nihil certi in hoc haberi, nisi, quod coronam de spinis cum plexuissent milites, imposuerant capiti Jesu. De ejus vero forma amplius dubitari non potest, cum nonnulli oculati testes affirmant instar esse pilei, quò cranium, & superior pars capitis tegitur; non autem ad modum fasciæ, quæ tempora, & frontem cingat. Ita cum multis Durandus, (*In notis ad Revel. S. Brigit. lib. 7. cap. 15. num. 2.*) Gottus, (*De Verit. Christian. Relig. cu. s. 25. §. 3.*) &c. Quod autem Parisiis asserverur, affirmat alibi idem Benedictus XIV. (*De Can. Ss. l. 4. v. 2. c. 14. num. 13. & c. 3. num. 8. & ibi Synop.*) cum multis. In prædicto Sacello asservantur etiam Lancea, Arundò, & Spongia. Nam cum Venetis ea XIII. Sæculo oppignorassent Imperatores Franci, qui tunc temporis Constantinopoli morantes, in magna erant difficultate nummaria, Balduinus II. S. Ludovico Francorum Regi jus cessit in sacra illa pignora, hincque representata pecunia, eas pignore liberatas Reliquias in suo Sacello collocavit.

60. Postquam autem Matthæus, & Marcus, quæ supra attulimus, narrarunt, subjungunt, carnifices Christo purpuream vestem detraxisse, ejusque iterum vestibus Redemptorem indasse, ut crucifigeretur. Joannes

nes vero affirmat (*cap. 19.*) Christum ea in veste, & modo, quo a militibus fuit illusus, ostensum populo fuisse a Pilato, dicente: *Ecce homo*; quæ quidem verba non ad quemlibet ex presentibus (ut aliqui volunt) sed ad Christum eam non sunt referenda. Quo audiu, Judæi succlamarunt legem se habere, secundum quam mori deberet, quia Filium Dei se fecit, apud Matthæum vero (*cap. 27.*) dixerunt: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, qui est illius Genus idiotismus, uti legitur in Levitico. (*cap. 20. v. 9. & seq.*) Hæc autem Judæorum imprecatio; teste Hieronymo, (*Tom. 7. op. lib. 4. in Matth. c. 17. col. 130.*) etiamnum perseverat super illos in miseriarum cunctulo, & obfirmatissima eorum cecitate, nec amplius ab eis Sanguis Christi auferetur.

61. Pergit Joannes, Pilatum magis terribitum, ut audivit, quod Jesus Filium Dei se faceret: fortasse enim timuit, ne Divino fatu esset ortus, ac suspicari coepit vera esse, quæ a Christo audiverat. Idecirco eum adduci jussit in Prætoriam, & unde esset, interrogavit. Jesum vero responsum non dantem admonuit, sibi potestatem esse tuam dimittendi eum, tum crucifigendi. In quem locum sic D. Ambrosius (*Serm. 20. in Ps. 118. v. 38. & 39.*) *Mala potestas, licere quod non liceat. Potestas ista tenebrarum est.* Sed ne iniquam quidem hanc potestatem in Christum exercere possit, nisi illi datum esset desuper, ut Jesus excepit: idest nisi Deus permisisset, & Christus voluisset in ejus dari potestatem. Et exinde, subdit Joannes, *querabat Pilatus dimittere eum: Judæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cesaris; omnis enim qui se Regem facit contradicit Cesari.* Quibus vocibus victus Pilatus, adduxit foras Jesum, & sedit pro Tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem *Gabbatha*, hoc est, lapideus stratus; iterum Christum Judæis ostendit, dicens: *Ecce Rex vester*: illisque succlamantibus, ut crucifigeretur, reposuit Pilatus: *Regem vestrum crucifigam?* Ad quæ Pontifices: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Tandem timorem Cesaris, & seditionis, Jesum innocentem cognitum Judæis tradidit, ut crucifigeretur; & mortis causam scribi præcepit supra Crucem; *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, Hebraice, Græce, & Latine; quod mutari non est passus, etiamsi Pontifices eum monuissent, scribi debere, *Quia ipse dixit, Rex sum Judæorum.* Dum vero Regem, dixit, censimus cum Lamy, (*Harm.*

Evang. l. 5. c. 33.) non per ironiam fuisse loquutum, sed conscientia eum accusante; persuasum enim habebat, Jesum fuisse veram Christum Judæorum.

62. Cruciariorum more Christus, Joanne teste, (*loc. cit. c. 19.*) suam tulit Crucem, cujus typus juxta Tertullianam, (*Advers. Judæos c. 11.*) fuit Isaac, quando ligna humeris, ut immolaretur, portavit. Cruce igitur humeris imposita, exivit Christus e Prætorio, & fortasse porrexit usque ad portam Civitatis, ubi viribus deficientibus, Simoni Cyrenæo e villa redeunti Christi Crux per Judæos fuit humeris imposita, ut tres narrant Evangelistæ; & quidem sic imposita, ut solus Cyrenæus illam portaret, Jesu penitus exonerato, ut voluit Hieronymus (*in c. 27. Matth.*) & Augustinus, (*l. 3. de cons. Ev. c. 10. t. 3. ed. Nurr.*) contra Cajetanam, qui tantum a tergo juvasse contendit. Porro Cajetani opinio, ex Crestero (*de Cruc. l. 1. c. 15.*) viget nunc; qui pictores ita pingere Simonem cæperint. De Simonis patria variant Auctores. Licet enim certum sit, fuisse Cyrenensem; attamen, cum tres Cyrenarum nomine fuerint Urbes, in Lybia, Syria, & Cypro, patria manet incerta. Censent tamen communiter Recentiores apud Tillemontiam, (*in vit. Jesu Chr. not. 32.*) Judæum fuisse; quia habemus ex Marco, (*c. 15.*) Patrem fuisse Alexandri, & Rufi, quorum meminist Scripturæ; (*Act. c. 19. v. 33. & ad Rom. c. 16. v. 13.*) & maxime verbis, *venientem e villa* inhzendo, quæ nisi textus Græcus haberet; *venientem ex agro* satis probarent, quod prædia habuerit urbi vicina. Sunt qui credant Simonem tunc Christi fautorem fuisse, quod ex eo arguunt, quoniam ejus filii recensentur inter Christi Discipulos, ob eamque causam, quasi pœnam, instigante nonnimine Judæorum; coactum fuisse Crucem ferre.

63. 64. Insuper habemus, ex Luca, (*c. 23.*) proficiscentem Jesum ad Calvarium sequi magnam turbam populi, & mulierum, quæ miseratione percussa lacrymabantur: Jesumque ad illas conversum prædixisse miseriam Hierosolymæ everisionem, uti legitur apud Lucam; (*ubi prox.*) eisdemque verbis, quæ multo antea Oseas (*c. 10. v. 8.*) adhibuit, cum loqueretur de Samaria, Hierosolymæ tipo, si peccata spæctes, & pœnam. Inter autem Christi verba, ea maxime memorabilia: *Si in arido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Idest, si mihi justo ingeruntur mala, quid peccatoribus fiet? qui quidem loquendi modus proverbialis est apud

apud Hæbreos, qui per lignum viride probos, per aridum malos homines significabant; dicere enim consueverant, & eorum more Dæus etiam dixit apud Ezechielem (c. 20. v. 47.). *Excindam viride lignum, & aridum*, ut significarent probos viros propter paucitatem facile a malorum hominum opprimi multitudine, ut ipsemet Propheta (c. 21.) postea per nomina *jufum, & probum* interpretatur. Ex prædictis feminis; pia traditio est, quamdam Sanctam Mulierem, nomine *Veronicam* (quo aliqui ex *vera icon* constari volunt) telam a Christi faciem sudore, sanguineque turpam admovisse, ubi sanctissimi vultus impressa extitit imago, quæ nunc (quidquid dicat Heterodoxus Reiskius, (*Exer. hist. de Chr. im. c. 2.*) asservatur in Vaticana Basilica, Sanctumque valgo appellatur Sudarium, uti alibi scribit idem Benedictus XIV. (*l. 4. de Can. SS. p. 2. c. 31. n. 12.*) Videatur etiam Berti. (*De Th. discipl. l. 29. c. ult. num. 5.*)

65. 66. 67. Habemus insuper apud Lucam, (c. 23. v. 31.) duos Latrones additos fuisse comites Redemptori, dum ad supplicium raperetur; in nullo autem ex Evangelistis legimus prælatum Christo fuisse titulum, culpæ indicem, quem Pilatus scripserat. Verum, cum ea esset Romanorum consuetudo, ut vel reorum collo titulum indicem supplicii appenderent, uti legitur in Svetonio; (*in Cajo c. 32.*) vel præferri juberent, uti legitur apud Eusebium; (*Hist. Ec. l. 5. c. 1.*) vel denique, præante Satellite, & clamante, ut est apud Ambrosium, (*Serm. 90.*) hinc verisimile videtur, eandem in Christo observatam fuisse consuetudinem. Quomodo-cumque hoc evenerit, certum est apud Evangelistas (*Luc. c. 38. Joan. c. 19. v. 19.*) tribus linguis ut nulum Crucis fuisse scriptum, Latina propter majestatem Imperii, Hebraica ratione loci, Græca propter Hellenistaram multitudinem, qui, teste Lamy, (*Harm. cit. l. 5. c. 34. n. 20.*) ad Pascha celebrandum convenerant Hierosolymam. Consulto prætermittimus alias quæstiones huc attinentes, quæ videri possunt apud Bineum (*Tom. 3.*)

68. 69. Repertus dein sæculo IV. fuit hujusmodi Titulus, teste Ambrosio, (*de obitu Theodo.*) & Rufino, (*Hist. Es. c. 7.*) a S. Helena alio, quam quo Crux reperta fuit, loco. Postea Romam a S. Fœmina asportatus, collocatusque fuit in Basilica S. Crucis in Hierusalem, eodemmet sæculo a Constantino ædificata. Eam sæpius antea restitutam, sub Innocentio VIII. anno 1492.

cum reficeret Petrus Gundisalvus Card. de Mendoza memoratum Titulum invenit intra parietem; quo ante mille annos Placidius Valentinianus Imperator conjecerat. Huc se contulit idem Innocentius cum Cardinalium Collegio ad gratias Deo agendas ob victoriam eodem fere, quo Titulus repertus est, die in Granatensi expugnatione cum maxima Maurorum clade partam a Ferdinando Hispanorum Rege. Videatur Alexandri VI. Bulla. (*Const. 4. ejusd. in Bullar. Roman.*) Neque amplius licet dubitare de Tituli veritate, satis comprobata a Scriptoribus de Septem Romæ Ecclesiis, apud Bosium, (*de Cruce, l. 1. c. 2.*) & a Synchronis AA. apud Raynaldum, (*& ad an. Chr. 1592. num. 14.*) Spondanum, (*Ad eund. an. n. 7.*) & alios. Postremo Sagittarius, (*Hist. Passionis Chr. Tom. p. 873.*) attenta Romanorum consuetudine, ait Crucibus etiam Latronum titulum fuisse impostum; quod nos libentius negamus cum Chryostomo, (*Hom. 81. in Jo.*) Raynaudo, (*De S. Latrone, c. 2. n. 5.*) & aliis.

70. 71. 72. 73. Jam de postrema Passionis parte, quæ Crucifixionem, Mortem, & Sepulturam continet. Quoad Crucifixionem tres proponit quæstiones D. Thomas, (*3. part. qu. 46. a. 4.*) Utrum Christus pati debuerit in Cruce? Et debuisse, probat multis rationibus apud illum videndis. Earum prima ea est, ut nimirum declararet, nullum genus mortis, licet atrocissimæ, qualis est crucifixio, justo homini fore timendum. 2. Utrum Christus omnes passiones sustinuerit? (*Ibid. a. 5.*) Et respondet omnes extrinsecas, illum esse perpessus, quæ scilicet ab extrinseco accidunt, ut dolores a tormentis, tristitiam &c. de intrinsecis autem, ut morbi, ibi non loquitur. 3. Utrum dolor Passionis Christi fuerit major omnibus doloribus? (*Ibid. 6.*) Et affirmative respondet, juxta Threnorum verba; (*c. 1. Lamed.*) idque tam in Corpore, quam in Anima. Ad quod intelligendum satis est causas, unde ille dolor est profectus, considerare. Nobis sufficit concludere, ultro Christum Passionem, & dolorem assumpsisse, ut a peccato hominem liberaret; tantum autem ex his sumpsisse, quantum ratio postulabat ejus fructus, quem inde proficisci oportebat; ac propterea non dubitandum, quæ Passio, & dolores Christi gravissimi fuerint. Rationem dat citatus D. Thomas, quia ejus Corpus, utpote perfectissime formatum, delicatissimo tactu erat præditum; anima vero, cum dolori & tristitiæ permisisset omnem vim suam exerere, caruit illo solatio, quo miseri ple-

rumque fruuntur, ut interior tristitia, exter-
nusque dolor a superiore parte animi ali-
quantulum sentatur. Neque his obstat visio
beata, & perfecta beatitudo, qua Christus,
etiam ut homo, semper fuit petitus. Nam
cum Thomistis asserimus inter acerbissimos,
quibus Christus cruciabatur, dolores, ejus
animam Divino quidem perfusam fuisse gau-
dio; hoc tamen in superiori parte existens,
ad inferiorem non descendisse, sicut neque
ad superiorem ascenderunt partem dolores
Christum in parte inferiore cruciantes; evi-
denti sane miraculo: quemadmodum illud fe-
cit, quod viator aque, & comprehensor
cum esset Christus, de gloria animæ nihil
ad corpus derivaretur.

74. Denique, Angelico Doctore, (*Art.*
10. & 11.) præante, duo affirmamus &
fuisse conveniens, Christum Hierosolymis
pati, & inter latrones crucifigi. Primum du-
plici de capite: & quia Hierosolyma a Deo
erat electa ut legalia sacrificia ei offerren-
tur, quæ vetum Passionis Christi Sacrificium
figurabant; & quia Passionis virtus ad uni-
versum mundum deberet dimanare, & proin-
de conveniens fuit ut in ea Civitate patere-
tur, quæ, quasi orbis umbilicus in medio
terræ habitata sita est. Ratio secundi est, ut
impleretur Isaia oraculum: *Et cum sceleratis*
reputatus est. In hoc quidem Judæi vo-
luerunt Christi famam proterere, quasi La-
tronum sceleris fuisset pariceps. Deus vero
innuere voluit datam Christo judicariam po-
testatem, qua in ultimo die prædestinatos in
bono latrone significatos, & ad ipsius dex-
teram collocatos est præmiaturus, damna-
turisque reprobos in malo latrone designa-
tos, & ad sinistram ejectos.

75. 76. Sed ad historiam redeamus. Post-
quam Jesus ad Calvarium pervenit, porre-
ctum illi fuit vinum cum felle mixtum quod
gustatum noluit bibere. Dein vestimentis
spoliatus, iisque in quatuor partes divisus,
se forte injecta super tunica inconsutilli, ne
scinderetur, Crucis inter duos latrones fuit
affixus. De Calvario accuratius scripserunt
Cardin. Cozza, (*commissa. in D. Aug. 1. de*
Hæresib. part. 2. c. 3. seu 25. n. 163.) &
Quaresimus. (*Elucidat. Terr. sanct. l. 5.*
c. 32. & seq. t. 2.) Calvarium ab Evange-
listis appellatur, & ab Hebræis *Golgotha*,
& utrumque *Cranius* significat. Sic vero
dictus fuit ille collis, vel quia crani hu-
mani figuram referebat, vel quia eo in
loco hac, illac eorum crania erant dispersa,
qui ob scelera sua morte multati fuerant;
quod aliquibus non placet, cum Deuterono-
mio (*Cap. 21.*) præcipiatur, ut damna-

rum corpora ante occasum solis terræ man-
dentur, vel denique, quia eo in loco sepul-
tus fuit Adam, uti contendunt quamplurimi
Ss. Pp. apud Baronium; (*Ad an. Chr. 34.*
n. 112.) in eo etiam legitur, Hieronymum
(*In cap. 27. Mat.*) hanc rejecisse opi-
nem, quam & alibi, (*Ep. 45. alias 17.*
T. 1. oper.) est amplexatus, & ætate sua
percrebuisse (*T. 7. oper. edit. Veronen. col.*
649.) affirmat. Ad hujuscemodi opinionem
confirmandam plurimum facit pia Fidelium
traditio, illuc ex eo etiam confluentiam,
quod Adæ corpus illic sepultum credant, ut
secundus Adam, inquit Hieronymus, (*cit.*
Epi. 45.) ejusque sanguis de Cruce stillans,
primo Adam, & jacentis Protoplasti pecca-
ta deleat. Adhæret praxis pictorum, juxta
Crucem Calvarium pingentium.

77. 78. Jam de vino cum felle mixto,
to. Semel tantum Christo in Calvario obla-
tam fuisse potionem, Chrysosemi est sen-
tentia: quæ tamen, ut bene observat Mal-
donatus, (*In c. 27. Mat. v. 34.*) pace
tanti Viri sustineri nequit: nam, aliis omis-
sis rationibus, bis potum illi datum satis
clare narrat idem D. Matthæus: primo si-
mul ac ad Calvarium pervenit, *Vinum . . .*
cum felle mixtum, (*c. 27. v. 34.*) Secun-
do cum jam esset in Cruce, & morti proximus;
& hæc non vinum erat, sed acetum,
ut ipse (*Ibid. v. 48.*) & Joannes (*c. 19.*
v. 29.) testantur, & ex spongia arandini
imposita fuit oblatum. Omisso igitur interim
aceto, de quo infra, de prima tantum potio-
ne hic loquamur. Etiam hæc prima vice ge-
minam Christo oblatam potionem censet
Baronius, (*Ad annum Chr. 34. n. 95.*)
unam vini cum felle mixti, quam refert
Matthæus cit. alteram vini myrrhati, quam
narrat Marcus. (*Cap. 15. v. 23.*) Vinum
vero myrrhatum aut optimum fuisse, &
odoris suavitate iudatissimum damnaul-
que ad supplicium propinari solitum, quo
pauculum levarentur. Aliqui censent ejus ef-
fectum esse sensus turbare, & sopire, ne cru-
ciatus adeo sentirent, ob idque Dominum
noluisse bibere. Sed Baronius id censat ex
Latronibus, quibus juxta hanc morem dan-
dam esset, & tamen constat ex eorum ser-
monibus, rationis, & mentis fuisse compo-
tes. Igitur aliis omis, quæ multi multa
scribere, concludimus cum Benedicto nostro,
conciliandos esse Matthæum, & Marcum, &
dicendum cum Augustino, & Beda, sel vi-
no Myrrhato fuisse admixtum, & utranque
simul Christo oblatum. Quam vero ratio-
ne sit factam? Verisimile videtur, pias, quæ
serant, mulieres, Christum miseratas, myr-
rha.

phatum vinum attulisse, quo ille reficeretur. Cum autem ad Christum accedere non possent, militum operam adhibuisse, qui, ut scelesti erant, potionem felle corruperunt. Sic Maldonatus, (*Supr. cit. lit. 2.*) & alii & certissimum censet Casaubonus (*Exercit. 16. n. 80. p. c. 13. v. 14.*).

79. 80. 81. Nunc de Cruce, quæ Christo docente apud Joannem, (*c. 13. v. 14.*) Serpente æneo fuit præfigurata. Excitantur hic aliquæ quæstiones apud Interpretes. 1. Utrum Crucis supplicium Judæis esset usitatum? Et negative respondet cum aliquibus Sagittarius, (*De Pas. Chr. t. 1. part. 2. p. 694.*) complures ex Rabbinis afferens locos, sed tantummodo gladium, laqueum, ignem, & lapidationem. Et licet habeamus ex Scriptura, (*Josue c. 8. v. 29. & c. 10. v. 26. & 1. 2. Reg. c. 2. v. 9.*) hujusmodi supplicium multoties in usu fuisse; talis poena, inquam, non Judæorum more, sed barbararum Gentium consuetudine fuit adhibita. Sed melius Calmetus putat, (*Dissert. de suppliciis.*) crucifigendi morem etiam ab Hebræis receptum esse; nam & jussu Josue Hai Rex, & quinque itidem alii Cananæorum Reges in crucem actos legimus; (*Josue c. 8. & 10.*) & teste Josepho, (*De bello Judaico l. 1. c. 3.*) Alexander Hircani filius octingentes in media Civitate captivos crucifigi jussit. De hoc more apud Romanos & Etnicos videantur Juvenalis, (*Satyr. 6.*) & Lipsius. (*De Cruce l. 1. c. 12. & 13.*) Illud certum omnino est, Pilatum supplicio Crucis damnasse Christum vel Judæorum vel Romanorum more; & hoc non propter blasphemiam crimen de quo apud Joannem, (*cap. 18.*) fuit infamatus; quia hujuscemodi poena, lapidatio erat, ex Levitico; (*cap. 24.*) sed propter seditiosis, affectatque Regni crimen, Christo etiam apud Lucam, (*cap. 23. v. 2.*) falso attributum; cujus poena crucifixio recensetur a Jurisconsulto Paulo. (*Leg. 38. §. 2. off. de Poenis.*) Hoc vero supplicium, apud Gretserum, (*Lib. 1. de Cruce c. 38. & 39.*) reputatum summum, teterrimum, horrendum, fœvum, & crudelissimum, subire voluit Christus, ut moneremur, ex Lactantio, (*Lib. 4. Divinar. Instit. c. 26.*) neminem jam esse, qui eum non possit imitari.

82. 83. Secunda quæstio pertinet ad Crucis formam; ejus enim materiam omittimus, de qua nihil tuto affirmari potest, quam quod, teste Rocca, (*c. 2. p. 257.*) fuerit ex obvio, & prompto aliquo ligno, & robusto quidem ad corporis pondus perferendum, ob idque Lipsius ex quercu

fuisse censet, utpotè arbore distis qualitatibus prædita, & crebra, ac frequenti in Judæa, ex eodemque ligno, aut simili censenda sunt Iatronum Cruces. Attenta vero forma, dicendum, duo Crucis fuisse genera. Unum simplex ex unico prægrandi palo, aut trabe; compositum alterum e duobus lignis constans. Rursus: composita crux in tres dividebatur species, nimirum in decussatam, quæ duobus constans lignis, X. figuram referebat, cujusmodi Andreae Apostoli crux depingitur: commissam, cujus formam littera T. pulchre exprimit: immisam, in qua recti ligni vertex ultra transversum lignum aliquantulum porrigitur. Videndus Gretserus; (*Lib. 1. cap. 1.*) His positis, quidquid dicant Innocentius III. (*Apud Labbe T. 11. concil. pag. 133.*) Tertullianus, (*Lib. 3. contra Marcionem c. 22.*) & cum aliis Rigaltius, Christum Crucis commissæ fuisse affixum (de simplici enim, ut cui affixus fuit Aman (*Esther. cap. 5.*) nullum est dubium; nec de decussata; quia illis neminem meminisse comperimus) nobis statendum videtur cum Baronio, (*Ad an. Chr. 34. num. 93.*) Gretsero (*Lib. 1. de Cruce c. 1. & 2.*) aliisque quamplurimis, Christum Crucis immisæ affixum fuisse; nam & apud Romanos prædicta crux adhibebatur, ut esset, ubi causæ mortis titulus imponeretur; & videmus apud omnem antiquitatem Christi Crucem ad hanc formam esse depictam.

84. Insuper inquiritur: Longane, an brevis fuerit Crux? Sed ante decisionem sciendum ex Baronio, (*Not. in Martyro. log. 7. Ap.*) more Romanorum solum viros primarios cruci excelsæ affigi, quod ex Scriptoribus profanis probat; Crucis vero minime præalta vilioris conditionis homines. Ex quo verisimile admodum videtur, Christum præexcelsæ Crucis affixum non fuisse; quia Romani illum non ex David progenie, sed fabri filium existimabant. Insuper, si Crux esset præalta, nec Christus illam portare potuisset, nec Simon Cyrenæus, illud onus subire fuisset coactus. Accedit, quod Hebræi, Joanne teste, (*c. 19. v. 20.*) titulum in Crucis summitate positum legerunt; & hoc minime potuissent, si præexcelsa esset Crux, cum tituli characterum forma, ut etiam num inspicitur, admodum grandis non esset.

85. Denique rogabis: Num Crux habuerit suppedaneum, sedile, vel utramque? Pro suppedaneo, & sedili pugnat Serry; (*Exerc. 53. n. 6.*) sed hoc minime probatur a Goto, (*Ubi supra §. 2.*) & Sandino. (*Histor. Sacra Familia c. 15.*) Pro suppedaneo

rejesto, propugnant Lamy, (*Dissert. de cruce*) & Sagittarius. (*Hist. Passionis Chr. p. 2. p. 794.*) Pro suppedaneo denique pugnant quàmplurimi cum Gregorio Turonensi, (*De Gloria Martyr. c. 6.*) Gretsero, (*Lib. 1. de cruce, cap. 24.*) & Francisco Revardentio, (*Not. ad S. Irenæi oper. l. 2. cap. 42.*) qui se vidisse testatur pluribus in crucibus antiquissimis suppedaneum, super quod Christi pedes innitebantur. Similis est imago illa, ab Arringhio exhibita in Roma subterranea; & nummi veteres a Francisco Nansio observati. Ratio autem, cur Auctores contendunt suppedaneum, vel fedile, vel utrumque, Christi Cruci fuisse appositum, ea est; quia sine tali adminiculo sustineri minime poterat Sacratissimum Christi Corpus; licet posse, contendat Nicolaus Fontana, ex facta experientia; cui tamen alii non acquiescant. Ex quibus optime apparet, quam difficile sit in hoc puncto quidquam statuere.

86. Quæstio 3. circa crucifixionis modum versatur. Et imprimis erectane Crux fuerit, Christo Domino jam illi affixo, an vero in Crucem jam erectam ipse sublatus? Circa quod sciendum, dupliciter olim crucifigi homines consuevissent; vel enim prostrata, humique jacenti Cruci affigebantur, ut colligitur ex Actis Martyrii S. Pionii; vel in Crucem jam erectam, scalis funibusque adhibitis, sustollebantur, quod ex Cicerone, (*Lib. 2. in Verem. c. 65.*) constat. Quo posito inter viros doctos controversitur, quinam e duobus modis in Christi crucifixione fuerit adhibitus? Salmeron, (*T. 10. tract. 35.*) existimat, Christum Cruci humi jacenti fuisse affixum; idque Ecclesiam putat innuere, quæ Feria VI. in Parasceve Crucem humi jacentem poni jubet, & a Clero, & populo adorari. Adhæret Quaresmius, (*Eucid. Terra San. l. 5. c. 36.*) nobileque describit Sacellum in eo loco erectam, ubi pia traditione proditum est, Christum humi jacentem affixum fuisse. Contra verisimilior sententia cum Athanasio, (*Ser. de Passion.*) Toletto, Lipsio, (*De cruce. l. 2. c. 7.*) & aliis, tenet, Christum non jacenti, sed erectæ Cruci esse affixum. Denique Gretserus, (*De cruce. l. 1. c. 21.*) licet probabiliorerem putet Salmeronis sententiam, attamen neutrum tuto dici posse fatetur, cum de modo sileant Evangelistæ; exaltatio enim Crucis, de qua loquuntur, utroque modo verificari potest.

87. Ulterius inquiritur, quamnam Christi membra fuerint clavis confixa? Et dicendum, manus fuisse, & pedes; quia licet de

crucifixione agentes Evangelistæ hoc non tradant diserte, id luculenter Joannes, (*c. 20. v. 25.*) ostendit referens verba S. Thomæ: *Ni videro in manibus ejus fixuram clavorum &c.* & non minus clare David: *Eoderunt manus meas, & pedes meos.* (*Psal. 21.*) Modo numerus clavorum examinandus. Et fuisse tres affirmat Toletatus; (*In Paradoxis, c. 10. Paradoxo 3.*) longiori enim clavo ambos trajici pedes posse contendit, si alter alteri superimponatur. Et hanc opinionem in Figelium animis jam inveterasse nemo negaverit eo præsertim; quod hæc sit praxis Pictorum, ut notat cum aliis Baronius. (*Ad an. Chr. 34. n. 118. & ad annum 326.*) Verum Rocca, (*Ubi supra p. 265.*) & Ayala (*In op. Pictor. Christian. l. 3. c. 17. num. 9.*) censent sustineri non posse Toletati opinionem, quin os aliquod frangeretur. Eapropter quatuor clavis Christum fuisse transfixum tenent plures cum Bellarmino, (*De Sep. Chr. verb. in Proem.*) & Rocca, qui veteres omnes refert imagines Christi quatuor clavis crucifixi. Illud certum est cum Gretsero, (*Lib. 1. de Cruce cap. 20.*) pietati minime officere, tribune, an quatuor clavis Christus Crucifixus venerantium oculis subjiciatur, dummodo pax, & concordia animorum inconclusa permaneat, utpote in controversia nec a Sacris Litteris, nec a Doctoribus Ecclesiæ definita.

88. Discutiendum modo: Nudusne cyprino, an velo alicui parvi obducto fuerit crucifixus. De hoc plura alibi idem Benedictus XIV. (*Lib. 3. de Canonizat. SS. c. ult. n. 17.*) scripsit. Modo dicendum, D. Anselmum, (*De Pas. Dominic.*) scribere B. Virginem amictum capitis sui bilio dedisse, quo secretiores corporis partes sibi tegeret. Et S. Birgitta in Revelationibus narrat, a B. Maria se accepisse, hominem quemdam miserationis sensu tactum Jesu velum dedisse, quo tegeretur. Utramque historiam conciliare studet Quaresmius, (*Ubi supra p. 433.*) dicens: B. Virginem detractum sibi velum cuidam homini dedisse, qui illud traderet bilio. Denique easdem secretiores corporis partes fuisse nictur probare Gretserus, (*Loc. cit. cap. 22.*) ex linteo Aquisgranensi, in quo easdem velatas fuisse apparet; & nihilominus vere dici posse contendit, Christum nudum Cruci affixum fuisse; nam vulgo nudus ille dicitur, qui, veste omni detracta, eas partes tectas habet. Addit Toletatus, (*In opuscul. Paradoxo 34.*) verisimile non esse Satellites, esse odio, & crudelitate flagrant, ita Jesum nudasse, ut

pars corporis qualibet omnium oculis pateret. Pia sane hæc sunt : Sed nihilominus statuendum maxime decere Christi Crucifixi imagines cum dicto velo pingi ; id tamen a veritate historiae esse alienum, ut præter alios abunde probant Lorius, (*In Ps. 21. n. 18.*) Calmetus, (*In c. 27. n. 35. Matth.*) & Suarius, (*In 3. p. T. 2. dis. 36. n. 4.*) ultra D. Augustinum, (*Advers. Faustum lib. 12.*) & Ambrosium, (*Lib. 10. in Lucam T. 1. Op. edit. Maur. col. 1527.*) qui in hac nuditate mysterium agnoscit : *Talis, inquit, in Paradiso homo primus habitavit, talis ad Paradisum homo secundus intravit.* Et quidem in more esse apud veteres, ut rei omnino nudi Crucifigerentur, clare colligitur ex Ariano, (*In Epist. 1. 4. c. 26.*) quem morem proinde cum Christo servatum fuisse dicendum est, dum contrarium certius non ostendatur.

89. Denique examinandum : Num Christus cum spinea corona fuerit cruci affixus ? Et dicendum, quod quamvis id non traderint Evangelistæ, attamen ex Tertulliano, (*Lib. contra Judæos*) apparet, veterem, & piam fuisse traditionem, illam Christi e cruce pendens capiti fuisse infixam : nec verisimile videtur, Hebræos voluisse illud tolli opprobrium, quo de affectato regno eum plebs indicabatur. Legimus præterea apud Saggitarium, (*Har. Hist. Pas. Chr. p. 2. pag. 667.*) affectati regni crimine convictos, cum ferrea corona capiti imposita populo videndus exponi. Advertendum insuper ex Sudario, de quo supra clare deduci Christum saltem ad Calvarium illam gestasse coronam. Postremo, vel corona, ex Origene, (*Apud Melonium in Elocidat. sigm. S. Sind. c. 12. n. 18.*) nunquam fuit detracta, quia hoc minime erat necessarium ad vestem inconsutilem detrahendam (bene enim poterat illa ex Suario, (*Cir. disp. 36. sect. 4.*) cum aliis, superne esse aperta) vel si detracta fuit, rursus ex Durando, (*In c. 14. l. 7. Revol. S. Birg. n. 2.*) & Ayala, (*cir. n. 6.*) æriori cum dolore capiti fuit imposita. Concludendum cum Gesnero, (*De Cruc. I. 1. c. 22.*) antiquas picturas, Scripturasque repræsentare Christum in Cruce pendentem coronatum.

90. 91. Nunc de Christi vestibus. De his res Evangelistæ tradunt fuisse inter milites divisas, & fortis etiam meminerunt. Sed per ea, quæ minutius tradit Joannes, (f) sunt intelligendi, quod scilicet vestes in quatuor partes seposuerint, unicuique militi partem; de tunica vero dixisse, *Non scindamus eam, sed fortiamur de illa, cujus sit.* Exequato-

ribus addicebantur vestes ultimo supplicio punitorum, juxta Leges apud Calmet; (*In c. 27. Mat. n. 35.*) quatuor autem fuisse Christi Crucifixo ex quadripartitis vestibus inferitur. Tunica inconsutis divisa non fuit, sed forti supposita; discissa enim nulli usui esset. Ejus formam late describit Calmet; (*In c. 15. Joan. v. 23.*) Eam a B. Maria textam, & infanti Jesu datam pia est opinio, & vetusta; nam illius meminit Euthymius. Ac si conjecturæ locus sit, eam Christus super interula adhibuisse, omnium vestium corpori proximam gestasse, eaque totum corpus ab humeris ad pedes videtur contexisse. Textam denique fuisse censemus cum Lamy, (*Harmonia Evang. l. 1. c. 34.*) ad illud exemplum, quo nunc ac tibialia texuntur; ad hunc prorsus modum integras quasdam tunicas texti consuevissent ostendit Braünius. (*De vestit. Sac. Heb. l. 1. c. 16.*) Tunica eadem asservari etiamnum dicitur Augustæ Trevirorum, eamque ab Helena Constantini Matre dono datam ferunt Agricio Episcopo, qui illam in sua condidit Cathedrali. Salmeron, (*In Nov. Testam. T. 20. tract. 18.*) autem, custodiri eam refert Argentolii, oppido haud longe a Lutetia Parisiorum distito.

92. 93. Pergunt Evangelistæ, ac narrant, quomodo Jesu in Crucem sublato illuderent Hebræi, ac amarulentissimis dicerent, quæ signatim memorant, insultasse. Addit Matthæus, (*c. 27. v. 39.*) capita movisse blasphemantes in eum. Movere autem consueverant, vel in admirationis signum, vel in commiserationis cum admiratione conjunctæ; & interdum etiam (ut hic evenit) in derisionis signum; quemadmodum passim legitur in Scriptura. (*Isai. c. 37. v. 22. Plem. 21. v. 6. Tren. 2. v. 16.*) Insuper adjungunt, Christum septies in Cruce fuisse locutum. Primo apud Lucam : *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* (*c. 23. v. 34.*) In prædicta verborum intelligentia non conveniunt Doctores. Angelicus Doctor ait, (*3. p. q. 47. a. 5.*) Judæorum Principes Christum Deum esse agnovisse, quod ex Joanne, (*c. 15. v. 22. & 24.*) probat; sed odio, invidiaque flagrantis, ignorare affectasse, cum manifestissima viderent Divinitatis Christi signa, quibus fidem non solum habere noluerunt, sed etiam omnia perverterunt. Minores vero, seu Populum mysteria Scripturæ cognita non habuisse, ac si quispiam eorum ex multitudinis miraculorum suspicatus sit, Christum esse Dei Filium, majorum Judæorum opera ab hujusmodi opinione fuisse revocatum; ideoque Christum,

ut est apud Acta, (c. 3. v. 17.) non agnovisse. Hinc contendit, Christum orasse non pro Principibus Hebræorum, sed pro Populo, & Gentilibus, qui eum Cruci quidem affixerant, sed ignorantia aliquo modo excusabantur.

94. Hæc est etiam Bedæ doctrina, quæ minime arridet Suario; (Cih. q. 47. a. 6.) contendit enim, Christum generatim pro omnibus orasse; excusationem autem ex ignorantia omnibus convenire potuisse, saltem ad veniam de perpetrato crimine impetrandam; quæ quidem ignorantia licet in Principibus fuerit affectata, aliquid detrahit de audacia, & contemptu Dei, quæ in Judæorum scelere continentur; præsertim, cum huic explanationi faveat D. Petrus. (Actor. c. 3. v. 17.) Adjungit Hæselius, (In Explicat. Pas. Chr.) Christum etiam orasse pro iis, qui odio, invidiaque, & pessima voluntate peccaverunt; de iis, namque verificari etiam potest, non enim sciunt, quid faciunt; vel quod peccati sui quantitatem ignorarent, vel quod in eo, qui omni comes est peccato, judicii errore versarentur. Et sane in Christo ad nostrum exemplum erat conveniens, ut sic oraret. Aliquibus autem ex primoribus Judæis profuisse hanc Christi orationem colligitur ex Scriptura. (Actor. c. 6. v. 7.) Alia via incedit Sylvius, (In 3. p. D. Thom. q. 47. a. 5.) approbansque D. Thomæ sententiam, adjungit Christum non orasse pro omnibus suis Crucifixoribus, sed pro iis solum, qui erant prædestinati, juxta illud Joannis: Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi, (c. 17. v. 9.) & insimul, quia, ut superius num. 7. 8. docuimus, omnis Christi oratio, quæ ex rationali, & deliberata voluntate proficiscitur, efficax fuit, uti colligitur ex Joanne. (cap. 10.) Verum qui dicat, Christum orasse pro omnibus, orationem ejus fuisse exauditam, omnibus a Deo orasse auxilia sufficientia ad salutem, est non omnes eam adepti sunt; is facile cimen videatur diluere difficultatem. Nam Christus dicens: ignosce, nihil quidquam aliud a Deo petit suis Crucifixoribus, quam auxilia, quibus opus est ad conversionem, & pœnitentiam: in præsentem enim providentia non nisi pœnitentibus, & conversis ignoscitur.

95. &c. Secunda Christi verba, refert Lucas, quæ ad Latronem, dicta fuerunt: Hodie mecum eris in Paradiso. (c. 23. v. 43.) Sed prius sciendum est, apud Matthæum, (c. 27. v. 38. & 44.) & Marcum, (c. 15. v. 27. & 32.) legi, Christum medium in-

ter duos Latrones Cruci fuisse affixum, ab illisque fuisse illud unicum Principibus, Turbaque universa, quod non bene coherere videtur cum Luca dicente, (c. 23. v. 39.) quod dum illorum alter in Christum convicia jaceret, ab alio fuisse reprehensum. At dupliciter conciliari possunt Evangelistæ. Ex D. Hieronymo, (In c. 37. Matth. T. 7. oper. edit. ver. col. 235.) 1. ait enim principio utrumque Latronem in Jesum maleficta, conviciaque conjecisse; postea vero, visis miraculis, eorum alterum respicisse. Ex D. Augustino, (De consens. Evangelistar. l. 3.) 2. contendit namque, Matthæum, & Marcum adhibuisse modum loquendi, qui frequens est in Sacris Litteris; (Ps. 2. v. 2. Actor. c. 4. v. 6. & sæpe alibi.) ubi sæpe pluralis pro singulari numero ponitur; quam quidem explanationem quodam Scriptore teste, (Auct. Synops. Critic. Sac. in Mat. c. 27. p. 677.) libentius Interpretes sunt amplexi. Atque etiam multo verisimilius est, de uno tantum Latrone Evangelistas loqui; nam qui bonus potuisset Latro alterum, quod blasphemaret, si increparet ipse paulo ante blasphemasset? De Latronum nominibus, Martyræ dicendus, an Confessor bonus Latro, alibi idem Benedictus XIV. (De Canonibz. Sanct. l. 4. part. 2. c. 12. n. 10. differuit; nos vero ad verba, quæ dixit Jesus, progrediamur.

98. 99. Et sciendam ex Epiphanio, (Heres. Marcion.) Marcione prædicta verba ex Lucæ Evangelio sustulisse; ex Origene vero iidem fuisse deleta a quibusdam simplicioris ingenii Catholicis, existimantibus hoc congruere minime posse cum eo, quod Christi Corpus eo die jaceret in Sepulcro, Animæque in Sinu Abrææ descenderit; ut inde Patriarcharum animas secum abduceret; Helychium denique Jerosolymitanum post vocem Hodie ponendum comma arbitrari, ita ut sensus sit: Tibi dico hodie, mecum eris in Paradiso. Verum opus non est tanto molimine ad prædicta verba recte intelligenda. Igitur, omittis variis interpretationibus, quas recenset Maldonatus, (In c. 27. Mat. n. 44.) & Benedictus XIV. hic; unam Augustini, (Epist. 187. alias 57. ad Dardan. c. 3.) & Thomæ, (3. part. quæst. 52. art. 4. ad 3.) proferamus, qui ea intelligunt de Spirituali Paradiso, non in Cælo, quo Christus illa venturus non erat die; sed in Limbo, quo erat proxime descensus secunduam humanam animam; quocumque enim loco Christus suam claræ explicat visionem, ibi existit Paradisus.

100. 101. Tertia, quæ Christus protulit ver-

verba, sunt illa ad B. Virginem dicta: *Mulier, ecce filius tuus; & ad Discipulum; Ecce Mater tua.* (Joann. c. 19. v. 26. 27.) Mariam non Matris nomine appellat, *Ne Materna pium cruciaret viscera nomen*, ut cecinit Joann. Bapt. Mantuanus. Ut autem præcipuum suum in Matrem audorem declararet, ei dixit, ut Joannem deinceps in filii loco diligeret; iidemque Joanni, ut B. Mariam perinde ac Matrem coleret: quod abunde Joannes implevit; omni enim officio, & pietatè B. Mariam semper coluit; domi secum habuit, & in Palæstina, & Ephesum profectus, ubi B. Mater ex hac vita ad Cœlum convolvavit. Ex hac Christi commendatione Joanni facta arguunt Interpretes apud Natalem Alexandrum, (Ad c. 19. Joann. n. 25. & seq.) D. Josephum tum temporis in vivis non fuisse. Quod attinet ad Mariam Magdalenam, alibi de ea redibit sermo; Maria autem Cleophae, juxta probabiliorem sententiam, Soror B. Mariæ fuit, & uxor Cleophae, qui Jacobi Minoris Pater fuit. Has duas cum Joanne Evangelista, & B. Virgine Mariâ Cruci adlitisse, testatur idem Joannes. (Loc. cit.)

102. Quarta Christi verba sic referuntur a Matthæo: *Clamavit Jesus voce magna, dicens: El i Eli, lamma sababthani! hoc est, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (c. 27. v. 46.) Cohæret Marcus, (c. 15. v. 34.) cum sola mutatione *Eli in Eloi*, quæ duo verba Hebraica æque significant *Deus meus*, & utroque modo dicebatur, teste Maldonato; (In c. 27. Matth. n. 47.) qui etiam censet, Christum usum fuisse voce *Eli*, nam, juxta Evangelistas, puterunt aliqui ex adstantibus, quod Jesus Eliam inelamaret. Hinc dubitatur, cujus verba illa fuerint idiomatis? Et cujus nationis adstantes, qui ea non intellexerint? Et ad i. dicimus Syriaca fuisse verba; nam post reditum a Babylonia Hebræi vulgo ea usi sunt lingua, quæ ex Hebraica, & Caldaica simul permixtis coaluit: Ad 2. dicendum, quod cum Maldonato citò existimare, Romanos fuisse, utpote linguæ Hebraicæ imperitos; & quia Matthæus, & Marcus narrant, illum, qui Christo acetum obtulit, fuisse unum ex dicentibus, *Eliam vocat iste*; Lucas autem scribit a militibus oblatum Christo fuisse acetum: ex quo confici videtur, Romanos milites fuisse, qui Christum invocare Eliam crediderunt. Ast alii animadvertentes, Romanos Eliam fuisse plane ignofum, putant, Judæos fuisse Hellenistas, qui Hebraicæ quidem linguæ imperiti, quis tamen esset Elias, probe noverant.

Alii denique arbitrantur, Judæos fuisse Hierosolymitanos, qui licet linguæ periti, se non intelligere simularunt, ut Christum iriderent. Vide a Lapide, & Natalem Alexandrum. (Uterq. in c. 27. Matth.)

103. Ulterius: Verba: *Deus meus &c.* desperantis fuisse, nefaria est Calvinii blasphemia: fundatur autem in eo, quod, ut pro nobis satis faceret, omnem Dei iram experiri Christum oportuit, & proinde etiam damnatorum pœnas, quarum una est desperatio. Verum hæc horribilis blasphemia sese ipsa jugulat. Si enim Christus desperavit, graviter profecto peccavit, nec propterea Dei iram placavit, quinimo magis incendit. Accedit, quod Christus morti proximus, dixit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*; quæ profecto verba non sunt desperantis. Statuendum igitur, desperantis non fuisse verba, sed precantis, uti Græco, Hebraicoque fonte hausit Glastius; (Lib. 5. tract. 2. cap. 5.) vel per illa significari acerbissimos dolores, & amaritudines, quas Æterni Patris jussu perfererat, ut omnia omnium crimina expiaret, quibus se reum supposuerat. Videatur D. Leo. (Serm. 65. & 66. de Pas.) Vel denique ad ostendendum, suam humanam naturam nihil solatii debiti ob unionem Divinæ Personæ accepisse; acerbissimas namque pœnas, ut purus quilibet homo, voluit sentire. Denique animadvertendum, Christum in hac sua prece usum fuisse nomine *Deus*, cum paulo ante, & postea, *Patrem* vocaverit. Et ratio poterit esse; quia non conveniebat, ut *Filius* diceret se a *Patre* derelictum; cum ea voce *Pater* (quia utitur, quando & peccatoribus a Deo misericordiam petit, & Spiritum suum Deo commendat) summa inter eos charitas, & conjunctio significetur; non autem inconvenienter dicitur, creaturam, idest, hominem, a Deo relinqui in pœnis, quia Deus est totius creature Dominus. Sic Estius. (In c. 27. Matth.)

104. &c. Quinto locutus est Jesus, dicens: *Sitis*, & continuo porrectum fuit ei acetum. Sic Joannes, (c. 19. v. 28. 29.) causam afferens, cur Christus id dixerit, scilicet: *Ut consumeretur Scriptura, dixit: Sitis.* Cæteri autem Evangelistæ mentionem solummodo faciunt de acetum porrectione. Alludit autem Joannes satis clare ad illud Davidis: *In siti mea potaverunt me aceto.* (Ps. 68. v. 22.) Sitis hæc provenire potuit ex abstinentia cibi, & potus; ex vigiliis, ita, redituque violentis; ex maxima sanguinis amissione, infinitaque cruciatuum copia. Videat-

deatur Joanne Jacobus Scheuchzerus. (*Physic. Sacr. in text. S. Joan. c. 19.*) Modo de apparenti Evangelistarum discrepantia, ex qua arguunt nonnulli, S. Cyrillo sibi duce adscito, sæpius Christo oblatum fuisse acetum. Nam præter silentium memoratum, scribunt Matthæus, (*c. 27. v. 48.*) & Marcus, (*c. 15. v. 36.*) dicto, *Lammalababani*; exhibitam fuisse acetii potionem; Joannes denique dicto, *Sitio*. At nullam hic intercedere discrepantiam, nec plurimas acetii potiones fuisse ostendit Suarez; (*In 3. p. T. 2. disp. 37. §. Majorem*) quia exploratum omnino est, multa scripsisse unam Evangelistam, quæ ab aliis tacentur, aut non adeo digeste narrantur. Itaque nihil mirum, quod Joannes, qui enucleate omnia, quæ contigerunt in Christi Passione, descripsit, aliquid amplius narret, quod alii quidem tacent Evangelistæ, non tamen negant. Quoad alia vide a Lapide. (*In c. 27. Mat. n. 49.*)

107. &c. Cur autem, & quomodo acetum illi fuerit oblatum, difficilium dictu est. Dicunt enim Matthæus, & Marcus spongiam aceto plenam, arundini fuisse impositam; Joannes vero, sic ait: *Spongiam aceto plenam hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus*: (*c. 19. v. 29.*) est autem hyssopus herba humilis, & mollis, ut patet, ex 3. Regum. (*c. 4. v. 33.*) Hinc aliqui censent Interpretes, hyssopum aceto fuisse permixtum, eoque liquore imbutam spongiam. Alii hyssopum pro funiculo adhibitum, quo spongia calami alligaretur. Alii calamicum putant, implexis hyssopi ramusculis intextum, quod madida spongia contineretur. Calmetus (*In c. 27. Matth. v. 48. & c. 19. Joan. v. 29.*) cum aliis videtur sentire, hyssopum calami vices suppluisse: quod, qua ratione sustineat, apud illum vide. Sed maxime videatur Maldonatus, (*In cit. c. 27. Matth.*) rem hanc susceptrans. Quo ad acetum verisimile putat idem Calmet cum aliis fuisse a militibus allatum ad propriam sitim sedandam, cum & diu essent ibi permanfuri, crucifixos custodientes, & alias certissimum sit, *milites Romanos, & pauperes alios acetum vini loco bibisse*, ut testatur Auctor Synopsis Criticæ Sacr. (*In c. 29. Jo. p. 1373.*) Christo autem illud oblatum, tum quia potio ingrata, & acerba infaetis, tum quia Semianimes reficit, & vitam producit appositum ori, aut naribus, eaque prolata, cruciatus prorogaretur, & in hoc postremo consentit Baronius. (*Ad an. Chr. 34. n. 121. & seq.*) Id autem non a Judæo aliquo, sed a milite factum, eru-

tur ex Luca. (*c. 23. v. 36.*) Prædictas sententias satis sit retulisse, cum minutæ circumstantiæ, circa quas versantur, nec ex traditione, nec ex Scriptura, satis clare constant.

112. Sexta Christi verba fuere: *Consummatum est*, uti legitur in Joanne, (*c. 19. v. 30.*) ut ostenderet, teste D. Leone, (*Ser. 53. de Passione 4. p. 123. T. 1.*) impleta jam esse oracula, illique, quas prædixerat, acerbitatibus omnibus se jam esse perfundum; minime autem (uti Lutherani, & Calvinistæ volunt) omnia Sacrificia esse expleta, nullum deinceps aliud offerendum; nihil jam reliqui esse ad plenam satisfactionem nostram, atque sanctificationem. Non negamus inter veteres Scriptores nonneminem fuisse, qui per illa verba contendat, Christum significare voluisse veteris Legis figuras impletas. Verum quid huic interpretationi cum tollendo Missæ Sacrificio, & satisfactione nostra, quod intendunt Hæretici, & contra, Interpretes illi firmissime adstruant?

113. &c. Postremo de septimis Christi verbis: *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*; quæ tradit Lucas; (*c. 23. v. 46.*) qui una cum Matthæo, (*c. 27. v. 50.*) & Marco, (*c. 15. v. 37.*) testatur, Christum ea protulisse magna voce, & clamore proveniente, juxta a Lapide, (*In c. 27. Mat. v. 50.*) ex viribus a Divinitate adhibitis; cum non sit intra vires naturæ tantus clamor in homine tot cruciatibus fracto, ac in ipso mortis limine, in quo solet frequenter vox deficere; ex quibus non sine miraculo clamasse Christum affirmat. Verum D. Thomas, (*3. p. q. 47. a 1. au. 2.*) docet, Christum, ut declararet non per vim sibi animam adimi, robur corporis ita conservasse, ut in extremo vitæ momento, vocem tanto clamore potuerit tollere. Undecumque autem vires proveniant, apertissimum certe miraculum est, quo commotus Centurio, juxta Marcum, (*c. 25. v. 39.*) Christi Divinitatem fassus est. Nec dissentiunt Matthæus, & Lucas, dum id tribuere videntur terræmotui, optime enim potuit Centurio his omnibus commoveri, idque non obscure indicat Matthæus, dicens, id contigisse *viso terræmotu, & his, quæ fiebant*: (*c. 27. v. 54.*) & Lucas: *Videns autem Centurio, quod factum erat, glorificavit Deum, &c.* (*c. 23. v. 47.*) Nulla etiam, Augustino monente, (*Lib. 3. de consensu Evangelistarum c. 20. T. 3. edit. Mar. par. 2. col. 130.*) discrepantia inest in verbis Centurioni attributis a Matthæo, & Marco; *Vere hic homo filius Dei erat.*

erat, & a Luca: Vere hic homo iustus erat: nam vel utrumque dicit Centurio, vel Lucas sensum voluit exprimere, quo Centurio Jesum dixit Filium Dei, eo mirum, quo ceteri iusti filii Dei appellantur; quia forte nondum intellexerat, eum esse Unigenitum, & æqualem Patri. Huic Centurioni quidam cum Menologio Græcorum, (*Ad diem 16. Octob.*) ut videre est apud Bollandistas, (*ad diem 15. Martii.*) & alios, Longini nomen tribuunt; qui, militia dimissa, Fidem amplexus, Martyrio fuit coronatus. In ecclesia autem Latina alius a Centurione est Longianus, qui miles cum esset, Christi latus lancea trajecit. Ex quo concludit Cardin. Gottus, (*De verit. Rel. Chr. t. 4. p. 1. in fin. c. 31. §. 2. n. 25.*) nihil posse statui de Centurione, ejusque nomine, & Martyrio.

116. &c. Ad prodigia deveniamus. Primum illud est universæ terræ obscuratio ab hora sexta, id est, a meridie, usque ad horam nonam, id est, usque ad tres horas post meridiem, de quo Matthæus, (*c. 27. v. 45.*) Marcus, (*c. 15. v. 33.*) & Lucas, (*c. 23. v. 44.*) Licet autem Heterodoxus Bineus, (*de mort. Chr. l. 3. c. 8. p. 109.*) existimet solam Judæam fuisse tenebris involutam; attamen, ut alibi idem Benedictus XIV. (*Lib. 4. de Canon. Sanct. p. 1. c. 25. n. 5. & seqq.*) disseruit ex testimonio Phlegontis Hadriani Imperatoris liberti, universo orbi Solis lumen fuit ademptum: idemque confirmat Theophytarus, (*in c. 27. Matth.*) Addit Huetius, (*In demonstrat. Evangel. propos. 3.*) Hadrianum Gressonum in Historia Sinensi adnotasse in illis Regionibus eodem illo tempore visam Solis extraordinariam Eclipsim, quæ Quamvultium Imperatorem vehementer commovit. Nec pro nostra sententia desunt etiam Heterodoxi Auctores, præcipue Sagittarius, (*Part. 2. Hist. Pas. Chr. c. 17.*) Secundum Prodigium fuit veli Templi discissio a summo usque deorsum, de quo Matthæus, (*c. 27. v. 51.*) Marcus, (*c. 15. v. 38.*) & Lucas, (*c. 23. v. 45.*) Et licet hic scissuram cum Solis obscuracione conjungat, se deinde Christi referat mortem; ceteri autem Evangelistæ scissuram inuuant simul ac Christus expiravit, id fecit juxta Augustinum, (*De consen. Ev. l. 3. c. 19. supra citato.*) ut narratione, duo miracula conjungeret, præoccupans videlicet, quod expirante Domino factum est. Templum in tres erat partes divisum; quarum prima erat Atrium; interior altera, quæ dicebatur Sanctuarium; tertia, quæ Sanctissima omnium erat, San-

ctum Sanctorum appellabatur. Prima Populo, altera Sacerdotibus patebat; tertiam adire Summo tantum Sacerdoti licebat, & semel quidem in anno, in die expiationis. Duobus ex parte velis separabantur, quorum unum ante Sanctum Sanctorum oppansum; alterum ante Sanctuarium, ut constat ex Origene. (*Tract. 75. in Matth.*) Tabernaculum Moysis tertium addebat velum, loco scilicet parietis in quo erant postea Templi fores, ut ex Josepho, *c. 5. antiq. Judaicar. l. 6. de Bello Judaic.* colligit Sagittarius. (*Par. 3. Hist. Pas. Chr. c. 1. §. 5. & 6.*) Hinc quaeritur, interius ne velum, an exterius scissum fuerit.

120. Exterius velum fuisse discissum videtur Hieronymo (*Ep. 130. ad Hedibiam; q. 8. T. 1. oper. cit. edit. Col. 826.*) ex ea mystica ratione. Quia nunc ex parte videmus & ex parte cognoscimus. Cum autem venerit, quod perfectum est, tunc & velum interius disrumpendum est, ut omnia, quæ nunc nobis abscondita sunt domus Dei, Sacramenta videamus. Consentiant, præter alios, Baronius, (*Ad an. Chr. 34. n. 127.*) Gotus, (*Luc. cit. c. 41. §. 2.*) & Lamy, (*Harmon. Evang. l. 5. c. 26.*) recte addens, si fuisset intimum velum discissum Sacerdotum dumtaxat oculis objectum fore illud miraculum, & quidem ea tantum hora, qua Sanctuarium ad lucernas accendendas, & thura adolenda ingrediebantur. Contra S. Leo Magnus, (*Ser. 10. de Passion.*) & Cyrillus Alexandrinus, (*In c. 19. Joann.*) putant interius velum fuisse confissum, quod Sancto Sanctorum pratexebatur, quam sententiam, ut communem, nunc fere omnes sequuntur, apud a Lapide, (*In c. 27. Mat. v. 52.*) & Natalem Alexandrum, (*Ad cit. c. §. 6.*) atque Calmetum, (*Ad cit. cap. 51.*) qui observat D. Paulum (*Ad Heb. c. 10. v. 20. 21.*) hanc confirmare sententiam; scribit enim, Christum, utpote Summum Sacerdotem, Sanctuarii viam per velum, id est, per corpus suum, nobis patefecisse: Scissuram namque veli ante Sanctum Sanctorum oppansi significat per mortem Christi patefactum nobis iter ad Cælum, disjectas Legis umbras, verumque Pontificem ad intima Templi adyta ingressum, ut omnes homines a peccato liberaret. Sed, hoc non obstante, Suarius, (*T. 2. in v. p. disp. 49. sect. 2.*) & Casaubonus, (*Exerc. in Baron. n. 90.*) res hæc videtur non constare. De causa scissuræ hujus varias sententias refert Maldonatus, (*In c. 27. Matt. n. 51.*) Ea vero est Euthymii, & Theophylacti, (*In Matt.*) voluisse Deum signi-

ficare a Templo Divinam recessisse Gratiam, & quo nulli fas esset antea ingredi, eo pateret omnibus aditus. Ad hanc sententiam alludit D. Hieronymus, (*In Isa. c. 52. to. 4. oper. cit. edit. col. 505.*) Postremo de veli materia. Illud fuisse probe textum intimum, non pellucidam, ne cujusquam oculis pateret Sanctum Sanctorum, nisi Summo Sacerdoti introeunti, existimavit Rivetus (*In Exod. c. 26. v. 31.*) veterum Hebræorum sequutus sententiam. Densum fuisse, & firmæ materiæ, figuris segmentatis distinctum, nec pellucidum, nec ulla ex parte alligatum, ut, ne venti quidem flatu commotum, ullo modo posset discindi, notavit Sagittarius, (*Loc. cit. num. 13.*) miraculi magnitudinem fufe expendens.

121. 122. Tertium miraculum, de quo Matthæus, (*c. 27. v. 51.*) fuit terræmotus, lapidum scissura, monumentorumque apertio. De terræmotu alibi idem Benedictus XIV. (*Lib. 4. de Canon. Sanctor. 1. par. c. 25. n. 31.*) ubi observavit, quedam esse ostentorum, & miraculorum genera, quæ prodigia quidem sua propter circumstantiss, in quibus eveniunt, illis autem semotis, naturæ vires non superant; & ejusmodi fuisse hunc terræmotum; cum eo ipso tempore eveniret, quo Dei Filius iniquissime sibi illatam mortem oppeteret; & quia, illo perspecto, multi palam confessi sunt Crucifixi ipsius Divinitatem, quæ omnia notavit etiam Posnerus. (*Dissert. de Singularib. & mirand. quæ mort. Chr. in natur. ac. ciderunt; num. 26.*) Ex quibus omnibus recte deducitur eum non caruisse mysterio. Queritur, in Judæa an tantum, ne alibi etiam concussa terra sit, petra disrupta, & aperta monumenta? In Judæa sola hæc accidisse docet Origenes. (*Tract. 35. in Matth.*) Verisimile tamen est, id quoque etiam extra Judæam evenisse; nec desunt apud Baronium, (*Ad an. 34. n. 23.*) & alios monumenta ex Historia de prompta; veterique traditione esse acceptum adjungit Grefferus, (*Lib. de Cruce cap. 33.*) Alvernæ montem in Etruria, & Promontorium prope Cajetam eo terræmotu esse difflata, ut hodie apparent. Et sane Phlegon terræmotum idem, ut Solis deliquium commemorat; & D. Thomas, (*3. p. q. 44. a. 4. ad 3.*) docet petras esse disruptas ad ostendendum per Christi Passionem emolienda fore lapidea hominum corda totumque mundum ipsius Passionis virtute in melius commutandum. De Sanctorum resurrectione alibi dicemus. Hic tantum notamus, nonnullos docere, eos apertis monumentis ipso mortis Christi momento, vel paulo post, re-

vixisse, & cum Jesu ad Inferos descendisse; sive etiam antequam Christus resurgeret revocatos ad vitam, extra Hierosolimam delituisse; quam ingressi sunt postquam ille ad vitam rediit. Sic Lamy. (*Concor. Evang. l. 3. cap. 36. pag. 600.*) Verum communis sententia est, apud Suarez, (*Loc. cit. §. In quibus dubitari potest.*) tremefacta terra, monumenta quidem in Christi morte aperta esse, Sanctos vero non nisi simul cum Christo revixisse.

123. Prædictis prodigiis illud quodammodo addi potest, quod narrat Plutarchus, (*Lib. de destis oraculis.*) & cum tempore mortis Christi congruit. Cum nimirum in Italiam tenderet, & jam Echinas insulas præter navigaret navis Rector, Thamus nomine, Ægyptius, remisisse ventum, auditamque vocem ad Paxas insulas, quæ Thamus appellaret, juberetque ipsum, ubi primum ad portum Pelodem appulisset, clamare *magnum Pana esse mortuum*; quæ vox rerum omnium Parentem, & naturæ Auctorem significat: Thamus autem ubi paruisset, eamque, quam justus fuerat, vocem edidisset, ejulatus auditus esse, quasi Panos obitum gementium. Pervenisse id ad Tiberium Cæsarem, qui ex ipso Thamo de re gesta certior factus, hominum eruditorum ea super re sententiam exquisivit. Æmilianus Rhetor apud Plutarchum narrat, id a Patre Epithese, rei ipsius teste, sibi traditum. Serry, (*Exercit. 57. n. 8.*) prædictam narrationem veluti globalem explodit; nihil enim de ea Tertulliano, Justino Martyri, aliisque veteribus Patribus innotuisse comperimus. Baronius, (*Ad an. Chr. 34. n. 129.*) de ea dubius videtur. Nos vero cum Cardin. Gotto, (*Loc. cit. c. 31. §. 2. num. 22.*) & aliis quamplurimis, nihil de hujus historiæ fide detractum volumus; fatemurque cum Tillemontio, (*Nota. 37. ad Vit. Jesu Chr.*) nescire quamobrem ea historia reicienda sit, quamvis non sit de earum numero, quibus Christiana Religio, tanquam fundamentis inædificata est.

124. 125. Ad Historiam redeamus. Narrat Joannes, (*cap. 19. v. 31. & seq.*) Judæos rogasse Pilatum, ut, imminente Sabbatho, non remanent in Cruce corpora inhumata. Lex enim lata erat in Deuteronomio, (*cap. 21. v. 22. & 23.*) ut punitorum cadavera non remaneant in ligno suspensa, sed eadem die sepeliantur. Rogasse præterea, ut per eum liceret, Christi, duorumque Latronum crura frangi; quod cum impetrassent, duobus quidem Latronibus milites crura frangerunt, non sic Christo, quem jam mortuum re-

repererunt. Romani, ex Lamy, (*cit. Diss. de cruc. §. 8.*) & Josepho, (*In vite sua lib.*) cruciarios sinebant vitam producere, nec eis mortem accelerabant; nec cruce deponebant, nisi mortuos, & aliquando etiam tabe profluentes. Ex quo specialiter id a Pilato petendum fuit, ut citius mori cogerentur, & sepeliri possent ante Sabbathum, ne cujus diei solemnitas funestaretur. Crucifragii poena in illa crucifixionis non continebatur, solumque aliquando addebatur pro delictis gravioribus (ut colligitur ex Svetonio, scribente, Augustum crurium fractione multasse hominem, qui sibi erat a secretis, ob arcanum proditum) vel cum vilissima esset fontium conditio, ut ex Plauto eruitur; vel denique ex miserationis affectu, ne tandiu cruciarentur, teste Lipsio. (*De Crue. l. 2. c. 14.*) Addit Lactantius, (*Lib. 4. cap. 26.*) Judæorum moris esse crucifixis ossa suffringere, quo citius morentur.

126. Postremo monet Joannes, duas tunc impletas scripturas: *Os non comminuetis ex eo: & videbunt in quem transfixerunt.* Prima habetur in Exodo, (*cap. 12. v. 46.*) in quo præscribitur, Agnum Paschalem, Christi figuram, ita comedendum, ut os illius non confringatur. Hinc quærant aliqui, quomodo vere dici possint, Christi ossa non fuisse fracta; cum clavis perforati sint pedes, quorum ossa ita arctissime junguntur, ut transigi pedes non possint, quin ea confringantur? Sed post Vossium respondet Saggiarius, (*part. 3. Historia Passion. Chr. c. 2. n. 45.*) clavam eo adaptum, ubi firmissime ossa inter se conjunguntur, & laxata quidem fuisse sane cum maximo Christi dolore, non tamen fracta. Si cui tamen responsio non satisfaciatur, recurat ad Dei potentiam, qui optime novit, quonam modo utrumque fieri possit. Denique testatur D. Lucas, (*cap. 23. v. 48.*) spectatores, cum vidissent ea, quæ contigerant, percutientes pectora sua Hierosolymam revertisse; in quo impleta est Scriptura a Joanne memorata, scilicet Zachariæ locus: *Et effundam super Domum David, & super habitatores Hierusalem Spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent cum planctu quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti.* (*cap. 21. v. 10.*)

127. &c. Jam de milite, qui Christi transfodit latus, & an fuerit dextrum, vel sinistrum? Quoad primum dicendum in Ecclesia Occidentali, ut supra docuimus, Longinum

fuisse appellatum; qui, uti ferunt, in Capadociam secessit, ubi Fidem Christi prædicavit, & martyrii coronam fuit consequutus. Pictores equo illum insidentem pingunt, sed viri docti, apud Calmet, (*Incap. 19. Joan. n. 34.*) contendunt peditem fuisse militem; quia lancea propria erat Romani peditatus: Quoad secundum dicendum, dexterum latus fuisse transfixum; uti ait Beda, (*In Lib. Reg. q. 11.*) Communem hanc appellat sententiam, Ayala; (*Pict. Chr. l. 3. c. 18. n. 9.*) & vetustissimæ eam confirmant picturæ, ut Sindon Taurinensis; & Sudarium Vesuntinum apud Chisletium, (*De Lintheis sepulchral. Chr. c. 31.*) in quibus exhibetur cicatrix in sinistro Sindonis latere, quod dexterum Christi contexit; & insimul aurei numismatis ætypon exhibitus a Gresero, (*Lib. 1. de Crue. cap. 35.*) ubi, qui lanceam tenet, ad dexterum est Christi latus, ad sinistram ille, qui spongiam arundini impositam gestat. Tandem de Sanguine, & aqua, e Christi latere manantibus, quæ hic dicenda erant, videantur in Synopsi de Canonizat. Ss. l. 4. p. 1. c. 31. num. 6. Hic tantum addimus, Calvinum negasse quidem in hac re fuisse, quod miraculo tribui debeat; at ab eo discesserunt ceteri Calvinistæ, præsertim Lindemius, & Caspar Polnerus. (*Dissert. supra cit.*) De Lancea vero, quæ Christi latus transfixum est, alibi idem Benedictus XIV. (*Lib. 4. de Canoniz. Ss. p. 2. cap. 31. n. 8. & seq.*) ubi scripsit, superiorem ejus partem a Bajazeto Turcarum Rege Innocentio VIII. dono missam, nunc in Vaticana Basilica magna veneratione coli: ejusdem vero Lanceæ cuspidem S. Ludovicum Francorum Regem a Balduino 11. Constantinopolitano Imperatore accepisse, eamque in Regio Sacello Lutetia Parisiorum collocasse.

130. Jam de Christi Sepultura. Narrat Mattheus, (*c. 27. v. 57. & seq.*) & Marcus (*c. 15. v. 43. & seq.*) Joseph ab Arimathæa fidenti animo Pilatum convenisse, & ab eo Christi corpus postulasse. Pilatum vehementer miratum Christum jam esse mortuum; & accersito Centurione, ubi de eo certior factus est Jesum obiisse, Josepho Jesu corpus donasse, Josephum, sindone coempta, Divinum cadaver involuisse, & in monumento suo (*in quo, adjungit Lucas, (cap. 23. v. 53.) nondum quisquam posuisset fuerat*) quod exciderat in petra, deposuisse, magnoque saxo monumenti ostium occlusisse. Addit huic narrationi Joannes, (*c. 12. v. 39. & seq.*) Nicodemum, qui nocte, quæ præcessit, proxima advenerat,

allata secum mixtura myrrha, & aloes pon-
do quasi libras centum; Josepho se comitem
addidisse, eique in sepeliendo Jesu operam
adhibuisse; utrunque fasciis quibusdam San-
ctum Corpus Hebræorum more, aromatibus
perfusum involvisse, & in Sepulcro, (quod
Evangelista indicat fuisse in horto) depo-
suisse. Admirationem movit Pilato Christi
mors, vel quod ipsa experientia perspectu-
erat, Cruci affixos, si ætate florent, in
plures dies producere vitam; vel quod Pi-
latus Christum arbitratus Divinum hominem,
crediderat illum vel numquam moritutum,
vel a Crucis supplicio se se fuisse ereptu-
rum: quamobrem, ut Lamy, (*Harmon
Evangel. v. 5. c. 37.*) observavit, ab ipso
Centurione, cujus erat curare Crucis suppli-
cium, de Christi morte certior fieri vo-
luit.

131. Modo inquirendum, quis fuerit Jo-
seph ab Arimathæa, & Nicodemus? Et di-
cendum ex Evangelio constare, Josephum
virum nobilem, Decurionem, & Christi Dis-
cipulum fuisse, qui, utpote vir probus, &
justus, etsi in Synedrio fuerat, cum Chri-
stus est condemnatus, teste Luca; (*cap. 15.
v. 4.*) non probavit acta ejus Concilii.
Nicodemum Joannes, (*cap. 3. v. 1. & seq.*)
Pharisæum, & Principem Judæorum appellat;
eumque narcat noctu Jesum convenisse, &
in eo, quod cum illo habuit colloquio, di-
xisse, se probe scire, neminem ea signa fa-
cere posse, quæ Christus ederet, nisi cum
illo esset Deus. Eum autem jam tum ad
Christi doctrinam animum adjecisse oportuit,
tum quia orta contentione de Christo, teste
Joanne (*cap. 7.*) quis, qualisve esset, ita
Jesum defendit, ut in suspicionem venerit,
se doctrinam Christi sectari: tum etiam;
quod Josepho ad sepeliendum Jesu Corpus
operam dederit.

132. Unde laus tota Josephi est, quod
Christi Corpus a Pilato petierit; qui facile
illud Josepho permisit, quia sibi numquam
persuadere potuit, Jesum seditionis, aut per-
duellionis reum fuisse: constat enim, ut
observat Grotius, (*In c. 27. Matth.* non-
nisi Judicis permisso licuisse cadavera ulti-
mo supplicio punitorum sepultura mandari;
nec Judicem ægre ejusmodi veniam dare so-
litum, nisi forte seditionis, aut perduellis ca-
daver deposceretur. Nicodemi vero laus est,
quod centum libras myrrha, & aloes con-
tulit; cum ex Lamy, (*Concord. Evan-
gel. 5. c. 37.*) satis fuisset perungendo, cor-
pori ternas quaternasve; quod quidem si-
gnum est opulentia Nicodemi, & non parci
affectus. Uterque denique præclare meritis,

quod Sacrosanctum Corpus perunctum fasciis-
que alligatum, Hebræorum more, sepelierint.

133. De hac Hebræorum consuetudine in
funeribus, & sepultura felse disseruit Calmet.
Judæi enim aromatibus perungebant cadave-
ra, ne putrescerent. Insuper totum corpus
longis institis, seu fasciis oleo aromatibus
permixto perfusis constringebant, capite ex-
cepto; faciem velo lineo tegebant; Sindo-
nem denique super corpus fasciis colligatum
obtendebant, Totam colligitur ex Joanne,
(*cap. 11. v. 14.*) de Lazaro revivificante,
loquente; ex eodem, & aliis Evangelistis
hæc omnia ad Jesum sepeliendum fuisse ad-
hibita. Misticas quasdam de myrrha, & aloe
observationes, itidemque de horto, in quo
Jesús fuit sepultus, legere licet apud D.
Thomam. (*3. p. 9. 5. ar. 2.*)

134. Postremo animadvertendum, Christi
Corpus in sepulcro novo fuisse conditum,
ne, ut notat Hieronymus, (*In c. 27.
Matth.*) cum Christus revivisceret, calumi-
niaretur quispiam non Jesum, sed alium ab
eo surrexisse. De Sacra Sindone, qua cor-
pus Jesu est involutum, loquuntur Evangeli-
ste, eamque Fideles Taurini venerantur;
qua in re plura assert alibi idem Benedictus
XIV. (*Lib. 4. de Canoniz. Ss. p. 2. c.
31. n. 17. & ibi Synop.*) Sed ad imminuen-
dam fidem prædictæ Sindonis Taurinensis,
nullam fuisse adhibitam contendit Heterodoxus
Schmit; (*Dissert. de Fasciis in T. 318.
Miscellan in Bibliot. Cardin. Passionis.*)
sed quod Joannes vocat *lincea*, seu fascias,
id cæteros Evangelistas Sindonem appellare.
At incassum. Alia enim est Sindon, alia fa-
scia; & licet unus Evangelista referat fa-
sciam, alii Sindonem, hoc minime pugnat;
ut in pari casu, jam alibi notavimus; præ-
sertim vero, si & illud omisum sit, & aliud
præterea narretur; quia tunc alteruter Evan-
gelistarum alterius narrationem supplere cen-
sendus est, & illustrare.

135. Ad Passionis Dominicæ historiam ab-
solvendam superest annum, horam, diem-
que, quo mortuus est, innuere. Quod ad
emortualem diem pertinet, vetus est, & per-
petua Traditio vigesimam quintam fuisse
Martii diem; uti constat ex Tertulliano,
(*Contra Judæos cap. 8.*) Chrysostomo,
(*Homil. in Nativ. Jo. Bapt.*) & Augusti-
no. (*Lib. 18. de Civit. Dei c. ult.*) Ad
huncmet diem testatum Henschenius Bol-
landiani operis continuator, præter Mar-
tyrologia typis impressa, se vidisse alia
quatuor, & viginti manuscripta in pluribus
Europæ Bibliothecis, in quibus omnibus Je-
su mortem adnotatam comperit præfata die.

Insuper: etiamnum extat in Basilica Vaticana simul cum statua S. Hippolyti Martyris, & Episcopi Portuensis Canon Paschalis in Tabula marmorea incisus anno Christi 222. qui repertus est in Agro Verano anno 1551. in quo habetur: *Octavo Kal. Aprilis Pascho Christi*. Eapropter tradit Waldingus; (*De Scriptor Min. & T. 2. Annal.*) erroris suspicione notatum, condemnatumque fuisse Rogerium Boconem Ordinis Minorum, Mathematicarum disciplinarum peritissimum XIII. seculo, existimantem, Christum 3. Aprilis die mortuum esse. Eandem questionem XIV. seculo in quibusdam publicis Thesibus Senis (ubi tum cum Romana Curia Eugenius IV. morabatur) ausus est propugnare celebris Tostatus. At Cardin. Turærematæ opera, ea doctrina, tanquam erronea, proscripta est; licet Bertus, (*Tom. 5. de Theolog. Disciplin. l. 29. c. 7. pag. 561.*) id neget.

136. &c. Modo de hora. Tertiam fuisse tradit Marcus, (*cap. 25. v. 25.*) quasi sextam Joannes. (*cap. 19. v. 14.*) Ad conciliandum Evangelistas, quidam apud D. Thomam, (*3. p. q. 46. a. 9. ad 2. & sect. 3. in c. 19. Jo.*) ajunt, hora tertia Jesum fuisse Judæorum vocibus crucifixum, qui magno clamore deposcebant illum ad necem; hora autem sexta Cruci affixum fuisse. Verum melius respondent apud Baronium, (*Ad an. Chr. 34. n. 163.*) & Maldonatum, (*In c. 27. Matth. n. 25.*) ii, qui observant a Judæis, diem dividi in quatuor partes; quarum prior *Prima* appellabatur, quod ab ea esset diei initium, tresque horas in se continebat, sicut cætera. Secunda a fine *Prima* ad meridiem porrigebatur, & dicebatur *Sexta*, quod in sextam diei horam desineret. Ex simili ratione sequens pars vocabatur *Nona*, quod nona diei hora finiretur. Ab hac postrema incipiebat, & occasu Solis terminabatur, dicebaturque *Vespera*. Cum igitur Marcus scribit Christum Cruci affixum esse *hora tertia*, non id factum esse intelligendum est initio horæ tertiæ, sed ea exeunte, & jamjam parte diei dicta *sexta hora* subeunte: & in eodem sensu intelligendus est Joannes, cum dicit, Christum obiisse *hora quasi sexta*; & sic optime consonant.

139. Postremo de anno emortuali Christianæ, ætatisque Dominicæ satis controverso apud AA. Gravesonus, (*In cit. oper. pag. 305.*) existimat, Christum obiisse anno ætatis suæ trigésimo tertio ineunte, & decimonono Imperii Proconsularis Tiberii: Calmet, (*In c. 8. Jo. n. 57.*) cum

medium ageret trigésimum sextum: Natalis Alexander, (*Dissert. 2. secul. 1. prop. 2.*) anno ineunte trigésimo septimo, & Imperii Tiberii decimo nono: Honoratus a S. Maria, (*In observat. ad Regul. & usum critic. l. 5. dissert. 1.*) ex communi Traditione anno circiter trigésimo, Tiberii decimo quinto: Nos vero, cum tacito Ecclesiæ consensu probata, atque etiam communis videatur opinio, Christum fuisse mortuum trigésimo tertio ætatis suæ anno, seu ineunte, seu jam expleto, sive etiam tribus additis mensibus, ut vult Baronius, (*Ad an. 34. n. 132.* Imperiique Tiberii decimo octavo, vel nono, huic sententiæ, de qua videndus Ricciolus, (*Tom. 1. Chronolog. Reformat. l. 8. cap. 7.*) & Götus, (*De Verit. Relig. Christian. cap. 30. §. 1.*) libentissime accedimus.

140. 141. Hæc de Passione Dominica dicta sunt; nunc ad cæremoniam, qua hunc diem celebrat Ecclesia, deveniamus. Illud autem in Officio hujus diei Ecclesia potissimum respicit, ut Jesus Christus affixus Cruci nobis statuatur ob oculos, & ad ejus aspectum contritione tacti, ita nostros paremus animos, ut Redemptionis fructum assequamur. Insuper, quatuor profert notanda Mazzinellus ad Officium Majoris Hebdomadæ. 1. ut post Prophetias, quarum veritas validissime Religionem nostram confirmat, legatur Historia Passionis a Joanne conscripta; nam ex Apostolis unicus est, qui a Jesu Christo numquam recessit, ac proinde gesta in Calvario vidit, & accurate scripsit. 2. Christum omnium Mediatorem inter Deum, & homines, pro omnibus, nullis exclusis, Patri orasse, & se obtulisse; propterea, inquit, Ecclesia sensibus, & meritis Christi insistens, hac die potissimum orationibus utitur pro omnibus, etiam Judæis, ut ab eorum oculis velum illud summoveatur, quo Sacras Scripturas intelligere prohibentur. Hæc autem oratio dicitur, nulla facta genuflexione, ut appareat Ecclesiam irrisiones illas detestari, quibus Judæi in genua procidentes, Christo illuserunt.

142. 143. Notat 3. dum adoratur Crux, quæ populi adorationi, & aspectui exponitur; impropria cantari. In illis enim commemorantur, & summa Dei in populum Israeliticum beneficia, & vicissim summa ejus erga Deum ingratitude, cum maxime ostensa, cum Christo acerbissimam mortem intulit. In cujusque autem Improperii sine canitur celebre Trisagium, de quo inferius. Docet 4. post Crucis adorationem fieri processionem ad locum ubi pridie Sacramentum

Eucharistiæ conditum est. Illud autem Sacerdos, qui Missam celebrat, ad Altare reverſus ponit super corporale, & Diaconus vinum. Subdiaconus aquam, quæ non benedicitur, in Calicem interea infundunt. Sacerdos dextera Sacram Hostiam sustollit, ut a populo possit conspici, & adorari; eam in tres dividit partes, quarum tertiam in Calicem tacitus infundit. Præmittuntur *Pax Domini*, & *Agnus Dei*; item alia duæ orationes, quæ ante Communionem dici solent; tertia vero recitata, accipit patenam cum Corpore Christi, & humillime dicit: *Panem Cælestem &c.* Deinde percussit sibi pectus, dicens: *Domine non sum dignus &c.* postea signat se Sacramento, quod deinde sumit reverenter, præmissisque omnibus, quæ dici solent ante sumptionem Sanguinis, sumit de Calice particulam Hostiæ, & vinum.

144. 145. Nunc de Crucis adoratione. Hac tantummodo die Hierosolymæ exponi consueviffe illam ipsam, cui Christus affixus est, narrat S. Paulinus. (*Epist. 31. nove edit. ad Severum*) Ex qua Hierosolymitanæ Ecclesiæ consuetudine nonnulli existimant, derivatam esse disciplinam publicæ venerationi Crucem exponendi. Theologis disputandum linquimus, quo cultu Crucem venerari debeamus; de quo fufe Estius, (*In 3. l. Sentent. dist. 9. §. 3.*) & Cardinalis Capisaccius. (*In append. controv. Quocult. Ss. Imagin. sint colmda.*) Tantum, ex D. Thoma (*3. p. q. 25. a. 4.*) dicimus, Crucem, cui Christus affixus est, latriæ cultu adorari; tum quod ea nobis exprimit figuram Christi in Cruce pendentis; tum præsertim, quod ejus Sanguine fuerit perfusa. Eodemmet cultu adorare debemus quamlibet Crucem ad illius exemplum factam, eo quod imaginem Christi in Cruce pendentis representet; quod tamen ita est intelligendum, ut adoratio ad Christum referatur; nam si Crux consideretur, tanquam quid pertinens ad Christum Dominum, ad quem, veluti terminum, non referatur adoratio, non latriæ cultu, sed hyperdulæ tantum est colenda; sicut B. Virga. Licet enim hæc propius, quam Crux ad Christum pertinear, eamque sub hac ratione veneremur, cultum quidem specialem ei exhibemus, sed nonnisi hyperdulæ.

146. 147. Jam de Trifagio: *Sandus Deus, Sandus fortis, Sandus immortalis, miserere nobis*, quod in fine cujusque Improperii canitur, dum Crux adoratur. Menologium Græcorum narrat sub Imperio Theodosii, vigesima quarta die Septembris

vehementissimo terramotu Constantinopolim fuisse concussam: Imperatorem, una cum Proculo Patriarcha, & populo universo, ad implorandam Dei opem confugisse: puerum repente in aera suolatam: Cumque omnes metu perterriti exclamarent *Kyrie Eleison*, puerum in terram descendisse, atque alta voce populum monuisse, ut Trifagium illud *Sandus &c.* caneret, vixque ea locutum, repente mortuum concidisse. Hæc oratio in Ecclesia Orientali frequentissime usurpatur; & Ecclesia Occidentalis hæc in die præsertim utitur, & quidem Latine, ut propriam suam linguam adhibeat; Græce, ut alludat huic Constantinopolitano eventui. Vide Goar. (*In Not. ad Ritual. Græcor. pag. 109. edit. Venet. anno 1730.*) Huic Trifagio male addit Petrus Fullo: *Qui crucifixus est pro nobis, miserere nobis*; quæ additio reprobata fuit a cœtu Catholicorum, tanquam hæresis Theopaschitarum passerentium Divinam naturam in Cruce passam. Trifagium enim directe fertur in totam Ss. Trinitatem.

148. 149. Denique de Missa hujus diei. Eam non siccam, sed Præsanctificatorum dici oportet. Missa enim sicca ea dicitur, in qua neque consecratio fit, neque Christi Corpus sumitur, Canon, & alia omittantur, quæ monet Durandus. (*In Rational. l. 4. c. 1.*) Contra vero in Missa Præsanctificatorum, nihil omittitur præter Eucharistiæ consecrationem, quod Sacramentum pridie consecratum, sub unica specie sumitur panis. In Ecclesia Græca hæc Præsanctificatorum Missa dicitur omnibus Quadragesimæ diebus, Sabbatho, & Dominica exceptis, & etiam Sancto Annuntiationis die; in quibus communis Missa celebratur. Totum constat ex Concilio Trullano; (*Canon. 52.*) & Laodiceno; (*Canon. 48.*) qui mos, teste Cardin. Bona; (*Lib. 1. Rerum Liturgic. c. 19. n. 5.*) viget etiam nunc in Orientali Ecclesia. Bossuetus Meldensis Episcopus, (*Volum. 5. oper. edit. Argentina: an. 1742. Tract. de Communion. sub utraque spec.*) adjungit, plerisque Græcorum, hoc tempore, aliquot pretiosi Sanguinis guttas supra panis consecrati partes in formam Crucis aspergere, easque pro diebus insequentibus reservare ad Officium Præsanctificatorum.

150. &c. Quidquid de Præsanctificatorum Missa apud Græcos disputari potest, habetur apud Leonem Allatum; (*Dissert. ad calcem oper. de consens. perp. Eccles. Orient. & Occid.*) & Le. Brun. (*In Explicat. Miss. T. 2. 2. 2. p. 372. edit. Perissen.*) Apud Latines hæc die sola Præsanctificato-

rum Missa celebratur; Quia in hac die Dominus seipsum obtulit, & ipsa ejus oblatio sufficit ad salutem credentium, ut in Amalario, & Alcuino, legimus: vel, ut ostendatur status Ecclesiae apud Apostolos tempore Domini patientis, qui percussio Pastore dispersi erant. Sic Hugo a S. Victore, (*De Special. Mis. obs. c. 20.*) qui optime addit solas species panis ad hanc Missam reservari, non autem vini ob periculum, nec hoc interim corrumpatur. De vetustate ritus hujus Missae apud Occidentales prisca reperies documenta apud Pouget. (*Instit. Catholic. T. 1. p. 841. & T. 2. p. 272.*) & Bailletum. (*Histor. huj. diei §. 2.*) In Hispaniis abusus ille irrepererat, ut Ecclesiae hac die essent clausa, & prorsus ab omni Sacra caeremonia; & Divino cultu feriarentur; quem abusum sustulit Concilium IV. Toletanum. (*Can. 7.*) Inter veteres Latinos aliqui censuerunt in Missa hujus diei vinum etiam consecrari, vel per orationem *Pater noster*, vel per immersionem particulae panis consecrati. Errorum hunc sustinent etiamnum Recentiores Graeci Schismatici, & Occidentales Haeretici, utpote faventem suae communioni sub utraque specie. Illum late impugnat Mabillonius, (*Tom. 2. Musei Italic. in comment. ad ordin. Roman. §. 12. & seq.*) ostendens ex Patrum, & gravissimorum Scriptorum summo consensu, nonnisi vi verborum consecrationis (quae hac die non adhibentur) vinum in Christi Sanguinem converti: idemque alii praestitere a Benedicto XIV. hic citati: ex quibus Bossuetus, (*Tract. de Com. sub utraq. specie, volum. 5. suor. op. edit. Argentinen. pag. 254.*) invictis probat argumentis, Alcuinum, Micrologum, Amalarium, & Ordinem Romanum pro dicta sententia adduci solitos, nunquam existimasse Sanctificationem ex Hostia in vinum injecta veram esse consecrationem, sed existimasse eam sanctificationem, inferioris esse Ordinis, alteriusque naturae, qualem eam describit S. Bernardus, (*Ep. 69.*) qui ait, vinum cum Hostia consecrata mixtum, etsi non ea peculiari, solemnique consecratione praeditum sit, qua in Sanguinem Christi convertitur, Sacrum tamen esse ex Sacri Domini Corporis contactu, sed longe diversa ratione ab ea, quae fit vi verborum, quae ex Evangelio desumpta sunt.

156. Denique hac die, juxta Rubricam Missalis, nulli Sacra praebetur Eucharistia, nisi ex urgente necessitate. At hanc non fuisse semper in Ecclesia disciplinam probant certissima monumenta, uti alibi ostendit idem Benedictus XIV. (*Institut. 18. T. 11.*)

ficus etiam quanta fuerit jejunii severitas hac die apud veteres Christianos.

C A P U T VIII.

De Sabbatho Sancto.

1. 2. **H**UJUS diei Mysterium satis asseri videtur, si explicemus Christi quietem in sepulcro, ejusque descensum ad Inferos; seu statum illum Jesu Christi, quandiu anima a corpore fuit sejuncta, quae duo recolat Ecclesia. At cum in praesenti disciplina Sacrae quamplures peragantur caeremoniae, quae Resurrectionem Domini respiciunt, & Missa etiam de Resurrectione celebretur, de ea pariter loqui oportebit. Ex Decreto Innocentii I. (*Epist. ad Decentium c. 4.*) nec Feria VI. ne Sabbatho hoc Divina mytheria celebrabantur: introducta est in Occidentalem Ecclesiam Praesantificationum Missa in Parasceve. Ejusmodi ritus extendi non potuit etiam ad Sabbathum. Hujus enim diei Officium post horam nonam incipiebat, & desinebat ad Solis occasum, ex quo nihil temporis Praesantificationum Missae celebrandae supererat. Tertullianus, (*Lib. 2. ad uxorem c. 4.*) innuit, morem vigere tempore suo celebrandi Missam in nocte Sabbathi: ante enim mediam noctem testatur Hieronymus, (*In c. 25. Matth.*) ex Apostolica traditione populum non consuevisse ab Ecclesia discedere. Haec autem disciplina vixit etiam per subsequenta saecula; scribit enim Theodorus Balsamon, (*Ad can. 90. Trullan.*) pios Christianos totum in Ecclesia Sabbathum exigere solitos fuisse, & sexta noctis hora, hoc est, media nocte, communicare; & hora noctis septima, matutinae Psalmodiae adesse. Ejusmodi mos fuit retentus in quibusdam Ecclesiis usque ad annum 1280. teste Durando, (*Rationali. l. 5. cap. 76.*) & post annum 1400. teste VValdensi. (*cap. 25. T. 3.*) Fatendum tamen ante annum 1280. coeptam esse Missae anticipationem; ejus enim meminit Hugo de S. Victore, (*Lib. 2. de special. lib. Miss. observat. cap. 21.*) qui obiit anno 1140. Nunc canitur Missa circa meridiem; & quanquam anticipatur tempus, non ideo tamen in Collecta, Praefatione, &c. in quibus fit noctis mentio, aliquid est immutandum.

3. 4. Docet D. Thomas, (*3. p. q. 51. ar. 3.*) Christi Corpus non deuisse putrescere; etsi enim, si spectetur conditio naturae passibilis, putrescere poterat, non obitante unio-

unione Verbi, si nullam aliud miraculum accessisset, non tamen putrefieri potuit, si ratio habeatur meriti putrefactionis, quod est peccatum; ac proinde tribuit virtuti Divinæ Christi corporis immunitatem a corruptione, maledictioneque illa Geneseos: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, (cap. 3. v. 19.) impletumque fuisse in eo illud Davidis oraculum: *Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, (Ps. 15. v. 10.) uti docet Apostolus Petrus. (Act. 2. v. 31.) Nihil amplius hic addendum, cum fusc de hac re alibi, (lib. 4. de Canoniz. St. p. 1. c. 30. n. 2.) egerit idem Benedictus XIV. & ibi Synopsis. Agit itidem D. Thomas, (In 3. p.) de Animæ Christi descensu ad Inferos. Siquis vero scire cupiat quidquid eo pertinet, adversusque Hæreticos pulchre explicatum, adeat Bellarminum, (Tom. 1. contr. l. 4. de Chr. Anima c. 1. usq. ad 16. integrum.) Petavium, (Theolo. Dogmat. l. 13. c. 14. & seq.) & alios. Plura sunt in Sacris Paginis loca, unde ad illud Fidei dogma probandum depromuntur argumenta. Talis est: *Non relinques animam meam in inferno*, (Ps. 15. v. 10.) alique, in quibus Regius Psalter ex Persona Christi ait, suam ad Inferos animam descendisse, atque inde abiisse. Legatur etiam Zacharias, (cap. 9. v. 11.) & Ecclesiastici Liber. (cap. 24. v. 45.)

5. &c. Adde celebrem textum ex 1. Epistola D. Petri: *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens predicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe.* (cap. 3. v. 18. & seq.) Qui textus clare loquitur de descensu Christi ad Inferos in morte sua; quidquid alii male detorqueere contenderint ad prædicationem factam incredulis in diebus Noe, quos optime refellunt citati Bellarminus, & Petavius, tum ex incoherentia expositionis cum litteræ textus, tum ex unanimitate Patrum consensu, tam Græcorum, quam Latinorum, qui pro nostra stant intelligentia. Neque huic Fidei articulo de Christi ad Inferos descensu obstat, quod non contineatur in aliquibus Fidei Symbolis, ut in Nicæno, & aliis; nam præterquam quod contineatur in illo Apostolorum, quo utimur, & in D. Athanasii, & aliis, nemo ignorat, non omnia Fidei dogmata in Symbolo a Patribus esse relata; sed vel potiora, vel ea, de quibus per ea tempora aliqua esset suborta contro-

versia. Videantur Blanchinus, (In: Enar. Pseudo. Athanasiana in Symbol. Veron. an. 1732. pag. 5. & seq.) & Natalis Alexander. (Dissert. 12. Sac. 1.) Itaque Corpus Christi quievit in Sepulchro, Anima descendit Inferos, sed cum iis, licet separatis, Divinitas hypostatice fuit unita. Utrumque probat egregie D. Thomas, (3. p. q. 50. a. 2. & in 3. sentent. dist. 21. q. 1. a. 1.) quia donum, quod per gratiam Dei conceditur, sine culpa (quæ omnino a Christo absuit) non revocatur. Idipsum legitur in Catechismo S. Tridentinæ Synodi, ad expositionem quarti Articuli. Refert autem Cardin. Pallavicinus, (Lib. 17. c. 6. n. 6.) Amantem, Ordinis Servorum B. Mariæ, Episcopi Sabinensis Theologum, quod in Sessione quadam affirmaverit, morte Christi Divinitatem a Corpore fuisse divisam, palinodiam recantare coactum.

9. Gravis fuit olim in Ecclesia controversia, de qua alibi idem Benedictus XIV. (T. 2. de Canoniz. SS. c. 30. n. 4. & seq.) & ibi Synopsis; utrum Sanguinis triduo illo Christi mortis hypostatice unitus remanserit Verbo? Verum postquam definiuit Tridentinum, (Sess. 13. cap. 3.) esse in Eucharistia Corpus sub specie panis, & Sanguinem sub specie vini, & Animam sub utraque specie vi naturalis illius connexionis, & concomitantie, qua partes Christi Domini redivivi inter se copulantur; cumque dubitari non possit, Sanguinem veram fuisse Christi partem; dicendum est, Verbo fuisse conjunctum; & siquis hodie id negaret, erroris esset omnino accusandus.

10. His constitutis, quasdam breviter proponemus questiones; quæ de Christi descensu ad Inferos a Theologis agitari solent. 1. Utrum Anima Christi substantiali præsentia sua, an sua tantum potentia, & operatione ad Inferos descenderit? Hoc postremum, affirmat Durandus, (In 3. Sentent. Dist. 2.) cui assentiri nullo pacto possumus. Christum enim, ut ex Scriptura probat D. Augustinus, (Ep. 99.) docetque Concilium Lateranense (In Cap. Firmiter de Summ. Trinit. & Fide Catholic.) sub Innocentio III. & consentiunt Theologi, vere, & re ipsa descendit ad Inferos, quo factum est, ut ejus Anima illic præsens fuerit. Quærent etiam Theologi, an descensus ille ad Inferos gravis Christo fuerit, & acerbus? Et negative respondent; tum quia Anima omnis peccati expers, simul ac est a corpore sejuncta, nihil amplius potest pati; tum quia, si hæc retardatio ascensus ad Cælum aliquantulum esset Christo molesta, multa sane Christi.

Christo esset acerbius illud quadraginta dierum spatium inter Resurrectionem, & Ascensionem interjectum, quod a nemine dictum esse comperimus, ut notat Sylvius. (*In 3. p. D. Thom. q. 52. a. 1.*) An vero Anima Christi in omnibus Inferni locis præsens fuerit? Respondet D. Thomas, (*3. p. q. 52. a. 2*) ad Limbum, seu Abrahæ sinum, ubi Patriarchæ, & Iusti ante Christum mortui detinebantur, per suam essentiam descendisse; per suam vero effectum ad Infernum reproborum, quos de eorum incredulitate, & malitia coarguit, tum ad Purgatorium, quo Animæ iustæ expiabantur, eisque spem dedisse consequendæ Gloriæ.

11. 12. Quæstio 2. Quid Iustorum animabus Christi ad Inferos descensus contulerit? Et quoad animas in Limbo detentas dicendum cum compuni duo illis collata beneficiis, & visionem beatificam, & liberationem ex illo loco, in quo (licet ab omni pœna sensus exempto) habitare debuerant, quousque pretium Christi Sanguinis persolveretur; idque ob reatum peccati originalis; quamvis enim hoc illis per Fidem in Christum fuisset remissum, quoad alios effectus, non ita quoad hunc. Videatur D. Thomas. (*3. p. q. 51. a. 5.*) Quoad Purgatorii animas, docet idem D. Thomas, (*cit. a. 8.*) eas fuisse liberatas, quæ Divinæ Iustitiæ jam satisfecerant, & nihil in eis erat reliquum, quod purgaretur; & etiam illas, quæ pio quodam erga Christi Passionem affectu meruerant, ut, descendente Christo, pœnis Purgatorii absolventur. Denique idem S. Doctor, (*cit. a. 7.*) negat, Animas puerorum originali labe decedentium fuisse liberatas. Res enim Christus liberavit, qui sibi per Fidem, & Charitatem essent conjuncti. Pueri vero qui liberi arbitrii non fuerint compotes, nec per Fidem Parentum, aut per aliquod Fidei Sacramentum a peccato originali mundi essent, filii erant iræ, & vasa contumeliæ. Quapropter Africani Episcopi in Sardinia exules in Epistola Synodica scripsere, indubitanter tenendum, tanquam Catholicæ Fidei regulam, parvulum baptizatum gratuita Dei bonitate salvari, sine Baptismo decedentem propter peccatum originale damnari. Cujusmodi autem damnatio hæc sit, & an posita sit in carentia tum Beatitudinis supernaturalis, tum naturalis (absque ulla tamen pœna sensus) vel in privatione ejusdem Beatitudinis cum levi quadam pœna sensus, etiamnum Theologi disputant.

13. Quæstio ultima; An Christus descen-

dens ad Inferos veterum Philosophorum quosdam inde eripuerit? Non intelligitur quæstio de habitantibus in damnatorum Inferno, ubi Catholica Fide docemur, nullam dari Redemptionem; nec etiam de iis, qui in Infernum fuere conjecti, vel quod nullam in Christo Fidem habuere, vel siquæ implicitam habuere, nullam conformitatem, ut ait D. Thomas, (*cit. a. 6.*) habuerunt ad charitatem Christi patientis; nulla enim apparet ratio ipsis favens. Si tamen Philosophorum animæ (ut de Socratis, Platonis, & Aristotelis animabus existimat Tosstus, (*Paradoxo 5. cap. 132.*) in Sanctorum Limbo detinebantur: eo quod implicitam in Christo Fidem habuissent, & integram a gravibus peccatis vitam egissent, tunc inde a Christo fuere ereptæ. Insuper de Platone narrat Nicetas, (*In Orat. 42. Sanct. Gregor. Nazianzeni.*) a quodam Christiano maledictis impetum, ei nocte apparuisse, ejusque maledicentiam increpasse, addidisseque, se quidem peccatorem esse non inficiari, sed cum Christus ad Infernum descendit, neminem se prius ad Fidem accessisse. Verum Bellarminus, (*Loc. cit. cap. 15.*) & Petavius (*Loc. cit. c. 18. n. 13.*) hæc deliramentis adnumerant: non quod fieri non potuerit, ut quidam ex Ethnicis salvi sint per Fidem, saltem implicitam, Divinæ Providentiæ, quod crediderint Deum esse humani generis liberatorem secundum modos sibi placitos; aut per Fidem adventus Christi peculiari revelatione cognitam, ut docet D. Thomas, (*2. 2. q. 2. art. 7. ad 3.*) sed quia incompertum omnino est, eos Philosophos ejusmodi Fidem habuisse, quos alioqui constat recte scripsisse, non recte vixisse. Ex quo solide concludit Thomassinus, (*Loc. cit. cap. 9. in fine.*) liberatos fuisse a Christo illos solummodo, qui in gratia, & amicitia Dei e vivis excessere.

14. 15. De Christi ad Inferos descensu egregie tractat Suarez; (*T. 2. p. 3. di. put. 42. sect. 1. & seq.*) addens, tandiu Animam Christi apud Inferos permansisse, donec in Resurrectione denuo corpori jungeretur. Nunc ad Resurrectionis mysterium, quod in Sabbathi Sancti ceremoniis celebratur, in quinque capita dividendum. 1. Veritatem Resurrectionis demonstrabimus. 2. De tempore, & hora, qua Christus revixit, dicemus. 3. De Resurrectionis circumstantiis. 4. De qualitate Corporis resurgentis. 5. De iis, qui cum Christo surrexerunt. Quod ad 1. atinet, D. Thomas, (*3. p. q. 53. a. 1.*) quinque rationibus probat, necessarium fuisse Christum ex mortuis resurgere.

gere. 1. ad Divinæ Justitiæ commendationem, ut, qui se utque ad mortem Crucis humiliasset, exaltaretur a Deo per gloriosam Resurrectionem. 2. ad Fidei nostræ instructionem, ut per Resurrectionem Christi Fides nostra de ejus Divinitate confirmaretur. 3. in nostræ spei solatium; quia dum certo scimus Christum revixisse, speramus & nos resurrecturos. 4. ad informationem vitæ Fidelium; nam quemadmodum Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, ita nos mortui peccato, vivimus Deo. 5. ad nostræ salutis complementum; ipse enim rediit ad vitam, ut fructus Passionis suæ per Apostolorum prædicationem nos faceret compostes.

16. &c. Plura in Testamento Veteri de Resurrectione Christi præcessere oracula, ut videre est in Psalterio. (*Pf. 40. v. 11. Pf. 70. v. 20. Pf. 114. 2. 3. usq. ad 8.*) Fuit etiam ab eodemmet Christo vivente prædicta, ut videre est apud Matthæum, (*cap. 16. v. 21.*) & Joannem. (*c. 2. v. 19. & seq.*) Denique post Resurrectionem affirmate, & libere fuit attestata, ut videre est apud Lucam, (*Actor. c. 3. v. 15. & c. 4. v. 33. & c. 10. v. 40. 41. & cap. 13. verso 30. 31.*) & Paulum. (*1. ad Cor. c. 15. v. 4. usq. ad 9.*) Hæc Apostolorum testificatio, ut perpulchre ostendit Huetius, (*Demonstrat. Evangelic. propos. 9. c. 142.*) & exornat Heterodoxus Hermanus Witsius, (*Exerc. Sacr. in Apostol. Sym. 10. num. 30.*) nulli est exceptioni obnoxia. Incredibile enim videtur Apostolos Christi Resurrectionem palam testari voluisse, nisi revera ea contigisset; testesque proferte auctos, a quibus mendacii convinci potuissent; & infimal voluisse, vel pro mendacio, cujus ipsi sibi essent conscii, vel pro re, quam non satis exploratam haberent, pacisci vitam, atque adeo profunderè. Præterea, quis putet, Apostolos simplices homines, rudes, imperitos, & meticulosos, ad satellitumque adventum paulo ante trepidautes, Christi Corpus clanculum surripuisse, ingentem lapidem sepulcri ostio appositum amovisse, & fascias, institasque, quibus Christi corpus constringebatur, disjunctis, & explicasse cum prope essent semisomni Satellites, qui levissimo rumusculo excitari poterant, ut figmentum de Christi ad vitam reditu, universo terrarum orbi obtuderent, illuderentque vulgi credulitati? Hanc plusquam humanam fortitudinem, frustra illis adscribere tentarunt Judæi; communi enim Synedrii sententia milites sepulcro appositos, pecunia Judæi subornarunt, qui dicerent, sese somno oppressis, Disci-

pulos Corpus Christi clam sustulisse, ut narrat Matthæus. (*cap. 27. v. 64.*)

19. 20. Apostolorum testificationi adde etiam Ethnicorum, Judæorumque testimonia. De Ethnicorum testimoniis videatur Calmet, (*Dissert. de Actis Pilati ad Tiberium Cæsarem missis.*) atque alibi etiam idem Benedictus XIV. (*Lib. 1. de Canoniz. SS. c. 1. n. 2.*) & ibi Synopsis. Constat enim Pilatum cum de rebus gravioribus, quæ se Præsidi in Judæa contigissent, Tiberium, ut mos erat Præsidi Provinciarum, certiorum faceret, Christi quoque mortem, prodigia eam subsequuta, & reditum ejus ad vitam in eos commentarios retulisse, iisque permotum Tiberium egisse cum Senatu, ut Christus inter Deos adscriberetur. De Judæis vero videatur Josephus, (*Lib. 18. Antiquit. cap. 4.*) id disertissime asserens. Nec quis suspicetur illud de Christo testimonium a Christianis pio dolo Josephi Historiæ assutum. Eusebius enim, Hieronymus, Isidorus Pelusiota, Sozomenus, & Nicephorus illud, ut genuinum Josephi factum, agnoscunt; nec de illius legitimitate dubitare sinit constans, & perpetuus omnium Codicum, sive manuscriptorum, sive impressorum consensus. Quis enim credat, si a deceptore aliquo illud testimonium fuisset insertum, nullum omnino Codicem, illius manus effugisse? Hoc celeberrimum testimonium alibi idem Benedictus tractat, (*Lib. 1. de Canoniz. SS. c. 1.*) genuinumque illud agnoscit etiam Joannes Colerus Lutherane Ecclesiæ minister Hagæ Comitum. (*Tract. de vetit. Resurrect. Chr.*)

21. Qucad. 2. Resurrectionis diem & horam indicendum; diem fuisse primam hebdomadæ, quæ apud nos appellatur Dominica, & apud Matthæum, (*cap. 28. v. 1.*) *Prima Sabbathi*; nam, ut bene advertit Suarez, (*T. 2. in 3. p. q. 36. sect. 1.*) quovis ex his nominibus appelletur, semper dies est Dominica; cum Sabbathi nomen in Scriptura ad hebdomadam totam significandam usurpetur, ut videre est in illo Pharilæi apud Lucam. *Jejuno bis in Sabbato.* (*c. 18. v. 12.*) Quam quidem diem Judæi, teste Augustino, (*Ep. 55. alias 119. c. 13. & tract. 120. T. 3. op. in Joann.*) nam Sabbathi appellabant. Christiani vero ob Domini Resurrectionem Dominicam diem. Jam de hora, in qua non consentiunt Interpretes; cum de illa taceant Sacræ Litteræ. Et quod accidit. Hieronymum, (*Ep. 150. ad Hebræos, qu. 6. T. 1. oper. col. 824.*) affirmasse, eam horam hominibus esse omnino incognitam; alios existimasse, Christum

revi-

revixisse nocte Sabbathi ineunte: quosdam paulo post mediam noctem: nonnullos denique illucescente aurora diei Dominicæ; quæ quidem sententia communis est cum D. Thoma, (3. p. 9. 53. a. 2. ad 3.) qui ita factum notat, ad significandum, quod per suam Resurrectionem, nos ad lucem Gloriae induceret; sicut mortuus est, ad vesperascente jam die, ad ostendendum, quod per suam mortem destrueret tenebras culpæ, & pœnæ. Et videtur esse sententia Ecclesiæ, ut patet ex Hymno Paschali ad Laudes. Hinc Sanctæ Mulieres, quæ vix orto sole venerunt die Dominica ad sepulcrum, non invenerunt corpus Christi, qui jam ad vitam redierat, ut narrant Marcus, (cap. 16. v. 2.) & Lucas. (c. 24. v. 1. & seq.) Itaque concludendum, Christum revixisse non multo ante, quam Angelus descenderet, & sepulcrum aperiret, terraque contremisceret: cum hæc omnia contigerint, dum sanctæ Mulieres venirent ad sepulcrum.

22. 23. Bina huic sententiæ difficultates objici solent. Desumitur 1. ex tempore, quo Mulieres satis incompto propter Evangelistarum quemdam voluti dissensum, venerunt ad sepulcrum. Ad illud enim Mulieres venisse *vespere Sabbathi*, tradit Matthæus; *valde mane*; orto jam sole; Marcus: *valde diluculo*; Lucas: *mane cum adhuc tenebræ essent*. Joannes. Sed conciliatio, qua solvitur difficultas, ex D. Augustino, (De consens. Evangelist. l. 3. c. 24.) patenda. Advertit enim eademmet horam significare illud Luca, ac Marci, vel Joannis: *Die quippe surgente, aliqua reliquia tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux*. Nec ab ejusmodi explicatione illud Matthæi: *Vespere Sabbathi*, discrepat. Scribens enim *vespere*, non extremam diei partem significat, sed Planetam illum, qui paulo ante Solem oritur; *Luciferque* appellatur, enim Solem præit; *Vesper* vero, cum subsequitur; atque adeo Auroram indicat Dominicæ; præsertim cum addat: *Quæ lucecit in prima Sabbathi*, quæ verba eam significationem, quam voci illi *vespere* tribuimus, pulcre confirmant. Baronius (Ad an. Chr. 34. n. 171.) merito approbat hanc Augustini explicationem. Alii dicunt, Joannem, & Marcum intelligi de tempore, quo Mulieres domo sunt egressæ, ceteros de tempore, quo ad monumentum pervenerunt.

24. 25. Difficultas 2. desumitur ex verbis Christi, apud Matthæum: (cap. 12. v. 40.) *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius ho-*

minic. in corde terre tribus diebus, & tribus noctibus. Quod si Christus paulo post Feriæ sextæ meridiem est mortuus, & Dominica die, cælo albescente, revixit, profecto in sepulcro tribus diebus, & totidem noctibus videtur non jacuisse, maxime cum ejus prædictiones videantur innuere tres dies integros. *Post tres diem resurgam*, ex Matthæo, (cap. 17. v. 63.) & Marco. (cap. 8. v. 31.) Sed dicendum hunc loquendi modum, juxta communem loquendi, & intelligendi usum, coincidere cum illo alio ab Evangelistis alias super ea ipsa re adhibito: *Oportet Filium hominis tertia die resurgere*. (Matth. c. 16. v. 21. Luc. c. 9. v. 22.) Quod enim faciendum est ipsa tertia die, etiam vulgo dici solet *post tres dies* faciendum; & Scriptura utroque modo ad idem explicandum utitur. Sic in Levitico, (cap. 12. v. 3.) dicitur: *Die octavo circumcidatur infantulus*; & (cap. 2. v. 21.) eandem Legem obligationem memorans, dixit: *Postquam consummati sunt dies octo &c.* Sic eadem ipsa vaticinia de Resurrectione intellexerunt Judæi, ea commemorantes apud Pilatum: *Seductor ille dixit, post tres dies resurgam: jube ergo custodiri sepulcrum. usque in diem tertium*; (Matth. c. 27. v. 63. & 64.) aliter peterent, ut sepulcrum custodiretur ultra diem tertium.

26. &c. His positis, videamus, qui tribus diebus, & noctibus dici possit, Christi Corpus in sepulcro fuisse, cum eo conjectum post Feriæ vi. meridiem, sub Dominica auroram surrexerit. Scimus enim, ex D. Augustino, (Lib. 4. de Trinit. c. 6. T. 8. oper. col. 817.) ab hora Mortis, usque ad diluculum Resurrectionis, hora etiam nona connumerata, horas fuisse quadraginta; & a vespere sepulturae, usque ad diluculum Resurrectionis triginta sex horas fuisse. Sed omissis variis aliquorum responsionibus, communem secuti sententiam cum D. Augustino, (Libro 3. de Consens. Evangel. c. 24. & l. 4. de Trin. c. 6.) & D. Thoma, (3. p. 9. 31. a. 4. ad 1.) Baronio, (Ad an. Chr. 34. n. 177. & seq.) Suario, (Tom. 2. in 3. p. disp. 46. sect. 3.) a Lapide, (In c. 12. Matth. v. 12.) & aliis, dicimus a Romanis ad Judæos comessæ morem illum numerandi dies a media nocte usque ad mediam noctem, quod nos ipsi quoque facimus, quoties jejunamus. Quæ dierum inita ratione, si præterea pars pro toto per Synedochen sumatur, tres dies, totidemque noctes in sepulcro jacuisse reperiemus, videlicet diem, & noctem dimidiatas feriæ sextæ usque ad mediam noctem; integram

gram diem Sabbathi a media nocte usque ad mediam noctem; & nox dimidia cum parte diei Dominicæ Resurrectionis. Et hunc numerandi modum usitatum est in Scriptura ex eo apparet, quod in Libro Esther legatur, (*cap. 4. v. 16.*) Esther Judæis commendasse jejunium tribus diebus, & tribus noctibus; qui quidem tres dies, & noctes, juxta Calmetum, (*In c. 12. Matth. v. 40.*) non plus, quam solidum diem, duasque noctes in se continent. Observat enim, (*Ad c. 4. Esth. v. 16.*) haud verisimile esse, populum universum tribus diebus, noctibusque solidis ab omni cibo, & potu se abstinuisse; cum perpauca sane sint, qui famem, sitimque tandiu tolerare possint. Et certe non expectavit Esther, dum tertius dies solidus laboretur, sed eadem illa die tertia Assuerum convenit. (*cap. 5. v. 1.*)

29. 30. 31. Quoad 3. de adjunctis Resurrectionem concomitantibus, dicendum, ut supra, Judæos, Matthæo teste, (*c. 27. v. 62. & seq.*) operam dedisse, ut milites sepulcro apponeretur, veriti, ne Discipuli corpus surriperent, atque in vulgus dissiparent, Christum rediisse ad vitam; quod cum a Pilato impetrassent, milites ad custodiendum Sepulcrum sigillo obliatum, ibi reliquerunt. Hoc quidem sigillum ex Nicephoro, (*Lib. 1. Hist. cap. 32.*) intactum permansit; & custodia militari in propinquo observabatur. Fuit etiam aromatibus conditum Christi Corpus, Judæorum more; qui quidem mos ad eos ab Ægyptiis fuit traductus. Solebant enim, uti legitur in Genesi, (*cap. 50. v. 12.*) loquente de Jacobi sepultura, quadraginta dies consumere. Atque inde factum est, ut Sanctæ Mulieres, & si Christo mortuo jam adhibita essent aromata, expleto Sabbatho, nimirum post Solis occasum, aliis coemptis ad condituram subinde instaurandam ad sepulcrum sese contulerint, videlicet, Maria Magdalene, & altera Maria, apud Matthæum, (*cap. 28. vers. 1.*) Maria Magdalene, Maria Jacobi, & Salome, apud Marcum, (*cap. 16. v. 1.*) ceteræ Mulieres, quæ Christum e Galilæa secutæ sunt, apud Lucam. (*c. 23. v. 55. 56. & c. 24. v. 1.*) S. Gregorius Nyssenus, (*Orat. 2. de Resur.*) cui adhæret Sedulius, inter has Mulieres B. Mariam V. quoque recenset; sed hoc Maldonato, (*In c. 28. Matth. ad illa verba, ad tumulum.*) non placet; quia nihil de hoc B. Mariæ adventu tradunt Evangelistæ, quem profecto non siluissent; & si forte ad sepulcrum venisset B. Virgo, ante Mariam Magdalenam esset nominanda, sicut nominavit Joannes, (*c.*

19. v. 25.) recensens, Mulieres, quæ Crucifixioni præsentem fuerunt.

32. Antequam cetera prosequamur, subiungemus, quid Evangelistæ tradiderint. Matthæus, (*c. 28. v. 2. & seq.*) narrat tremuisse terram, Angelumque veste indutum candida, ac veluti fulgur coruscantem; Cælo delapsum, lapidem ab ostio monumenti revolutum amovisse: Mulieribus dein nunciassse, Christum revixisse, easque sepultura Dominicæ locum inspicere iussisse, ac Discipulos de omni re monere mandasse, quibus etiam nuntiarent, ab illis visum iri Christum in Galilæa. Ex quo factum est, ut Mulieres sepulcro inter metum, & lætitiæ egressæ, Discipulos convenerint. Marcus vero, (*c. 16. v. 4. & seq.*) ita narrat, Mulieres Christi sepulcrum ingressas, & lapidem revolutum, & Angelum stola indutum candida sedentem ad dexteram vidisse; eas cohortatum, ne quidquam metuerent; Christum jam ad vitam rediisse; locum inspicerent, ubi Corpus Christi jacuisset; iis denique mandasse, ut ea de re Discipulos, præsertim Petrum, certiores facerent; eas autem sepulcro egressas, pavore tactas, nulli eam rem renuciassse. Lucas autem, licet (*c. 24. v. & seq.*) revolutum lapidem, & Mulieres in sepulcrum ingressas commemoret; addit viros duos veste indutos lucida nunciassse Mulieribus Christum a mortuis suscitatum, ut ipse prædixerat; quod Mulieres e monumento egressæ undecim Apostolis, ceterisque omnibus retulerunt. Joannes, (*c. 20. v. 2. & seq.*) denique testatur, Mariam Magdalenam lapidem revolutum videntem, ad Petrum, & Joannem convolasse, quibus nunciavit, Christi Corpus fuisse sublatum, & quo fuisset allatum, ignotare. Pergit Joannes, se Petrum anteverit ad sepulcrum, eo tamen non introisse, sed fascias vidisse, quibus Christi Corpus fuerat alligatum; Petrum vero in sepulcrum ingressum easdem vidisse fascias, & ab iis Sudarium, quo Christi facies tegebatur, femotum deprehendisse: ipsum quoque postea in monumentum introisse, cum interea Maria Magdalena extra sepulcrum lacrymaretur, eam deinde introspexisse in sepulcrum, binosque vidisse Angelos vestimentis albis indutos, sedentes ad caput unum, & ad pedes alterum; ab iis quamobrem heret interrogatam, respondisse illis, quod nesciret, quo Christi Corpus esset avertam; dein retrorsum conversam, sub forma custodis horti Christum vidisse; ac demum agnovisse; totamque rem Discipulis nunciassse.

33. Priusquam Evangelistarum narratio- nes conciliemus, sciendum est 1. terram con- tremuisse, antequam mulieres ad sepulcrum pervenirent, eo videlicet temporis momen- to, quo Angelus e Cœlo descendit, & hoc Matthæi innitur textui. Ait enim: *Ecce terræmotus factus est magnus; Angelus enim Domini descendit de Cœlo, & accedens re- volvit lapidem.* (cap. 21. v. 2.) Ex qui- bus patet, Christum jam resurrexisse, ante- quam Angelus revolveret lapidem, aliter Evangelista terræmotum non cum Angeli descensu, sed cum Christi Resurrectione conjunxisset. Neque Marcus; (c. 16. v. 3. & seq.) veluti opportunum delēberet An- geli adventum, qui revolutio lapide, Mu- lieribus in sepulcrum ingredi optantibus dif- ficultatem ademit; 2. Angelum monumen- tum aperuisse, vel ut reviviscenti Christo, quod quidam ex Patribus docuerunt, pate- ret exitus e sepulcro; non quia id Christo opus esset, sed ut honor illi haberetur, vel potius, ut Sanctis Mulieribus facultas esset intropiciendi in sepulcrum, & cognoscen- di Christum esse a mortuis suscitatum: quod communiori Patrum doctrinæ congruit; docent enim, Christum quemadmodum ex utero Matris prodiit, ita e sepulcro egressum, quin sigillum abruperit. Mo- do ad Evangelistas conciliandos. Matthæus, & Marcus unum tantum Angelum commemo- rant; visum fuisse a Mulieribus; & hic fuit ille Angelus, qui e cœlo de- scendens terruit custodes, seditque super lapidem sepulcri, illumque revolvit. Lucas vero, & Joannes de duobus mentio- nem faciunt, visis a Mulieribus etiam. Primi enim duo Evangelistæ de illo potissi- mum Angelo sibi scribendum existimarunt, cujus in hac re primæ quodammodo partes fuerunt, quique cum Mulieribus sermonem habuit. Lucas autem duos Angelos adfuisse ait, ratus eorum numerum sibi non præte- reundum. Nec tamen pugnat cum Matthæo, & Marco, scribens, (cap. 24. v. 5.) utrum- que Angelum, locutum fuisse Mulieribus; nam, juxta Scripturæ morem, duobus An- gelis tribuit, quod ab eorum altero utrius- que nomine gestum est. Nec itidem a Mat- thæo, & Marco Joannes discrepat, cum a- liam apparitionem narret Magdalenz factam postquam Angeli Mulieribus apparuerant. Vide Calmetum: (In c. 28. Matth. v. 2. & in c. 16. Marc. v. 8.) qui notat insu- per, Marcum, (cap. 16. v. 8.) dicentem, Mulieres nemini quidquam dixisse, non ad- versari Lucæ, (cap. 24. v. 9.) dicenti, eas omnia nunciasse undecim, & cæteris om-

nibus. Marcus enim intelligendus est de Mu- lierum silentio in via, non autem de iis, quæ fuere Discipulis narrata, ubi primum ad locum pervenerant, in quo una erant Apostoli mœrorè, & lacrymis pene consum- pti.

34. Sed major adhuc restat concilianda discrepantia inter Matthæum, & Joannem ex Analyti Evangeliorum Gallice conscripta & ex Gravesone. (*De Myst. & anno Chr. pag. 406.*) Narrat enim Matthæus, (cap. 28. v. 5. & 6.) Mariam Magdalenam, & alias Mulieres sepulcrum ingressas, revolu- tum lapidem reperisse, illisque fuisse Ange- lum locutum. At Joannes, (c. 20. v. 1. & seq.) scribit, Mariam Magdalenam la- pidem revolutum videntem, illico ad Petrum convolasse, eique dixisse: *Tulerunt Domi- num de monumento, & nescio, ubi po- suerunt eum*, quod quidem non dixisse, si Angelum vidisset, & auscultasset. Verum probe advertendum est, Magdalenam & Mu- lieres sepulcrum ingressas illico vidisse ne- minem; nondum enim iis, qui lapidi affide- bat Angelus, se conspicuum præbuerat. Ex quo Magdalena nihil aliud aspiciens, præter sepulcrum reclusum, sudarium, & fascias, celerrime ad Petrum, & Joannem se contu- lit, & præfata verba protulit; vere quidem; nam nec Angelum viderat, nec loquentem audierat. Illi vero ad sepulcrum statim con- volantes, cum nihil, quod Magdalena nunciavit, vidissent, demum redierunt, relictis in sepulcro Mulieribus. At Magdalena Chri- sti corpus vehementer cupiens invenire, hortum, ubi erat sepulcrum, explorando cœpit perambulare. Interea reliquæ Mülieres mo- numento exeuntes, duos Angelos viderunt, a quibus de Christi Resurrectione edoctæ fue- re, & mandatum Apostolis nunciandi acce- perunt. Denique Magdalena, postquam dici, multumque hortum frustra pervestigasset, rediit ad monumentum, unde jam reliquæ erant egressæ Mulieres; & duos Angelos, quos homines esse existimavit, atque ipsum Dominum vidit sub olitoris forma. Hac re- rum serie videtur sublata omnis discrepan- tia. Aberat enim Magdalena, cum reliquæ Mulieres duos Angelos viderunt, atque id- circo vere Petro, & Joanni potuit dicere, Christi Corpus sublatum e sepulcro, neque se scire, quo asportatum fuisset.

35. 36. Quoad 4. de qualitate Corporis resurgentis, dicendum 1. cum D. Thoma, (3. p. q. 54. a. 1.) Christi Corpus ad vi- rum, & solidum fuisse, non phantasticum, quia aliter vere dici non posset, Christum revixisse, ad quod necessarium omnino est,

eandem cum eodem corpore animam conjungi. Nec contra facit, quod aliquando idem mer Christi Corpus ab aspicientium oculis evanesceret; hæc enim est vis, & facultas corporis glorificati, ut cui & quando sibi libuerit, se vel conspicuum præbeat, vel ab aspectu surripiat. 2. Integram fuisse, proindeque & carnem, & ossa, & sanguinem habuisse. (*Loc. cit. a. 2.*) 3. gloriosum etiam fuisse; ejus enim Resurrectio fuit nostræ resurrectionis tum exemplar, tum etiam causa; gloriosa porro Sanctorum erunt corpora, ubi ad vitam revocata fuerint. 4. decuisse vulnerum cicatrices, de quibus Joannes, (*cap. 20. v. 27.*) in Christi corpore remansisse; (*Loc. cit. art. 4.*) tum ad sui gloriam, tum ad Resurrectionis fidem constabiliendam; tum etiam, ut Patri, dum interpellat pro nobis semper ostendat, quo mortis genere peccata nostra expiaverit.

37. Denique dissimulare nolumus, aliquibus in locis, Mantuæ præsertim, guttas aliquot Sanguinis asservari, quæ e Christi latere manarunt; quin hoc repugnet cum eo, quod docuimus, ad vitam Christum redeuntem idem corpus, eundemque Sanguinem assumpsisse. Nam, ut alibi idem etiam Benedictus XIV. (*In Op. de Canonizat. SS.*) docet, fieri bene potest, ut pretiosi Sanguinis guttæ aliquot humi remanserint, quibus nihil esset opus ad illius corporis integritatem; nec idcirco necessarium fuit, ut in Resurrectione ipsius corpori redderentur. Unde semper Verbum Divinum hypostatice fuit unitum partibus ad corporis integritatem pertinentibus; non tamen semper conjunctum iis, quæ non erant ad integritatem corporis necessarie, proinde nec in Resurrectione restituendæ.

38. 39. Quoad ultimum, de iis, qui cum Christo ad vitam redierunt, dicendum, nihil nobis esse compertum, quam quod tradit Mattheus, (*c. 27. v. 51. & 53.*) loquens de morte Christi: *Monumenta aperta sunt, & multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes, de monumentis post Resurrectionem ejus, venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis.* Reclusa quidem fuisse sepulcra in morte Christi, & mortuos tunc non revixisse, sed cum Christus resurrexit, communis est sententia, apud Suarez; (*T. 2. in 3. p. disp. 39. sect. 2. §. Quam vero potest.*) cui satis favet textus ipse Matthæi, distinguens inter apertionem sepulcrorum, & mortuorum resurrectionem, primum ponit mortis tempore, secundum videtur referre ad tempus, *Post Resurrectionem ejus.* Quamvis Lamy,

(*Concord. Evangel. l. 3. c. 36. p. 600.*) cum aliquibus, sic textum intelligant, ut apertis monumentis in morte Christi, vel paulo post, tunc Sancti revixerint; & cum Jesu ad Inferos descenderint, vel etiam extra Jerosolymam delinuerint; quam ingressi sunt post Christi Resurrectionem. De his mortuis resuscitatis duplex questio excitatur. 1. quinam illi fuerint? 2. utrum, qui revixerint rursus obierint, an vero cum Christo in Cælum rediivi, & ipsi ascenderint?

40. 41. Quoad 1. aliqui existimant, illos fuisse, qui in sinu Abraham diutissime præ aliis detenti fuerant, uti Adam, Abel, Noe, Abraham, Moyses, multique alii ex veteribus circiter usque ad David. Verum, cum non ubique, sed Hierosolymis, & adjacentibus locis reclusa fuerint monumenta, ut supra innuimus; nec alii, quam quorum sepulcra fuerunt aperta, revixerint; neque verisimile sit, omnes Patres ante Abraham in Palestina mortuos, & sepultos, non facile hæc sententia sustineri potest. Alii contra revixisse censent, qui, Judæis adhuc viventibus, noti erant, uti Zacharias cum filio suo Joanne, Baptista, senex Simeon, bonusque Lairo. Alii tandem pro iis pugnant, qui de Christo prophetaverant, vel ejus typus fuerant, uti Moyses, David, Samuel, Isaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, & Melchisedech, qui Sacerdoti Christi imaginem gessit; & Job, Jonas, tresque pueri, qui e fornace Babilonica incolumes erepti, Resurrectionis Christi fuerunt quodammodo typi.

42. 43. Verum nihil de hac re tuto affirmari potest, cum Sacra Textus solummodo dicat, multa Corpora Sanctorum dormientium surrexisse. Quod ad alteram spectat questionem, similiter dissentiant Patres. Quidam negant fuisse rursus morti obnoxios; illis enim gravius fuisset mortem rursus appetere, quam non reviviscere. Alii hoc minimi est momenti; cum nihil justis gratius sit, quam Divinam sequi voluntatem. Consentunt a Lapide, & Maldonatas; ex eo maxime, quod juxta Mattheum cit. *surrexerunt, & apparuerunt multis,* non omnibus; quod proprium est corporis gloriosi, cum contra Lazarus, resurgens viator, ab omnibus videbatur; nec urgens ratio est eundem dicatur, surrexisse iterum mortuos. Nihilominus in contrarium stant alii Patres, quorum opinionem multum probabilitatis habere censet D. Thomas. (*3. p. q. 53. a. 3. ad 2.*) & erudite tuetur Calmet; (*In Diss. de Resur. SS. PP. quo tempore Chr. rediit ad vit.*) ex eo maxime, quod D. Paulus, (*Ad*

Hebr. c. 11. v. 39. & 40.) de Justis Veteris Testamenti generatim dicat: *Hi omnes testimonio Fidei probati, non acceperunt re-promissionem, Deo pro nobis melius aliquod providente, ut non sine nobis consummarentur;* quod intelligendum censet de perfecta Resurrectione in vitam immortalem, quam noluit Deus illis tribuere ante nos. Verum an hæc, & alia, quæ pro sua profert sententia, illam plene probent, nostrum non est decidere. Illud notamus, quod in eam propendere videtur Benedictus XIV. tuam infra de Ascensione Domini num. 52.

44. 45. Reliquum est, ut de Christi apparitionibus in die Resurrectionis, cæteris alio rejectis, aliquid dicamus. Et in primis quærimus an apparuerit primæ omnium B. Mariæ? Et negat Eltius; (*In c. 16. Marci.*) quia nusquam tradit Scriptura; nec adest solida ratio, cur Matri primum non apparuerit; pulchre enim noverat in Resurrectionis Fide, minime eam nutare. Quamobrem Petrus Blesensis scribit; (*Epist. 50.*) Christum redivivum non Matri suæ, sed Mariæ peccatrici dignatum fuisse prius apparere, Christum B. Mariæ apparuisse negant penitus ex Heterodoxis Casaubonus; (*Exerc. 16.*) & Andreas Rivetus; (*Apolog. pro SS. Virgin. l. 1. c. 20. in fine.*) quia ex Sacris litteris, & antiquis Scriptoris non constat. Sed hæc nihil impediunt, quin piam sequamur sententiam, videlicet, Christum primo B. Mariæ apparuisse, quæ non convenientiæ modo sanctitur, sed traditioni, juxta ea, quæ scripsit Baronius, (*Ad an. Chr. 34. §. 133.*) & non negat Irenæus, ut observat Fevardentius, (*In c. 31. lib. 5.*) in quibusdam annotationibus adjectis ad calcem S. Irenæi operum, quæ collegit Renatus Massuetus Congregationis S. Mauri Monachus. Id enim clare affirmant Sedulius, apud cit. Fevardentium, Ambrosius, (*Lib. 3. de Virg.*) Bonaventura, & Rupertus, qui (*Lib. 7. de Divin. Offic. c. 25.*) existimat, Evangelistarum silentium ex eo provenire potuisse, quod tantum narrare voluerint, Christum apparuisse illis, quos vel Resurrectionis suæ testes elegerat, vel de Resurrectione noverat dubitasse, quorum in numero B. Mariæ profecto minime poni potest. Aliiter ex dicto silentio dicendum esset pariter, numquam Divinum Filium charissimæ Matri se videndum præbuisse, præterquam in die Ascensionis, cum aliud ex Scriptura non constet, quod utique admitti non debet. Denique non præmittendum S. Teresie testimonium, quæ in additione ad suam vitam scribit, sibi Christum significasse, si-

mul ac revixit, Sanctissimæ Matri, ut eam consolaretur, apparuisse, & quamdiu opus fuerat, cum ea multum temporis extraxisse.

46. Jam de apparitionibus ab Evangelistis relatis. Apparitionem primam de Mulieribus ad sepulcrum refert D. Matthæus. (*c. 28. v. 9.*) Secundam, Magdalena factam, scribunt Marcus, (*c. 16. v. 9.*) & fustus Joannes. (*c. 20. v. 14.*) Tertiam D. Petrus, Lucas, (*c. 24. v. 34.*) & Paulus. (*Ad cor. 1. c. 15. v. 4. & 5.*) Quartam Discipulis Emmauntem proficiscentibus, Marcus, (*cap. 16. v. 12.*) sed præcipue Lucas omnino videndus, (*cit. cap. 24.*) ubi rem minutim describit. Quintam narrat idem Lucas, & Joannes locis cit. Ut scilicet reversis ab Emmaunte duobus Discipulis noctu, & Apostolorum consortio additis, qui propter metum Judæorum in unum conveniant, dum, quod sibi contigerat, narrent, ingressus Jesus, januis clausis, stetit in medio eorum, & dixit: *Pax vobis, Ego sum. Nolite timere.* Atque, ut magis, magisque Resurrectionis suæ veritatem in corpore confirmaret, non modo iis suas manus, & pedes ostendit, ac præbuit contrectandos, verum etiam cum iis cibum voluit sumere, non necessitate, sed potestate, ut notat Augustinus. (*Ser. 142. alia. 157. n. 12. de Tempore.*) Denique postquam dixit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* suam in eos Spiritum inhalavit, dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remisistis peccata, remittantur eis, & quorum retinueritis, retinueritis, retenta sunt;* quibus verbis significatur collata potestas remittendi, retinendique peccata in Pœnitentiæ Sacramento, juxta Tridentinum (*can. 3. c. 14. de Pœnitent. Sacram.*)

47. &c. Quæritur hic, cum Christus accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque duobus Discipulis, apud Emmauntem, an panem consecraverit, sicut Hierosolyma ultima Cœna; Affirmant aliqui; tum quia verba, quibus eo in loco utitur Lucas, eadem sunt cum iis, quæ ipsemet Lucas cum Eucharistiæ institutione describit; tum etiam quia non initio Cœnæ, sed in fine benedictio illa adhibita fuit; ideoque ad Sacram Eucharistiam referenda; tum denique, quia hac panis fractione, Luca teste, (*c. 24. v. 31.*) Christum Discipuli agnoverunt. Vide Maldonatum, (*In cap. 24. Luc. num. 30.*) & a Lapide, (*In eund. loc. qui ex hoc monet, Eucharistiam sub una tantum specie distribui posse, & non sub utraque deberi ex Dei præcepto. Quoad hoc ultimum consentit*

Jansenius, (*In commentar. ad concord. Ev. c. 146.*) ex eo scilicet, quod cum omnes Christi actiones mysticum quiddam continent, id per hanc significare voluisse Christum, colligi potest. De cætero ipse cum aliis tenet, panem ibi non consecrasse; videtur enim ipsis incredibile, Jesum Eucharistiam præbuisse Discipulis illis, qui institutioni Eucharistiae in ultima Coena non adfuerunt, nec de Sacrosancto Mysterio illo quidquam noverant. Videantur pro hac sententia Lamy, (*concor. Ev. lib. 5. cap. 42.*) & Calmet, (*In cap. 24. Luc. num. 30.*) qui ait, utramque opinionem, de qua disputant Patres, conciliari posse dicendo Coenam hanc, & fractionem panis SS. Eucharistiam figurasse. Ultimo, difficultas orta ex Evangelistis apparitionem postremam describentibus. Lucas enim ait, (*cap. 24. v. 33. & seqq.*) Discipulos Emmaunte regressos undecim congregatos invenisse, ac proinde Thomam, sine quo *undecim* tunc temporis non essent. Contra Joannes huic apparitioni diserte negat, Thomam adfuisse. (*c. 20. v. 24.*) Optime tamen dissolvetur, dicendo adfuisse Thomam, cum Emmaunte Discipuli ruderetur; sed cum eorum sermo prolixius duceretur, Thomam, vel quod iis, quæ nararent, fidem non haberet, vel alia quavis causa impulsus, foras egressus esse, & tunc temporis Jesum inter Discipulos medium ex improvise adstitisse. Vide Suarez. (*Tom. 2. in 3. part. qu. 25. sect. 4. in fine.*)

50. Jam de Cæremoniis, quæ, ut diximus, Resurrectionis Mysterium referentes, antea quidem nocte, quæ præcedit Dominicam, nunc vero ipso Sabbathi die celebrantur. Igitur, cantatis Horis, nec accensis usque ad principium Missæ super Altare candelis, extra Ecclesiam ignis e silice extunditur, quo carbones incenduntur. Sacerdos novum ignem, & quinque incensi grana Cereis infigenda benedicit. Constans fuit Ecclesiæ disciplina, ut nulla re utatur, quin eam prius benedixerit. Hujus autem benedictionis ignis meminit Leo IV. (*Homil. de cura Pastorali.*) anno 847. Pontifex creatus, ignem hac die benedictum dividi præcipiens per populum. Monumenta etiam extant probantia, morem in Ecclesia Romana fuisse e percusso silice extundendi ignis Feria V. in Coena Domini, ut constat ex primo Ordine Romano. (*In Fer. 5. in Coen. Dom.*) Addit Thomassinus, (*De dies. Ebor. celebrat. l. 2. c. 14.*) consuetudinem fuisse quarundam Ecclesiarum, ut quotidie ignis in eum modum excuteretur, so-

lemni vero cæremonia Sabbatho Sancto; quæ consuetudo, ineunte sæculo XI. ad solam Sabbathi Sancti diem contracta fuit. Et Pouget, (*De Instit. Catholic. t. 1. p. 847.*) prædicta confirmans, fieri addit ad representandum Christum recenter ex mortuis suscitatum.

51. &c. Post novi ignis, & quinque granorum incensi benedictionem, carbones benedictos indit Acolythus in thuribulum, quo injectum incensum Sacerdos benedicit. Diaconus deinde alba induitur Dalmatica, arundinem accipit, cui tres impositæ sunt candelæ in formam trianguli, & Ecclesiam ingressus inclinat arundinem; Acolythus vero cum candela novo igne accensa, unam ex iis accendit, quæ arundini sunt impositæ, & Diaconus, erecta arundine, genuflectens, ait: *Lumen Christi*. Atque iterum, & tertio idem fit in medio Ecclesiæ, & ante Altare; ut tandem tres illæ sint accensæ, qui in trianguli formam dispositæ sunt. Bisus (*In suo Oper. litt. Ar. p. 460. §. 4.*) declarat, frustra se multum studii contulisse ad hujusmodi usus originem investigandam. Licet de initio hujus cæremoniae non satis constet, vetustam tamen fuisseprehenditur ex Ordinibus Romanis Cardin. Cajetani, & Amelii; & ex manuscripto Pontificali Apameensis Ecclesiæ, apud Martene. (*De antiq. Eccl. discipl. in celebr. Div. Offic. gag. 442. prim. edit. Lugdun.*) Gavantus sic triplicis candelæ mysterium exponit: *Candele enim in calce unum quid esse debent, & deinde distingui in tres: ad designandum Mysterium Unitatis, & Trinitatis Dei*. Idque confirmatur etiam, ut bene advertit Thomassinus, (*De dies. Festo celebrat. lib. 2. c. 14. num. 7.*) ex eo quod, dum quælibet ex candelis trianguli accenditur, dicitur: *Lumen Christi: Deo gratias*; Christi enim lumine fusi Trinitatis pœnitiora mysteria novimus.

54. &c. Processione expleta, fit benedictio Cerei. Ad quodnam sæculum referendum sit initium hujus cæremoniae, vide Synopsin. (*Ad Instit. 39. n. 1. &c.*) Rupertus Abbas (*De Div. Offic. c. 28. & seq.*) ait, Cereum significare Christum reviviscentem, quod diserte habetur cap. VIII. Concilii Toletani IV. juxta secundam Garziæ, editionem. Antequam Cereus benedicatur, Diaconus illi quinque grana incensi affigit, ut significetur Christi Corpus Josephi ab Arimathæa, & Nicodemi opera aromatibus esse conditum. Quinque foramina ad figuram Crucis in Cereo excavata, quibus grana incensi immittuntur, quinque Christi exprimunt vulnera. In

Ecclesia solum Ravennatensi, Cereus, ut colligitur ex D. Gregorio. (*Epist. 28. lib. 9.*) olim benedicebatur ab Episcopo; in aliis vero Ecclesiis, etsi reliquæ benedictiones fiant a Sacerdote, hæc generatim fit a Diacono, ut significetur, ex Ruperto, (*Loc. cit. supra.*) non ab Apostolis Corpus Christi, sed a Discipulis aromatis esse delibutum. Male autem Vertus, more suo, hanc caeremoniam ad causas refert naturales: quod scilicet, cum hæc Officia olim noctu fierent, lumine opus erat, maxime ad Processionem, quæ fit ad Baptistalem Fontem, in qua Cereus accensus præfertur. Sed num solum in Ecclesiis pervigilabant? Cur non aliis quoque pervigiliis adhibeatur?

57. 58. Paschali Cereo Tabellam notantem Incarnationis Domini annum decurrentem appendere, in usu fuisse tradunt veteres Scriptores, apud Martene, (*De antiq. Eccl. Disciplin. in Divin. celeb. Offic. c. 24. p. 407.*) & Gretserum. (*Lib. 1. de Fest. c. 25. pag. 74.*) Idem Cereus deinde accenditur, & ut verisimile videtur Lupo, (*Tom. 4. prim. ed. ad Concil. General. & Provin. p. 245. & 237. & sequen.*) in memoriam miraculi quotannis accidere soliti hac die Hierosolymis in Ecclesia S. Sepulcri, videlicet, uti tradunt Historici magni nominis, igne Cælo delapso luminaria accendi. Et licet hujuscemodi miraculi nulla fiat mentio ab Eusebio Cæsariensi, Hieronymo, Epiphanio, Cyrillo Hierosolymitano, inde colligitur, eorum quidem ætate nihil tale contigisse; minime vero ætate eorum, qui de eo scripserunt, & ad ea usque tempora editum; cum in Palestinam Photii, & Cerularii Schisma a Græcis inductum est. Legendus cit. Lupus. Hic notandum de hac die scripsisse Durandum: (*Lib. 6. c. 79.*) *Hac die Acolythi Romane Ecclesie faciunt Agnos de Cera nova benedicta, vel de cera Cerei Paschalis anni precedentis, admixto Chrismate, qui in Sabbatho in Albis in Ecclesiis per Dominum Papam populis distribuuntur.* Et Amalarius, (*Lib. 1. de Div. Off. c. 16.*) ex quodam libello Romano, affirmat Sabbatho Sancto benedici ceram oleo mixtam, indeque fieri Agnos, eosque reservari usque ad octavas Paschæ. Videatur Merati. (*Loc. supr. cit. p. 117. n. 66.*) Hinc, juxta aliquos mos fluxit, ut Romani Pontifices ceras dictas *Agnos Dei* benedicant, de quibus, & earum vi alibi Benedictus XIV. (*Lib. 4. de Can. Ss. par. 2. c. 20. n. 12.*)

59. &c. Dum Cereus benedicitur, canitur celebris hymnus, *Exultet* probabilis D.

Augustino tribuendus, ut ostendit Martene: (*Loc. cit. p. 405.*) Benedictionem Cerei consequuntur Lectiones ex Sacra Scriptura, *Prophetie* appellatæ. Inter eas Cantica, Tractus, & Orationes interjiciuntur, quæ ad Baptismi Sacramentum respiciunt. Hujus enim administratio peculiaris est hujus diei, & Vigiliæ Pentecostes, extra quos dies, juxta veterem morem, non conferebatur, nisi id posceret necessitas: in his vero ab Episcopis, & Pontifice ipso Catechumenis, & Infantibus Baptismus, Confirmatio, & Sacra etiam Eucharistia ministrabatur. Videatur Institut. I. Benedicti XIV. & ibi Synopsis. In libello de Ordine Romano hac die cavetur, ne Infantes post susceptum Baptisma, cibum capiant, vel lactentur, antequam Sacram sumant Eucharistiam, & omnibus diebus septimanæ Paschæ ad Missas procedant, & Parentes offerant pro illis, & communicent omnes. Cabassutius, (*Dissert. 5. in Not. Eccl. secul. pr.*) probat plurimorum sæculorum fuisse disciplinam, ut pueris post Baptismum Eucharistia præberetur sub specie vini. Baptizans enim digitum Christi Sanguine imbutum in os pueri injiciebat, quod etiamnum in more positum in quibusdam Regionibus Orientalibus testatur Maronita Abrahamus Echellensis. Circa communionem puerorum, & infantium post Baptismum videantur alibi dicta a Benedicto XIV. & Synopsis: (*De Syn. Dioces. l. 1. c. 10. n. 1.*) Præva autem eorum fuit consuetudo, qui lac, & mel in Calicem injiciebant; nam in vulgato Ordine Romano habetur quidem lactis, & mellis benedictio, sed ea non indebantur in Calicem, sed post Eucharistiam sub specie vini infantibus sugenda præbebantur. Quamobrem, Concilium Africanum, quod advertit etiam Berlendus, (*In Trade oblat. ad Altar. p. 4. & 5.*) decrevit, ne quidquam præter panem, & vinum aqua mixtum in Sacrificio offeratur. At, ommissa veteri disciplina, ad præsentem descendamus. Hac die Catechumeni adulti, atque etiam Infantes baptizantur; atque in Episcoporum Cæremoniali præscribitur, ne cuiquam infanti in Ecclesia, in qua Episcopus Sabbathi Sancti caeremonias est celebraturus, per octo dies ante idem Sabbathum, dummodo nulla urgeat necessitas, Sacramentum Baptismi administraretur. Adultis autem Catechumenis bene jam eruditis, post Baptismum, Confirmationis etiam, & Eucharistiæ sub una tantum specie Sacramenta conferantur. Quamvis autem nullus sit baptizandus, nihilominus, si adest Fons Baptistimalis, ad ejus benedictionem fit processio.

63. Præcedit autem Acolythus manu Cereum benedictum tenens, sequitur, qui Crucem gestat, ac deinde procedit Clerus; ultimus Missam celebraturus inter Diaconum, & Subdiaconum. De hujuscemodi Fontis benedictione, alibi, (*In prima Inst. edit. Latin.*) idem Benedictus XIV. & Synopsis, quos lector adeat. Hic advertendum, dum ad Fontem proceditur, Antiphonam: *Sicut cereus &c.* interea cani; ut declaretur, Sanctum, quo Cathecumeni flagrant; Baptismi desiderium. In crucis figuram aqua dividitur ad quatuor mundi plagas, ad significandum Baptismatis gratiam in mundum universum diffundendam, juxta illud Matthæi: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* (c. 28. v. 19.) In modum itidem Crucis Sacerdos in aquam Spiritum suum inhalat; ut cum Cruce Trinitatem conjungat, ait Gavantus. Cereum deinde in aquam ter immergit, ut Spiritus Sanctus sua plenitudine fontem impleat, sicut quando descendit in specie columbe in Christi Baptismo, adumbrari in hoc Cereu demerso in aquam: postea illum tollit, ad significandum effectum Baptismi, conferentis gratiam elevantem a peccato ad Gloriam. In aquam præterea Oleum Catechumenorum, & Chrisma infundit, eaque commisceat ad indicandam conjunctionem Christi per Baptismum cum populis Ecclesiæ, ut ait Gavantus. Hujusmodi caeremoniarum explicatio, partim ex Amalario, (*Lib. 1. c. 25.*) partim ex Honorii gemma, (*Lib. 3. c. 3.*) partim etiam sumpta est e Durando. (*Lib. 6. c. 81.*)

64. Fontis benedictione peracta, & administrato, si opus est, Baptismo, omnes eodem ordine, quo ad Fontem processerant, redeunt ad Altare. Cum autem Caeremoniale Episcoporum præscribat in hac processione canendas esse Litanias, & Rubrica Missalis, postquam ad Altare perventum fuerit; disputatur inter Scriptores de Sacris Ritibus, quid observandum? Meratus, (*In Not. ad Gav. p. 1168.*) utrumque concilians, ait, in Cathedrali servari debere, tanquam norma, Caeremoniale Episcoporum, in aliis Ecclesiis Rubricam Missalis. Si autem Ecclesia Baptismali careat Fonte, tunc cantari debere Litanias, absolutis Prophetiis, & Orationibus, humi Sacerdote, & Altaris Ministris in faciem provolutis, cæteris vero omnibus genuflexis. In Sacramentario S. Gregorii, & in Ordine Romano præscribitur, ut quando in Litanis canitur *Agnus Dei*, Altaris lumina accendantur; lumen enim Fidei, ut notat Amalarius, (*Lib. 1. c. 30.*) per Christum Agnum Dei, nobis illuxit.

65. Missa hujus diei Introitu caret, qui cum esset introductio ad publicas preces, canereturque interea, dum populus conveniret, & ad Altare Sacerdos accederet; eo jam nihil est opus in hac Missa; cum populus jam cum Sacerdote, & Clero Processioni ad Baptismalem Fontem interfuit, ut videre est apud Meratum. (*Loc. cit. pag. 1176. n. 5.*) Simul ac Sacerdos *Gloria in Excelsis* præcinnerit, pulsantur campanæ, quæ a Feria V. cessaverant ex causis supra dictis. (c. 6. n. 48.) Epistola sumitur ex prima D. Pauli ad Corinthios, qua recens baptizatos monet, ut resuscitati cum Christo, tantum cœlestibus studeant. Lecta Epistola, Sacerdos canit, *Alleluja*, quæ a Septuagesima usque ad Pascha, ex Gregorii Magni decreto, (*Epist. 64. Indi. 2. ad Joa. Epist. Syracusan.* omittitur, cum tempus sit poenitentiae, & mœroris, atque luctus; quapropter summota etiam fuit in Exequiis defunctorum, in quibus Hieronymo teste, (*In Epitaph. Fabiola.*) olim Romana Ecclesia adhibere solebat. Et si enim vocis *Alleluja* (de qua alibi, (*T. 9. p. 91. & 92.*) idem Benedictus XIV.) non alius sensus sit literalis, quam *Laudate Deum*; tamen, si ejus spectetur usus, exclamatio quædam est lætitiæ, ut idem fere valeat, ac apud Latinos *Plaudite*. Denique S. Gregorius Magnus testatur ab Hierosolymitana in Romanam Ecclesiam fuisse derivatum ejus usum S. Damasi ætate; se propterea nec induxisse, nec ampliasse.

66. &c. *Alleluja* lætitiæ voci, Tractus doctus signum consequitur; Ecclesiæ enim nondum est absoluta lætitia; nam illa reviviscentis Christi mysterium celebrat, qui tamen nondum apparuit. Evangelium Resurrectionis historiam continens desumitur ex Matthæo. Ad illud non deferantur luminaria, quia Christus nondum apparuerat; ejusque Resurrectio, juxta Alcuinum, adhuc erat obscura. Omittitur *Credo*, & nullum est Offeritorium, quod VValfridus Strabo, (*De rebus Eccl. c. 22.*) & alii, ad illud referunt silentium, quo Sanctæ Mulieres cum aromatibus, se ad sepulcrum Domini contulerant. Alii ad illud referunt, quod nulli hac die Eucharistia præberetur; ideoque populus non offerebat; cum hæc duo connexa sint. (*Canon. 28. Conc. Illiberit.*) Verum in hac Missa non Catechumeni modo, & Infantes, sed cæteri etiam communicabant, ut eruitur ex Oratione *Postcommunio* in Sacramentario S. Gelasii. (*Lib. 1. c. 15.*) Quare a VValfrido non recedendum. Tandem osculum pacis non datur, quia, ex

C A P U T IX.

*De Dominica Pascha, ac duobus Fefiis
quæ consequuntur.*

Gavanto, nondum Apostolis Christus appa-
ruerat, & dixerat: *Pax vobis*. Ex eodem
cum aliis non dicitur *Agnus Dei*, propter
Mulierum silentium, quæ in Christum Re-
demptorem animarum nondum crediderant;
vel ex Merato; (*Cir. op. p. 1182.*) quia
hæc nova adjectio per Sergium Papam aliis
Missis facta est; in hac vero mansit antiqua
consuetudo. Sedit autem Sergius anno 688.
Denique omittitur etiam Postcommunio;
quia ex cit. Merato, in ejus loco suffectæ
sunt Vesperæ, quæ verius appellari pos-
sunt *Gratiarum actio*, quam Officium Ve-
sperarum.

72. 73. Joannes Diaconus in Sua Episto-
(quam Græcolas, (*In Ver. Sacr. Eccles.*
p. 1. p. 45.) testatur repertam fuisse a Ma-
billonio in Bibliotheca Christianæ Svecorum
Reginæ) commemorat peculiare quemdam
Ecclesiæ Romanæ ritum ornandi septem Al-
taria Sabbatho Sancto; sed ejusmodi ritus
rationem se nescire fatetur, nec alias ea sa-
tis constar. Denique in quibusdam Ecclesiis
peculiares hac die caremoniæ fiunt. Talis
illa est, quam Gretserus, (*Lib. 1. de Fefi.*
t. 23.) memorat, eamque a Græcis injuria
carpi contendit. Sacerdos nimirum ante pre-
ces, & laudes matutinas e sepulcro Christi
imaginem educit, ipsiusque imaginis pedibus
Ecclesiæ pulsat fores, Davidicum illud suc-
cinens: *Attollite portas Principes vestras,
& elevamini porta aternales*; (*Pf. 23. v.*
7.) & Ecclesiæ foribus apertis, cantatur
hymnus de Resurrectione: Aliam quidem
scribit Salmeron, (*To. 10. Fra. 49.*) vi-
gere in quibusdam Provinciis; ut videlicet,
magna populi frequentia, repræsentetur Chri-
sti e cruce depositio, sed optandum esse ait,
ut Episcoporum Editis talia interdican-
tur spectacula, quod ea pluribus, gravibusque pec-
catis occasionem præbeant. Quod tamen
Quaresinio, (*Elucid. Terr. Sancto 2. lib. 5.*
cap. 18.) non placet; pie enim, & devote
testatur celebrari a Christianis Hierosoly-
mæ. Sed bene fortasse Hierosolymæ; in
aliis vero Regionibus non item; ubi Epi-
scopi ovium solliciti curant hujusmodi de-
leri consuetudines; sicut anno 1742. egit
Cardin. de Rohan Episcopus Argentinæ De-
creto ad calcem Ritualis illius Ecclesiæ im-
presso, quæ quidem consuetudines licet a
principio pietatis quodam sensu fortasse sint
introducæ, paulatim eo sunt prolapsæ, ut
populo maximam pariant offensionem.

1. PASCHA vox est, quam alicui existi-
mavit a Græco verbo *πάσχα*, idest,
passior ductam, & ad Christi Passionem re-
ferunt. Verius tamen est Hebraicum esse
nomen, transitumque significare. Præcipit
enim Deus Hebræo populo, ut hoc Festum
celebraret in memoriam maximi beneficii,
cum ex Ægyptiorum servitute fuit ereptus,
& exterminator Angelus primogenitos Ægy-
ptiorum interfecit, Hebræorum domos præ-
teriens, quæ sanguine Agni pridie ejus diei
immolati essent resperse. Ob eandem ratio-
nem, cum hac die celebretur memoria Re-
surrectionis Christi, qui reviviscens, de Dia-
boloque triumphans, homines ab ejus ser-
vitate, & æterna morte liberavit, ut in
hujus diei Oratione loquitur S. Ecclesia,
propterea huic diei Paschæ nomen est indi-
tum.

2. Hujus Festivitatæ origo ex Augu-
stino, (*Epist. 54.*) ad Apostolos est refe-
renda; & ideo S. Gregorius Nazianzenus
eam appellat Festum Festorum, & Solemnita-
tem Solemnitatum; & juxta veterem disci-
plinam, ut ex Gratiano patet, (*Canon. 1.*
de Consecrat. Dist. 3.) non die tantum Do-
minica, duobusque consequentibus diebus
sed per integram hebdomadam ab operibus
fervilibus abstinerebatur. Quod viguisse usque
ad sæculum XII. confirmant plurimi monu-
menta, apud Gretserum, (*Cir. lib. 1. de*
Fefi. cap. 26.) & alios. De Resurrectione
nullus hic erit sermo, cum de ea fufe dis-
seruimus in Sabbatho Sancto; pauca autem
breviter perstringemus de die, quo Pascha
sit celebrandum.

4. &c. Romana Ecclesiæ omnium Eccle-
siarum Mater; veterem sequuta morem;
Pascha celebrabat ea Dominica, quæ post
vernæ æquinoctium decimam quartam Mar-
tii Lunam consequeretur. Verum Asia Ec-
clesiæ Pascha juxta Hebræorum ritum cele-
brabant decima Luna Martii in quancum-
que diem ea Luna incidisset. Ea controver-
sia, tanquam ad solam pertinens discipli-
nam, principio nihil turbavit in Ecclesia.
Et sane Polycarpus Episcopus Smyrnen-
sis cum osculo pacis Roma discessit, licet Asia-
ticum ritum observans cum Aniceto Ponti-
fice Pascha celebrare noluisse. Sub finem
vero II. sæculi Policrates Ephesus Episco-
pus, Concilio, cum aliis Episcopis habito,

Epistolam Synodicam, de qua Eusebius, (*Histor. Eccles. lib. 5. cap. 24.*) ad Victorem Papam scripsit, in qua una cum ceteris Episcopis Orientalibus declarabat, fieri contra traditionem a S. Joanne Evangelista acceptam, si alio die, quam decima quarta Martii Luna, Pascha celebraretur. Ex quo Victor, coacto Romæ Episcoporum Concilio declaravit Asiaticos ab unitate Ecclesiæ, & a Fidelium communione separandos, si Pascha juxta Romanam disciplinam in Dominica non celebrarent. Constat ex Epistola Synodica, apud Eusebium.

7. Ad eam dissensionem componendam plura variis in locis Concilia celebrata sunt. Et quamquam Gallicana Ecclesia Romanum ritum servabat, tamen Irenæus Lugdunensis Episcopus cæterarum etiam Ecclesiarum nomine, scripsit ad Victorem Papam, illum cohortatus, ne propter ejusmodi controversiam, quæ ad disciplinam tantum pertineret, Alia Ecclesias a sua communione sejungeret: diversam enim esse posse disciplinam; quin unitas lædatur Ecclesiæ. Tandem anno 325. ea dissensio in Nicæna Synodo quievit. Decrevit enim Pascha juxta Romanum ritum fore celebrandum ea Dominica, quæ post decimam quartam Lunam, vel in æquinoctium vernum caderet, vel illud proxime consequeretur. Ad tollendam autem de vero æquinoctio controversiam, quæ ab Astronomis excitari poterat, diem vigesimum primum Martii, tanquam æquinoctii diem habendum statuit.

8. Breve per totam hebdomadam Officium recitatur; quia cum Christiani ad multam noctem in Officio, & Missa Sabbathi Sancti detenti fuissent, & rursus paululum reflectis viribus ad Officia Divina redirent, nocte jam vergente in diem pluribus recitandis Nocturnis spatium non suppetebat; propterea unum dumtaxat satis esse oportuit. Hic autem mos tota hebdomada retinebatur; quia quidquid in Ecclesia prima die, præsertim quoad Neophytos attinet, fieri solebat, idem per reliquos hebdomadæ dies factitabatur. Ita Martene, (*De ant. Eccles. Discipl. in celebr. Divin. Offic. c. 25. n. 25.*) ac Mazzinellus. (*in Not. ad Offic. Hebdom. Sanctæ pag. 313.*) In Missa dicitur pro *Sequentia Victimæ Paschali*, cujus Auctorem non satis nobis esse cognitum, merito ait Gavantus.

De festo Ascensionis, quod Foris V. celebratur, quæ Dominicam V. post Pascha consequitur.

1. 2. **A**ntequam Christus in Cælum conscenderet, se videndum sæpius exhibuit, uti Evangelistæ testantur. Ac præter jam relatas apparitiones, post dies octo, ut narrat Joannes, (*c. 20. v. 26. & seq.*) apparuit iterum januis clausis, coram Discipulis, in eodem loco, quo antea, congregatis, & nunc præsertim Thoma. Hanc apparitionem Hierosolymis evenisse, arguit Suarez, (*In 3. par. D. Tho. to. 2. qu. 55. art. 4. Sect. 5. in principio Disp. 49.*) ex verbis Evangelistæ, apud quem omnino videndum, quidquid in ea gestum fuit.

3. At investigandum, quomodo Jesus introverit in Cœnaculum januis clausis, cum habeamus ex D. Thoma, (*3. part. q. 34. a. 1.*) Christi animam post Resurrectionem rursus, sicut antea, copulatam fuisse Corpori, non phantastico, apparentivo, sed vero, & solido. Male quidam ex hreticis opinati sunt, Christum intrasse foribus apertis, per eaque verba *cum fores essent clausæ*, designari tempus noctis, quo ea claudi solent. Verum id clare repugnat Joanni, dicenti præterea, *venit Jesus januis clausis*, per quæ nemo est, quin intelligat, *non tempus sed modum intrantis significari*, ut ait Estius. (*In c. 20. Joann. n. 9.*) *Hic nemo querat*, ait D. Cyrillus, *quomodo clausis januis corpus Domini penetravit; cum intelligat non de homine, sed de omnipotente Dei Filio hæc scribi*. Quare dicendum cum D. Thoma, (*3. part. quest. 34. a. 1. ad 1. vi Divinitatis corpori unitæ, non ipsius corporis virtute id factum esse, ad eum modum, addit Augustinus, (Tract. in Joan. 121. to. 3. oper. col. 808. §. 4.) quo ipso nascente, virginitas Matris inviolata permanfit*. Corpus namque Christi post Resurrectionem verum quidem, & integrum, sed gloriosum fuit: ideoque ad eam subtilitatem redactum, ut nihil illi, quocumque introire vellet, esset impervium.

4. At dubitabit aliquis, quomodo Christi Corpus, gloriosum cum fuerit, palparetur a Thoma; palpationem enim denotat corruptionem, quæ corpori glorioso minime convenit. Quidquid autem dicat Glossa, & Euthymius, Thomam non tetigisse vulnera, sed tantummodo vidisse, affirmandum in primis cum Ambrosio, Augustino, & Gregorio, cicarices

ces ab eo fuisse tactas: quia in Joanne cit. habetur præceptum Christi ad eas tangendas; nullumque apparet fundamentum, ut putemus, Thomam præcepto non obtemperasse. Videatur cum aliis a Lapide, (*In c. 20. Jo. n. 27.*) Quod autem palpari possit Corpus gloriosum, affirmant Cyrillus, & Chrysostomus; qui a cum resistentia palpationis a proprietate quantitatis proveniat, hanc, cum sibi liberet, Christus poterat eripere; quod pariter dicendum de visibilitate. Quod autem Christi Corpus etiam post Resurrectionem natura sua palpabile fuerit, affirmat D. Thomas, (*Loc. cit. art. 3. in resp. ad 1.*) immo & corruptibile futurum, si absque gloria fuisset, quæ ab Anima Beata in ipsum redundabat.

56. Notatu maxime dignum est, Thomam hac in apparitione Magistri sui, fuisse primum, qui Christo nomen *Dei* discrete tribuerit. *Diserte* dicimus, nam æquipollenti loquendi forma alibi clare hoc significat Evangelium, dicens, Verbum esse Deum, carnemque assumpsisse. Optime Maldonatus: *Non respondent: Credo, Domine te esse, te a mortuis surrexisse; sed respondet quod majus est: Dominus meus & Deus meus... Confessus... Deum, ac Dominum verum esse qui se a mortuis suscitasset.* (*in c. 20. Joan. n. 28.* Arianos acerrime corripit hic textus adeo perspicuus, dicereque coacti sunt, Thomam Deum appellasse eo modo, quo Iusti in Scriptura, (*Exod. c. 7. v. 1.*) Dii vocantur. Sed perperam, nam Thomas Christo tribuit non solum Dei nomen, sed Dei, Dominique sui, Deuteronomii verbis utens: *Dominus Deus noster, Deus unus est.* c. 6. v. 4. Quapropter concludendum cum D. Hilario, (*Ador. Arian. l. 7. de Trin. col. 184. t. 2. Oper. edit. Ver. novis.* Thomam Deum Christum nominantem denotare voluisse, eum verum esse Deum, quæ Fidei professio per Christum laudata veram comprobavit Divinitatem: quod neutiquam Christus fecisset, nisi verus esset Deus. Inepte etiam dixerunt Sociniani cum eniedino, Thomam in ea prorupisse verba admiratione commotum, quemadmodum nos veritate rei percussim exclamamus: Proh Deum immortalem! Nam præterquam quod hic fuerit error Theodori Mopsuesteni damnatus in v. Concilio Constantinopolitano, (*Act. 3. c. 11. & in Edicto Justiniani Imperatoris*, clarissime Evangelio opponitur dicta interpretatio, quod non ad Patrem; sed ad Christum verba Thomæ refert: *Respondit Thomas, dixit ei (utique Christo) Dominus meus &c.*

7. &c. Iterum apparuit Christus Discipulis

ad mare Tiberiadis in Galilæa, sicut Mattheo teste, (*c. 26. v. 32.*) ante mortem prædixerat; quod etiam narrat post Resurrectionem dixisse Mulieribus. (*c. 28. v. 7.*) In littore autem maris Tiberiadis, uti narrat Joannes, (*c. 21. v. 1. & seq.*) erant Petrus, Nathanael e Cæna Galilææ, Filii Zebedæi, alique duo Discipuli, & Thomas, Didimus appellatus, idest, geminus: vel quia, ut vult Euthymius, cum alio fratre eodem fuit editus partu; vel quia, ut vult Toletus cum Maldonato, nomen erat a Majoribus suis acceptum, quemadmodum apud Romanos multi & *Spurii*, & *Crassi* appellabantur, quin defectibus illis laborarent. Insuper Nathanaelem, qui teste Joanne, (*c. 2. v. 46.*) ad Jesum per Philippum fuit adductus, Bartholomæum fuisse putant Rupertus, Toletus, & a Lapide; quia si diversus esset, nusquam reperiretur Bartholomæus inter Apostolos cooptatus. Joannes enim de Nathanaele mentionem faciens, non recordatur Bartholomæi; alii autem Evangelistæ Bartholomæum commemorantes, de Nathanaele omnino silent; hi namque juxta Estium, (*In c. 21. Joan.*) morem Judæorum observant, qui per illud temporis non proprio, sed Paris nomine quemquam appellabant. Cum autem Bartholomæus proprium non esset nomen, significat enim Filium Tholomæi, seu Ptolomæi, ideo hoc nomine Evangelistæ appellarunt, minime autem proprio Nathanaelis nomine, quo usus est Joannes Judæorum consuetudinem aspernatus. Baronius (*Ad an. Chr. 31. §. 28.*) tamen Augustinum (*Tract. in Joan. 17. c. 1.* fecutus, negat Nathanaelem a Jesu fuisse ascitum inter Apostolos, eo quod Legis esset peritus. Concludendum igitur cum Lamio, (*in Tract. de erudit. Apostolo 1. Florent. an. 1738.* satis constare, Christum ad humanæ sapientiæ superbiam confundendam, priores duodecim homines rudes, & imperitos ad Apostolicam Dignitatem pro-
vexisse. Dicimus *priores duodecim*, nam D. Paulum in Lege peritum esse, indubium est. Quod ad Zebedæi filios attinet, expresse ait Mattheus, (*cap. 10. v. 3.*) Jacobum, & Joannem appellari. Qui vero fuerint duo reliqui Discipuli, cum Evangelistæ nomina reticeant, frustra a nobis investigantur.

10. 11. In littore autem cum essent, omnes piscatum Petro comites sese addidere. Ea in nocte nihil piscium ceperunt, usque mane; tunc vero Christus a nullo eorum, teste Joanne, (*c. 21. v. 3. & seq.*) agnitus, in littore adstitit; interrogans autem, an quidquam esculenti haberent, illisque

negantibus quidquam sibi esse, rete ad dexteram jacere navigii partem Christus iussit, sic prospere illis, & bene piscationem eventuram, sicut accidit. Primus Joannes Christum agnovit, sive quod ex prædæ miraculo illum argueret, sive quod propter innocentiam, puritatem vitæ, amoremque in Jesum, clarissime omnium viderat. Hinc Hieronymus; *Prior virginitas, virginale corpus agnoscit.* (*Ep. ad Pammachium advers. error Jo. Hieros.*) Petrus autem a Joanne monitus de Christi præsentia, tunica se præcinxit, in mare profilit, & ad Jesum venit, sive adnans, sive ut verisimilius judicat Maldonatus, (*In cap. 21. Jo. v. 7.*) non admodum alto prope litus mari pedibus incedens, quia Evangelista narrasse non dicit; reliqui vero Discipuli, qui a terra non plus, quam ducentos passus aberant, ad litus rete trahentes, navim apulerant. Neque per hoc, quod Joannes, (*c. 21. v. 7.*) dicet, Petrum nudum esse, dum erit in navi, intelligendum est, illum fuisse omnino nudum, sed interula fuisse indutum, more Hebræorum, qui teste Natali Alexandro, (*In cap. 21. Joan. 7.*) illa induti, nudos solent appellare; & sic nudus prophetavit Saul. (*qu. 1. Reg. c. 19. v. 24.*) Saltavit David, (*Reg. c. 6. v. 14. 16. 20.*) & ambulavit Itaias, (*cap. 20. v. 2. 3.*) atque hic est sensus Job textus: *Nudos spoliasti vestibus.* (*cap. 22. v. 6.*)

12. &c. Discipulos ad litus accedentes, ait Joannes citato cap., panem, piscemque candentibus prunis impositum, vidisse, Jesumque præcepisse ad se pisces ex prædâ adduci, & Petrum conscensâ navi in reti non sine admiratione integro, centum, & quinquaginta tres prægrandes pisces ad litus traxisse. Hoc facto, vocatos a Christo ad prandium fuisse Apostolos, qui panem, piscemque accipiens distribuit; comedissemque omnes, quin ausi fuerint, quis esset, interrogare; sciebant enim Dominum esse. Notandum, quod panis, & pisces miraculose reperti in littore, fuere vel ab Angelis, vel aliter omnipotentis vi illuc asportati, sive formati ex alia materia, uti alibi differuit idem Benedictus XIV. (*In Oper. de Canoniz. Ss.*) Neque prætereundum, Christum, licet in Evangelio Joannis non legatur, comedissem, sed tantammodo ad manducandum invitasse; utamen D. Gregorium, & Theophylactum existimare, illum cum Discipulis comedissem; quia semper in suis apparitionibus comedere consuevit, etiam si prandium non esset paratum, neque Discipuli manducaturi, ut videre est

apud Lucam; *cap. 24. v. 41.*) & hæc manducatio ex Maldonato, (*Ad cap. 21. Joannum. 12.*) conveniens erat ad firmandum in cordibus Discipulorum Resurrectionis Fidem; aliter, si Christus non comedissem, cæteris manducantibus, illusionem esse, forent suspicati; Christus namque licet cibo non indigeret, comedendi tamen facultatem retinuit post Resurrectionem, itaut verocomederet, quemadmodum ex D. Augustino contendit D. Thomas; (*3. part. qu. 54. art. 3. ad 3.*) nam etiam si post Resurrectionem in Christi Corpus cibus non converteretur, sed in præjacentem materiam resolveretur: nihilominus Corpus talis erat naturæ, ut posset in se cibum convertere. Et in hoc distinguitur ab Angelis, corpoream figuram assumptibus, qui, eodem Thomæ teste, (*1. par. qu. 51. a. 3.*) vitales actiones minime exercent; ideoque quando legitur in Scripturis, Angelos manducasse, non de vero cibo, sed de figurato est intelligendum; ille enim in assumptum corpus distribui non potest: cum de ratione corporis assumpti non sit alimenta in se convertere. Et hoc significare voluit Angelus Tobis. (*cap. 12. v. 19.*)

15. &c. Expleto prandio adjungit Joannes cit. capite, Christum ter Petrum interrogasse: *Simon Joannis diligis me?* Petrumque ter respondisse, se illum diligere; ut (quemadmodum volunt Interpretes) tribus hæc amoris sui declarationibus culpam trinæ negationis dilueret. Christus autem amorem Petri approbavit his verbis: *Pax Agnos meos, ter repetitis;* suamque in terris Vicarium constituit, sicut antea promiserat. Petrus tristitia fuit correptus in tertia Christi interrogatione; quia cum ante, ex Euthymio, Chrysostomo, & aliis, viribus suis confidens, Christum in Passione deseruerat post tam multas protestationes suæ emicitis: postea jam cautior factus, & timidior verebatur, ne simile futurum Christo, cognitum, & sibi ignotum foret. Tunc etiam Christus illis verbis, apud Joannem, (*c. 21. v. 18. & 15.*) prædixit Petro Martyrium, quod sustinuit post annos 34. extensis brachiis ad catenas, & Crucem; cui fuit affixus, uti testantur Lactantius, (*De morte Persecutorum.*) Eusebius, (*Hist. Eccles. 1. 3. c. 1.*) & alii.

18. &c. Denique in sermone eodem Petrus, Joannem respiciens, Magistrum interrogavit: *Domine: hic autem quid?* cui respondit: *Sic enim volo makere, donec veniam, quid ad te?* Ex quo credidere aliqui, Joannem non morituram; minime autem

tem ipse Evangelista, qui de cœlesti immortalitate ea verba intellexit, uti innuit in illo: *Et non dixit Jesus non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam*; quod scriptis ætate jam decrepita, Domini expectans visitationem. Prædicta verba licet legantur in nostra Vulgata, & iis utantur Augustinus, Ambrosius, & alii; attamen nonnemo existimavit eo loco sic legi debere *Si*, uti innuit Lamy, (*Concor. Evang. l. 1. c. 44. num. 20.*) cum aliis; at Maldonatus, (*In c. 21. Joan. n. 22. & 23.*) utramque lectionem posse retineri monet, attenta sententia. Ex prædictis verbis, & illis aliis, apud Matthæum: *Sunt quidam de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo*, (*c. 16. v. 28.*) quidam censent, Christum solum innuere voluisse, Joannem videtur usque ad Hierosolymæ excidium, sæpe in Scriptura per Christi adventum significatum; & sane Joannes trigesimo anno ab ejus excidio obiit: Alii autem cum a Lapide, (*In c. 21. Joan.*) & aliis, sentiunt illa verba significare, Joannem ad Christi placitum vivum fore, donec e vita naturali morte eriperetur; ut certe fuit sublatus, quin ei gloria Martyrii defuerit; nam multis ante mortem annis, Romæ in ferventis olei dolium missus, illæsus evasit. Videatur alibi idem Benedictus XIV. (*Lib. 3. de Cano. Ss. c. 12. n. 4. & 13. l. etiam l. c. 14. n. 12.*) qui ab omnibus dicit improbari opinionem eorum, qui existimant, Joannem vivum adhuc reservari, sicut Elias, & Enoch, ut una cum illis in fine sæculi pagnet cum Antichristo: licet autem ita legatur in D. Ambrosii operibus; (*In Ps. 25.*) attamen Benedictini Monachi in ejus editione annotarunt, ab omnibus, uno excepto, manuscriptis codicibus abesse vocem *Joannem*.

21. 22. Hæc dicta sunt de hac apparitione, *tertia* a Joanne (*c. 21. v. 14.*) appellata: vel quia de apparitionibus factis Discipulis simul junctis loquitur, ut advertit Tirinus; (*In eund. locum.*) vel quia eas per dies, in quibus evenerunt, numerat; itaut quæ ipso Resurrectionis die acciderint, & si plures, apparitionis primæ vicem fuerint sortitæ, secundæ, illa post dies cœto, tertiæ hæc, de qua loquimur. Videatur Duhamel, (*In Not. ad c. 21. Joan. n. 14.*) qui etiam, (*Ibid. n. 31.*) eorum diluit opinamentum, qui gratis suspicantur, hoc postremum Joannis caput, illius Evangelio fuisset additum per Ecclesiam Ephesinam, quamvis ex scriptis S. Joannis constet.

Nos cæteras apparitiones prosequamur, eamque in primis, de qua narrat Matthæus, (*28. v. 16. & seq.*) undecim Apostolos venisse in Galilææ montem a Jesu designatum. Quisnam ille fuerit mons, cum Evangelistæ taceant, divinare non licet. Certum est in illo Jesum videntes adorasse, quosdam autem dubitasse; non quidem Apostolos, sed alios, qui, ut Suario, (*Cit. scilicet 5.*) verisimile videtur, apparitioni interfuere; Matthæus enim cæteros non excludit, dicens, undecim interfuisse; Et hoc confirmatur ex D. Paulo: *Densus vilus est plusquam quingentis fratribus simul*, (*Ad cor. I. c. 15. v. 6.*) quæ verba, juxta communem Interpretum, teste Estio, (*Coment. additam D. Paul. Epist. n. 6.*) ad hanc apparitionem omnino sunt referenda. Unde, Jesum adorarunt undecim, cæterique Discipuli ejus præcipui, tanquam Dei Filium a morte reviviscentem; quidam vero non Apostolorum, sed Discipulorum dubitarunt; non ut advertit Calmet, (*In c. 28. Matt. n. 17.*) de Resurrectione, sed an corpus, quod videbant, esset verum, an phantasma; vel, ut censet Lamy, (*Concord. Evang. l. 5. c. 45. n. 17.*) dubitaverunt, an esset Jesus, antequam ille ad eos proxime accederet; ait enim Matthæus: *Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt: Et accedens Jesus locutus est eis &c.* (*c. 28. v. 17. 18.*) Aliqui tamen cum Maldonato, (*In idem c. n. 17.*) dubitasse censent quosdam ex undecim Apostolis.

23. 24. In ea apparitione, ait Matthæus, Christum Apostolis dixisse, datam sibi fuisse omnem potestatem in Cœlo, & in terra; non quidem ut Deo, qui ab æterno ea præditus erat, sed ut homini, qui *inchoative*, ut loquuntur Theologi, in Incarnatione propter dignitatem hypostaticæ unionis cum Verbo consequutus eam est, & complete postquam revixit propter suæ Passionis, & Mortis meritum: & consonat D. Paulus (*Ad Philipp. c. 2. v. 8. & seq.*) Ejusmodi igitur potestate usus, jussit per universam orbem ire Discipulos, docere omnes Gentes, baptizare eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; utque eos docerent servare omnia, quæcumque ipsis mandaverat. In quibus verbis Sacramenti Baptismatis forma continetur, juxta veterem traditionem, & perpetuam Ecclesiæ consuetudinem. Quærun autem Theologi, an alias etiam collatum fuerit in solo nomine Jesu Christi; cum in multis Actuum Apostolorum locis, (*c. 2. v. 38. c. 8. v. 12. c. 10. v. 48. c. 19. v. 5.*) sic Baptismata collata reperiantur.

Affirmat D. Thomas, (3. p. q. 66. art. 6. ad 1. & in 4. Sentent. dist. 3. q. 1. a. 2. q. 2. ad 3.) docens, hanc formulam peculiari quadam dispensatione Apostolis fuisse concessam, ut invidiam nominis Jesu Christi eluerent, eique honorem, & existimationem conciliarent. Displicet tamen hæc doctrina cæteris Theologis, qui per Baptizari in Christi nomine intelligunt baptizari post publicam Fidei Christi professionem; vel Christi Baptismate contraposite ad Baptismum Joannis. Denique rejiciendi Anabaptista contententes ex verbis: *Docete omnes Gentes, baptizantes eos* &c. baptismum infantibus eruditionis incapacibus conferendum non esse; nam ut bene Estius, (In c. 28. Matt. n. 19.) illud; *Docete omnes gentes ad eos quidem, qui doctrina informari possunt, est referendum; illud vero: Baptizantes eos, ad omnes quidem, cum omnibus necessarium sit hoc Sacramentum, juxta illud Christi D. apud Joannem: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. (c. 3. v. 5)*

25. 26. Conclufit Christus illis verbis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem seculi*; quibus promisit Apostolis, ejusque Successoribus perpetuam suam assistentiam, non solum Spiritu a Cælo mittendo, sed etiam auctoritate, opere, Divinaque virtute in adversitatibus, Evangelii prædicatione, &c. Post hanc apparitionem existimat Lorinus (*Ad Act. Apost. c. 1. v. 13.*) evenisse illam Jacobo factam, de qua D. Paulus, (*Ad Cor. 1. c. 15. v. 7.*) Sicut necessum est etiam credere, alias ab Evangelistis speciatim non relatas, post Resurrectionem evenisse, per quadraginta illos dies, quibus in terris fuit versatus, antequam Cælum conscenderet; cum ex Apostolorum Actis, (*c. 1. v. 5.*) constet Discipulis frequenter apparuisse; postremam vero omnium fuisse illam a Marco (*cap. ult.*) relatum; in quo cohæret etiam D. Paulus cit.

27. Est autem ejusmodi. Apostolis Jerosolymæ congregatis (Deo sic disponente, ut testes essent Ascensionis Dominicæ, ac postea Spiritu Sancto perfunderentur) mensæque recumbentibus, apparuit illis Jesus, eosque in crepuit, *quia is, qui viderent, cum resurrexisset, non crediderunt*. Deinde per univærsum orbem eos justit Evangelium prædicare omni creaturæ, addens: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*: quorum primum intelligatur, dummodo usque in finem perseveraverit in Fide viva,

& sincera, charitateque cum bonis operibus conjuncta, uti exponunt Apostoli Paulus, (*Ad Gal. c. 5. v. 6.*) & Jacobus: (*c. 2. v. 14. 19. & seq.*) Postremo, credentibus promisit miracula, de quorum intelligentia, & impletione, videatur alibi idem Benedictus XIV. (*De Canon. Sr. l. c. 2. n. 8.*)

28. &c. Hoc factò, subjungit Marcus, Redemptorem in Cælum conscendisse; Lucas vero ait, (*c. 24. v. 28. & seq.*) Christum Discipulos e Cœnaculo in Bethaniam adduxisse, ut ex aperto loco Ascensionis suæ miraculum conspicerent; atque illis mansionem Hierosolymis imperasse, ac Spiritum Sanctum, alias promissum, (*Joan. c. 14. v. 26.*) ibi expectare. Adjungit, (*Actor. c. 1. v. 6. 7. & seq.*) Discipulos Christum interrogasse, num dies instaurationis Israelis adventaret? Dominumque, castigata Discipulorum curiositate, respondisse, Patri suo reservari ejus rei cognitionem, sermonemque convertisse ad Spiritus Sancti descensum, & ad res, quæ in Fidei prædicatione futura erant in Judæa, & Samaria, totoque terrarum orbe. Hacque locutione completa, Christum, illis conspicientibus in sublime elevatum, & ab eorum oculis, interposita veba, ereptum; cumque illum aspicerent in Cælum ascendentem, adstitisse duos viros, in vestibus albis, dixisseque: *Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in Cælum, sic veniet; quemadmodum videritis eum euntem in Cælum; hoc est, in extremo die, cum pari redibit majestate judicaturus vivos, & mortuos*. In Evangelio autem adjungit, (*c. 24. v. 50. & seq.*) Jesum, dum in Cælum tolleretur, Discipulis benedixisse, eosque Dominum adorasse; & quidem patriæ adoratione, quam externe, juxta Maldonatium, (*In c. 24. Luc. v. 52.*) nunquam antea adhibuerant, etiam si ejus Divinitatem cognitam habuissent; quia ejusmodi cultum, licet debitum, Discipulis, propter mutuam familiaritatem, remisisse Christus videtur. Neque ex hoc bene nobis exprobant Hæretici, quod Eucharistiam adoremus, cum ab Apostolis id factum non legatur; quia, ut advertit Maldonatius, mirum non est; Apostolos in Eucharistia non adorasse Christum, quando illum extra Eucharistiam etiam non adorarunt. Modo vero, supposita Apostolorum adoratione, Christum in Eucharistia adorare debemus, cum ex fide veram Deam esse, illique credamus existere.

29. &c. Nunc pertractandum i. De questionibus ad textus intelligentiam pertinentibus. 2. De questionibus excitatis a Theologis, mysteriumque respicientibus. 3. De iis, quæ

hoc mysterium circumstant. Quoad 1. notamus Marcum, (c. 16. v. 19.) affirmare Christum in Cælum assumptum a dexteris Dei sedere; & hoc ipsum affirmavit Jesus Summo Sacerdoti, (Marc. c. 14. v. 62.) Et sæpe alias in Scripturis dicitur. Non est hic intelligendum, cogitandumve per *ly dexteram* aliquem situm, aut figuram, quibus certe Æternus Pater circumscribi non potest, vel humanum etiam habere corpus, quæ hæresis fuit *Antropomorphitarum*, sed dicendum cum D. Thoma, (3. part. q. 58. art. 1. & duob. seq.) Scriptores Sacros, ut solent, usurpasse modos populi captui accomodat; ea propter cum Reges terræ ad suam potentiam ostendendam sedent in Throno, circum eos adstantibus ministris; eodem prorsus modo describi Christi sessionem ad Patris dexteram ad summam Christi potentiam, æqualitatemque cum Patre declarandam. Videantur Calmet (In cap. 16. Marc. n. 19.) & Maldonatus. (In eund. locum.) Aliqui per hanc sessionem Christi, tanquam hominis, intelligi volunt judicariam potestatem ei a Patre commissam, universæque Ecclesiæ gubernationem. Cui opinioni favet Sedulius. (Lib. 5.) Nec per sessionem ad dexteram argui potest, voluisse Patrem, ut Filius magis, quam Pater, honoretur, aut ille major credatur; nam & Nero Tiriditatem Armenorum Regem ad dexteram suam sedere iussit, Svetonio teste, (In Nerone. c. 13. & in Claudio. c. 24.) nec propterea majorem se Tiridatem haberi voluit. Optime S. Maximus Taurinensis: (in Hom. de Ss. Pentecoste.) *Licet dignitatis gradus non sit, ubi est plenitudo Divinitatis, tamen ideo ad dexteram sedet Filius, non quo præferatur Patri, sed ne inferior esse credatur.*

35. 36. Cum Christus discessurus Apostolis promissit Spiritum Sanctum, sic dicit: *Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* (Actor cap. 1. v. 5.) Ex quo querendum 1. An Apostoli Joannis baptismate fuerint abluti? Verisimile existimat Menochius, (In Hist. Sac. Act. Apost. lib. 1. cap. 1. n. 3.) cum Beda, & Chrysostomo, eos dictum Baptisma suscepisse, Christi exemplo, licet id Scriptura taceat; maxime, cum ex illis aliqui discipuli fuissent Joannis, antequam Christum sequerentur. 2. An ante Ascensionem Apostoli baptismum Christi fuerint perfunsi? Et sine dubio affirmandum videtur; incredibile enim est, Apostolos, uti constat ex Apostolorum Actis, (cap. 2. v. 38.) baptizate cœpisse,

statim ipso Pentecostes die, quin ipsi Baptismate essent abluti. Immo ipsos baptizatos jam fuisse ante Eucharistiæ distributionem, colligit D. Augustinus, (Ep. 208. ad Seleuciam.) ex verbis Joannis: *Qui lotus est non indiget.* &c. (cap. 13. v. 10.) Christi autem Baptismus, ut advertit D. Thomas, (3. p. q. 66. art. 2.) sua erat virtute præditus, ante illius Passionem. Ex quibus satis colligitur, Baptismo Christi ablutos fuisse Apostolos ante Ascensionem. Neque obstat illud Joannis: *Quamquam Jesus non baptizaret, sed Discipuli ejus;* (cap. 4. v. 2.) quia per id intelligendum est, Jesum haud ita sæpe baptizare. Verba autem: *Vos autem baptizabimini Spiritu S. non post multos hos dies;* (Aktor. cap. 1. v. 5.) referenda sunt ad uberrimam Sancti Spiritus effusionem, qua accepta prius gratia, & spiritualia dona novis accessionibus auferentur. Videatur Calmetus. (in cap. 1. Actor. num. 4.) Postremo de Benedictionis forma a Christo Discipulis in Ascensione impertita. Picturæ aliquæ, de quibus Ayala, (In oper. Pictor. Christian. l. 2. c. 20. n. 7.) satis denotat, eam fuisse impertitam ad eum prorsus modum, quo in fine Missæ utuntur Sacerdotes populo benedicentes, quod multi irrident, ut notat Serry. (Exercit. 61. in fine.) Verum, cum Sacerdotes, antiquitus populo benedicere extensis ad eum manibus, ex Levitico, (cap. 9. ver. 22.) & Patres filiis manibus super caput impostis, ex Genesi, (cap. 48. v. 14.) verisimilius videtur Goto, (De verit. Relig. Christian. Tom. 4. p. 2. cap. 37. §. 4. num. 24.) & aliis, Jesum manibus ad eos, qui aderant, extensis benedixisse. Suarez (In 3. p. D. Th. Tom. 2. q. 58. a. 4. disp. 51. sect. 2.) scribit pie, & probabiliter credi posse, Christum non utcumque manus elevasse, sed in Crucis signum; cum quo consentit a Lapide. (In cap. 24. Luc. v. 51.)

37. Modo ad 2. Quæstiones ad Mysterium pertinentes fuisse tractat D. Thomas, (3. part. qu. 57.) qui affirmat, Christum redivivum utpote incorruptibilem, decuisse in Cælum ascendere, locum scilicet: omni corruptione liberum. Et licet prima fronte utilior videatur ejus apud nos commoratio; attamen si bene perpendatur, longe utilior fuit ejus Ascensio; quia licet ab oculis nostris præsentia Christi evanescat, præsto nobis adest Divinitas; & quia per hoc magis augetur in nobis Fidei virtus, quæ circa non apparentia vertatur: desideriumque excitatur, eo, ubique ipse est, perveniendi. Ul-

terius, Ascensionem postulabant Vaticinia expressa in Scriptura: *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.* (Ps. 46. v. 6.) *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* (Ps. 67. v. 19.) Christus enim Ascensione sua, devictis hostibus, & opimis reportatis spoliis triumphavit.

38. &c. Circa locum, quem Christus in Cœlo obtinet, & modum, quo Cœlos penetravit, id scire sufficiat, Christum propter hypostaticæ unionis dignitatem, excellentissimum omnium in Cœlo locum obtinere *supra omnem Principatum, & Potestatem, Virtutem, & Dominationem &c.* ut loquitur D. Paulus. (*Ad Eph. c. 1. v. 21.*) Ad dimus, Christum *non propria virtute naturæ humanæ, seu naturali, ut loquuntur Theologi cum D. Thoma, (cit. q. 57. a. 3. in respons. ad 2.) & Gregorio Magno, (Hom. 29. in Ev. Tom. 1. op. edit. Maurin. col. 1572.)* in Cœlum conscendisse; sed propria virtute Divinitatis, ac Animæ Beatæ, cui Corpus Gloriosum subjicitur, etiam quoad motum sursum. Præterea, ex D. Thoma, (*Cit. qu. 57. art. 6.*) Ascensionem Christi nostræ salutis fuisse causam, ut Christus ipse dixit: *Expedi vobis, ut ego vadam: (Joan. c. 16. v. 7.)* tum ut Fidei, Spei, & Charitatis nostræ fiat locus; tum quia nobis viam parat, munisque; & etiam quia sicut in veteri Testamento Pontifex in Sancta Sanctorum introibat oraturus pro populo, ita Christus Cœlum ingressus orat, & interpellat pro nobis, Divinaque nobis dona demittit, attestante Apostolo. (*Ad Heb. c. 4. v. 14. & seq.*) Et quod Christus fungatur Sacerdotio Magno in Cœlo, & pro nobis orer, constans, & perpetua est omnium Sanctorum Patrum cum Græcorum tum Latinorum doctrina, apud Thomassinum. (*Lib. 10. de Incar. Verbi cap. 12. & seq.*) Denique observandum, hanc orandi formulam: *Jesu Christe, ora pro nobis, si severe perpendatur, adhiberi posse; Ecclesiam vero ea: Jesu Christe miserere nobis, uti maluisse, ut Arianis, & nostrorum temporum Socinianis omnis eriperetur occasio cavillandi Divinitatem, & Consubstantialitatem cum Patre.*

41. &c. Jam de Ascensionis adjunctis. Locum ejusdem fuisse montem Oliveti tradit Lucas in Apostolorum Actis, (*cap. 1. v. 12.*) dicens, Discipulos post Christi Ascensionem a monte Oliveti in Hierusalem rediisse. Neque obstat, quod in Evangelio idem Lucas, (*cap. ult.*) videtur innuere, Christum e Bethania in Cœlum ascendisse, Bethania namque in declivi montis Oliveti

posita est. Sic a Lapide, & Jansenius: (*Uterq. in cap. ult. Luc.*) Et fortasse Dominus se in Bethaniam contulerat, ut Lazarum, ejusque sorores inviseret, secumque adduceret, ut essent Ascensionis sue testes. Nunc conciliandus etiam Lucas cum Joanne. Primus de distantia Oliveti ab Hierosolymis ait: *Sabbathi habens iter, (Act. cap. 2. v. 12.)* id est, sex, septem, aut octo stadiorum spatia, seu mille nostrorum passuum, quod iter licebat Judæis Sabbatho conficere. Joannes vero, (*cap. 17. v. 18.*) Bethaniam abesse ait ab Hierosolymis, *radiis quasi quindecim.* At dicendum cum Gotto, (*Part. 2. Tom. 4. c. 37, §. 4. n. 22.*) Tillemontio (*Not. 40. ad vitam Jesu Chr.*) & aliis, Lucam de Stadiis Græcorum fuisse locutum, Joannem vero de Hebræorum; duo ex quibus uni Græcorum stadio exacto respondent; & sic optime consentiunt Evangelistæ.

44. 45. Nunc de Tempore. Diem fuisse Sabbathi singularis fuit opinio Chrysostomi, (*Hom. 3. in Act. Apostol.*) a nemine approbata. Quare verisimilius dicendum, Jovis diem fuisse, & quintam Maji; supra enim diximus, Christum vigesima quinta die Martii fuisse mortuum, & vigesima septima revixisse; testaturque Lucas, (*Act. c. 1. v. 3.*) post Resurrectionem in terris fuisse commoratum per dies quadraginta: ex quibus necessario conficitur, quinta Maji in Jovis diem cadente, in Cœlum conscendisse. Jam de modo. Et non evanuisse in momento, sicut alias, atque etiam Angeli in suis apparitionibus; sed per motum successivum, itaut aliquandiu Apostoli euntem illum intuerentur, donec ab eorum oculis nubes illum eriperet, satis patet ex Luca. (*Act. c. 1. v. 9. 10.*) Tostatus putat, (*Paradoxo 5. c. 9. & 34.*) nubem in ære fuisse formatam, Christoque quasi thronum, in quo sederet, & vestem, qua tegetur, præbuisse; eaque nube circumdatum ad Cœlum penetrasse: existimat enim Christum ad vitam regressum omni veste præter lumen, quod glorioso e corpore effulgebat, caruisse. At communis opinio, apud a Lapide, (*Act. c. 1.*) tenet, Christum rediivum, sicut antea, semper restam veste apparuisse, & hac die in æra sublaturum, vestem non prius abjecisse, quam a nube fuerit exceptus: Denique advertendum, accessum Christi ad Cœlum regulandum non esse ab Astronomorum speculationibus: quia licet ad talem accessum, propter nimiam e tellure ad Cœlum distantiam, multis annis opus sit; attamen, Deo sic disponente, præ-

dictus motus plus nimio accelerari potest, maxime in Corpore glorioso, quod absque difficultate quoque versus celerrime movetur.

46. 47. Nunc de Spectatoribus. De undecim Apostolis nullum videtur dubium, cum hoc testentur Scriptores Sacri. (*Marc. c. 16. v. 14. Luc. c. 24. Actor. c. 1.*) De aliis, præsertim B. V. M. & Mulieribus, non repugnat Scriptura, testibus Serry, (*Exercit. 61. n. 9.*) & Sandino; (*Hist. Familia sac. edit Patav. p. 253.*) licet hi affirmant, non adfuisse illos centum, & viginti, de quibus Lucas; (*Actor. c. 1. v. 15.*) hi enim non Ascensioni; sed Matthiæ electioni dicuntur adfuisse; Contra a Lapide, & Calmet, (*Ad illum Locum v. 6.*) contendunt, illos & Ascensioni adfuisse, & electioni. Utcumque tamen sit, etiamsi turba centum, & viginti hominum certe referenda sit ad Matthiæ electionem, attamen, cum habeamus ex Luca, undecim Apostolos Hierosolymam revertisse, perseverantesque esse in oratione cum Mulieribus, & Maria Matre Jesu, & Fratribus ejus, videtur non solum undecim fuisse Ascensionis Spectatores, licet non convinctur fuisse etiam centum, & viginti: dicendumque fuisse omnes, qui, ut refert Historia, in Cœnaculum una cum Apostolis ingressi, orationi vacabant. Sic Gottus. (*Loc. cit. n. 23.*)

48. 49. Jam de comitatu. Licet de hoc Scriptura taceat, tamen Suario (*In 3. p. D. Th. T. 2. q. 58. a. 4. disp. 51. sect. 2.*) indubium videtur, Christum stipatum Angelis in Cœlum conscendisse, cum in hoc conveniant SS. PP. qui de Ascensionis Mysterio scripserunt. Et hoc innuere videntur illi duo Angeli, qui Apostolis dixerunt: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in Cœlum.* Certum enim est, ex Matthæo, (*c. 25. v. 31.*) Angelicis stipatum Ordinibus venturum. Favet etiam Scriptura. (*Pf. 23. v. 9. & 45. v. 6.*) Comites etiam Christi fuere in hoc triumpho, juxta commune Interpretum cum D. Gregorio, (*Moral. l. 13. c. 14.*) in D. Paulum, (*Ad Eph. c. 4. v. 8.*) Justorum Animæ ante Christi Passionem decedentes, quæ, ut alibi diximus, detentæ erant in Patrum Limbo, *Sinnu Abrahamæ* a Luca appellato (*c. 16. v. 22.*)

50. &c. Christo etiam in triumpho comites fuere Animæ illæ, quæ, ut alibi docuimus, in Servatoris morte, apertis monumentis, ad vitam rediere. Quo vero loco extiterint, usque ad Ascensionem, incertum est, Suario teste, (*T. 2. in 3. p. q. 55. art. 3. in comentar.*) quidquid S. Tho-

mas, (*In 3. Sent. dist. 22. q. 3. art. 2. in fine.*) probabile censeat fuisse in terrestri Paradiso; ubi, est qui existimet, Christum etiam fuisse usque ad Ascensionem. Verum operosissimum esset hoc stabilire, ut patet ex tot diversis de Paradiso sententiis, apud Calmetum. (*In c. 2. Genes. n. 4.*) Diximus horum Ss. Animas in Cœlum avolasse cum Christo. An autem etiam eorum corpora; pendet ex illa quæstione hætenus sub judice stante: An scilicet iterum mortui fuerint, nec ne? De qua videantur a nobis dicta pro Sabbatho Sancto num. 42. Postremo de Miraculis, quæ Deus patravit in hujus Mysterii gratiam, de quibus Calmet. (*In c. 1. Actor. n. 12.*) Unum est, quod cacumen Ecclesiæ, in qua extant Christi vestigia, propter Dominici Corporis meatum, nullo unquam modo contegi potuerit. Sic Auctor Libelli de Locis Hebraicis in Act. Apostol. apud D. Hieron. magnæ sane auctoritatis. Alterum est, eo in loco, unde Christus in Cœlum sublatus est, remansisse impressa pedum vestigia, sicut Zacharias prædixit; (*c. 14. v. 4.*) impressaque conservari, licet quotidie ex prædicto loco a Fidelibus hauritur terra. Hæc referuntur a multis post Hieronymum, Paulinum, & Augustinum (*Tract. 37. §. 4. Joan.*) ob quorum auctoritatem refragari non audent Heterodoxi plerumque; licet ea oppugnet Hermanus Witsius (*Sac. Exercit. 20. n. 3.*) argumento negativo, ducto a silentio Socratis, Sozomeni, & Nicephori, quod satis patet; quam sit imbelles ad infirmandum tam præclarum virorum affirmantium testimonium. Alterum assert Bailletus, (*Hist. de Myst. Asc.*) quod scilicet, Tito Hierosolymam obsidente, cum in monte Oliveti castra haberet, nec militum excursionibus, nec equorum pedibus, nec ullis militaribus molitionibus vestigia illa Domini deleta fuerint. Huic addendum est etiam alterum, ex Auctore Libelli de Locis Sanctis cap. 7. qui a multis Bedæ tribuitur; nimirum, eo in loco, ubi Christi extant vestigia, jam in Ecclesiam converso, singulis annis ipso Ascensionis die, Missa peracta, mirificum ex alto ventum ita vehementer afflare, ut, quotquot adsunt, humi procumbere adigantur; intereaque totum montem, vicinæque loca insolita luce sic conflare, ut ardere videantur. At credibile videtur Gotto, (*Cir. cap. 37. num. 25.*) & aliis hujusmodi miraculum jam desisse, cum post Auctorem præfati Libri a nemine fiat illius mentio. Videatur Quaresmius, (*Elucid. Terr. S. l. 4. c. 7. & seq. Tom. 2.*) qui testatur,

nunc signa aliqua extare illius veteris Ecclesiae (ubi vestigia videbantur) magnificentiam demonstrantia ; etiam post Infidelium destructionem ; atque etiam conservari ibidem aedificulam parvam laqueari contentam , ubi impressum conspicitur sinistri pedis vestigium ; illudque dexteri alio fuisse asportatum .

56. &c. Myserio explicato , aliquid dicendum de Festo . Illud S. Bernardus , (*Ser. 2. de Asc. num. 4.*) appellat omnium Solemnitatum complementum . D. Augustinus , (*Ep. 44. alias 118. c. 1.*) docet hanc Solemnitatem ab Apostolis fuisse institutam , & hac quidem die , quam *Quadragesimam* appellat ; (*Serm. 267. c. 3.*) eo quod post quadraginta dies a Resurrectione celebretur . Quam appellationem usurparunt etiam Orientales Bailletto teste , (*Hist. hujus Fest. num. 5.*) illam vocantes *Tessaracosten* , seu *Tetracosten* , quod quadragesimum post Pascha diem significat . Testatur Durandus , (*In Ration. Div. Offic. l. 4. c. 4.*) antiquius qualibet hebdomada fieri solitam feria v. Processionem in memoriam Ascensionis , sed multiplicatis deinde Sanctorum Festivitatibus , fuisse sublatam solemnitatem cujusvis feriae v. & Processionem traslatam per Agapitum Papam in Dominicam . Bailletus , (*Hist. huj. diei §. 7.*) allatis veteriorum Scriptorum testimoniis , aliam ait fieri Processionem post Tertiam , in memoriam itineris Apostolorum ab Hierosolyma in Bethaniam , a Bethania in Olivetum , & ab Oliveto rursus in Hierusalem . Olim etiam in hujus diei Missa mos erat benedicendi panem , novosque fructus , quarum benedictionum formulas vide apud Martene . (*De antiq. Eccl. Disc. c. 28. pag. 527. veter. edit.*) In Ascensionis privilegio ponit jejunium Micrologus , (*C. 55.*) quod nunc , teste Gavanto , (*Secl. 6. de Litan. Major. & Minor c. 17.*) est abrogatum propter tempus Paschale . Denique Cereum Sabbato Sancto benedictum in Missis Solemnibus accendi usque ad Ascensionem , decretum legitur in Annalibus Fratrum Minorum anni 1263 . Sed nunc tribus Paschae festis diebus , Sabbato in Albis , & singulis deinde usque ad Ascensionem Dominicis , dum cantantur Missae , Vesperae , ceteraque Horae Canonicae juxta locorum consuetudinem , accendi Cereum jussit S.R.C. (*Decr. 19. Maji 1607.*) Apud Scriptores veteres nihil reperitur de hujusmodi Cerei extinctionis , abstractionisve tempore : modo viget disciplina , ut , lectione Evangelii Ascensionis expleta , extinguatur , in Sacrariumque asportetur , ut

iterum accendatur ad benedictionem Fontis in Sabbato Pentecostes . Hujusmodi Cerei extinctio , Evangelio finito , ex Macro , (*In Vocabular. Eccl. v. Cereus Paschalis.*) & Merato . (*Part. 2. Tom. 3. in Not ad Gavanto. pag. 1173. 1188. 1197.*) discesum Christi ab Apostolis denotat . Ex hora , qua extingui solet , conjiciunt aliqui , eam fuisse , qua Christus in Coelum ascendit , sed conjectura leviuscula est , ut advertit Cardin. Gottus . (*Loc. cit. n. 21.*)

C A P U T XI.

De Festo Pentecostes , quod prima Dominica celebratur post Dominicam Octavam Ascensionis .

1. 2. **R**everfis Apostolis ex Oliveto in Hierosolymae Coenaculum , quo etiam turba Discipulorum fere centum , & viginti convenerat , narrat Lucas , (*Act. c. 1. v. 12. & seq.*) Petrum , tanquam universalis Ecclesiae caput , dixisse , opus esse , ut impio Judae aliquis in Apostolatu sufficeretur ; cumque duo propositi essent , Joseph , qui dicebatur Barsabas , & Matthias , Deum sunt precati , ut , quem eligi vellet , ostenderet ; cumque sortiti essent , Matthias fors obtigit , & fuit inter Apostolos cooptatus . Per sortes visum fuit Apostolis , hanc fieri electionem , ne , ut ait Ambrosius , (*In c. 1. Luc.*) *Apostoli electio a mandato discrepare Legis veteris videretur ;* in qua , juxta Lucam , (*C. 1. v. 9.*) per sortes eligebatur , qui thus Domino adoleret . Dionysius , (*Lib. de Eccl. Hier. c. 5. p. 3.*) scribit , sortem a Luca commemoratam , indicatam fuisse per signum visibile Coelo delapsum super Matthiae caput . Tirinus autem , (*In c. 1. Act. n. 25.*) cum aliquibus existimat revera , sortes fuisse jactas , nominum chartulis in urnam conjectis : sed suffragatores Divino instinctu certiores , fuisse redditos de electo . Et hoc factum , peculiare cum sit , minime in exemplum proponi potest .

3. 4. Pergit Lucas , (*Act. c. 1. v. 1. & seq.*) dicens , cum omnes , qui Matthiam elegerant , essent in Coenaculo , & cum complerentur dies Pentecostes . . . factus est repente de Coelo sonus tanquam advenientis Spiritus (seu ventus) vehementis , & replevit totam domum , ubi erant sedentes . Et apparuerunt illis dispertitae linguae , tanquam ignis , seditque supra singulos eorum . Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto . &

cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Hunc ventum, ex Tirino, (*In c. 2. Actor. v. 1.*) cum aliis, non necessarium est fuisse verum ventum, sed sufficit fuisse verum sonum, qualis a vento valide excitatur. Hoc sonitu audito, universus populus properavit ad Coenaculum, ubi gravior sonitus, aerque vehementius commovebatur. Omnes Spiritu Sancto fuere repleti, non, ut notavit, S. Leo, (*Hom. 3. de Pentec. Tom. 1. oper. edit. Lugdun. pag. 159. c. 1.*) primam sanctificantem gratiam consequuti, sed maximum gratiæ augmentum, cum septem ejusdem Spiritus S. Donis, quorum meminit Isaias, (*c. 11. v. 2.*) gratiisque, quas vocant, *gratis datas*, quarum recordatur Paulus, (*Ad cor. 1. c. 12. v. 8. & seq.*) itaut universæ Nationes, quas commemorat Lucas, (*Actor. c. 2. v. 5. & seq.*) vehementer sint demiratae, quod Apostolos sua quisque audisset lingua de Deo, ejusque potentia, & magnitudine loquentes.

5. &c. Asiæ Civitatum nobilissima tunc erat Hierosolyma. In ea Judaicæ Gentis conventus agebantur. Synagoga erant omnium gentium, quotquot essent Judaici nominis, Alexandrinorum, Libertinorum, Cyrenensium, & Cilicum; Romanorum etiam ob præsidium arcis Antonia. In Festis solemnioribus, ut illud Pentecostes, illuc Judæi undique confluebant Religionis causa. Igitur mirum non est, si, demirantibus plerisque, subjungat Lucas: (*cit. cap. v. 13.*) *Alii autem irridentes dicebant, quia musso pleni sunt isti.* Verum his resistit Petrus, tanquam Ecclesiæ caput, declarans, eos ebrios non esse, sed Joelis impleri oraculum: *Esfundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filia vestrae, &c.* (*c. 2. v. 28. & seq.*) quod quidem vaticinium perfecte fuit impletum post Christi Resurrectionem, cum non solum Apostolis, sed quamplurimis concessa fuerint dona Linguarum, & miraculorum primis tribus Ecclesiæ sæculis, & etiam nunc, cum opus est ad Fidem stabiliendam. Videatur Calmet. (*In Joel. c. 2. n. 2. Actor. num. 17.*) Prædictum Linguarum donum ausus est dicere Salmasius, fuisse datum transeunte, quandiu scilicet ignitæ linguæ eorum capitibus insiderent. Sed merito a suis etiam Sectariis deseritur. His donis instructus Petrus egregiam habuit Corcionem, quam assert. Lucas, (*Actor. c. 2.*) vi cujus tria millia hominum sunt baptizati, & poenitentiam egerunt. Loquebatur autem tanquam Ecclesiæ caput, & quasi cæterorum

cs, qui ei aditabant, & dicta comprobabant, ut notat Chrysostronus. (*Hom. 4. in Act. Apostol.*)

9. Pro Mysterii explanatione rogabis. Quænam esset in Lege veteri solemnitas Pentecostes? Et dicimus Festum esse a Deo institutum in memoriam traditæ populo Legis in monte Synai. Sicut Festo Azymorum celebrabatur adepta libertas a servitute Ægyptiaca; & sicut in illa Azymorum manipulus primarum frugum in primitias offerebatur Deo, antequam oblationem non licebat eis vesci, nec placentiam conficere; sic in Pentecoste offerebantur primi panes cocti ex novis frugibus, & antequam id fieret, novo uti pane vetitum erat. Vide Tostatum. (*In c. 23. Levit. q. 41.*) Præter panes animalia etiam offerebantur in Pentecoste, juxta Leviticum. (*cap. 23. v. 18.*) Celebrabatur autem hoc Festum die quinquagesimo a secunda Azymorum, ut constat ex Scriptura; (*Levit. c. 23. v. 15. & 16. Deut. c. 16. v. 8. & seq.*) unde illi nomen Pentecostes, quod *quingaginta* significat.

10. Quæst. 2. Quid apud nos sit Festivitas Pentecostes; & quid cum illa Judæorum commune habeat? Et dicendum cum D. Isidoro, (*Lib. 1. de Offic. Eccles. c. 23.*) & Leone, (*Serm. 73. de Pentec. c. 1.*) inter illas analogiam quandam intercedere. Judæi enim suam celebrabant Pentecosten quinquagesimo die post Agnum in Pâschate immolatum, quando Lex vetus digito Dei scripta, Moyse fuit tradita. Catholici autem, die etiam delapsa quinquagesima a Pâschate, celebrato in Jesu Christi mortis recordationem, qui tanquam Agnus immaculatus ad Sacrificium ductus est, suam celebrant Pentecosten in memoriam Spiritus Sancti adventus, qui Dei digitus appellari solet. Insuper in Lege veteri celebrari coepit Pentecostes, quando audita fuit vox Dei, ipsiusque Lex Moyse tradita: in nova instituta fuit solemnitas post Spiritus Sancti adventus, quando Apostoli Linguarum, cæterarumque Gratiarum donis perfusi, magna Dei loqui cœperunt.

11. 12. Quæstio 3. An Spiritus Sanctus præter Apostolos, B. Virginem, Mulieres, & Jesu Fratres, descenderit etiam super reliquos ad centum viginti, qui Matthiæ electioni adfuerunt? Quod descenderit super Apostolos, Mariam, Jesu Fratres, & Mulieres, expresse affirmat Lucas, (*Actor. c. 1. v. 7.*) quod autem descenderit etiam super reliquos memoratos, fidenter affirmant Ss. Pp. maxime Augustinus, (*Hom. 19. in Joan. Y. 2.*)

Joan.) & Chrysoſtomus; (*Hom. 4. in c. 2. Act. 1.*) quidquid dicat Beza, merito a Tirino, (*In c. 2. Act. 1.*) refutatus, atque, etiam ab Heterodoxo Harambergio. (*Differ. cit. de Miraculo Pentecostali n. 9.*) Quæſtio 4. Quid Apoftolis in Linguarum dono fuerit collatum? Docet D. Thomas, (*2. 2. q. 176. a. 1.*) quod licet Deus Apoftolis concedere poterat, ut propria lingua loquentes, unusquisque præsentium voce patria eos audiret, vel etiam eis donare, ut omnia Linguarum genera loquerentur, prout sese offerret occasio; attamen probabilis videri, Apoftolos hoc secundo Linguarum genere fuisse præditos; ut non solum intelligerentur ab audientibus; sed etiam, ut ipsi alios loquentes intelligerent, & quidquid adversus eorum doctrinam objiceretur, refutarent. Huic rationi favet D. Paulus (*Ad cor. 1. 14. v. 18.*) dicens: *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.* Non negamus autem potuisse aliquando contingere, ut propria utentes lingua, ab omnibus intelligerentur, ut cum Tirino, (*In c. 2. Act. 1. n. 4.*) alibi idem Benedictus XIV. (*Lib. 3. de Canoniz. Ss. c. 46. n. 6. & seq.*) & Synopsi.

13. &c. Quæſtio 5. An verus fuerit ille Linguarum ignis, & quid per illas dispersitas Linguas sit intelligendum? Ignem non fuisse elementarem, sed quemdam fulgorem in similitudinem ignis, symbolum luminis, atque ardoris a Spiritu Sancto, in Apoftolos, cæterosque immisſum, contendit Calmetus. (*In cap. Act. 1. v. 3.*) Dicimus tamen verum fuisse ignem elementarem, & exiguas flammæ super habitantes in Cœnaculo hæc, illac dispersitas, linguæ nomen fortitas; quia in acumen definebat: approbamusque pictores, qui super uniuscujusque congregati caput ad linguarum modum igniculos depingunt: in illis autem recognoscit S. Cyrillus Hierosolymitanus, (*Cateches. 17.*) spirituales coronas uniuscujusque capiti impositas. Neque obstat, illud, *tamquam ignis*; nam ut supra demonstravimus, ita loquitur textus de Columba supra Christum in Jordane descendente; & tamen cum communi sententiâ Columbam veram fuisse affirmavimus. Omnino autem explodendus novus explicandi modus a Serry, (*Exerc. 62. num. 9.*) excogitatus, & ab Heterodoxo Harambergio, (*Loc. cit. sect. 2. n. 17.*) merito refutatus. Contendit enim, Linguas non super uniuscujusque caput apparuisse, sed omnes hianti ore obstupuisse, eorumque linguas, veluti igneas, & dispersitas visas esse. Vult autem in verbis Lucæ: *Appa-*

ruerunt illis dispersita linguæ. . . sedique supra singulos eorum, sub verbo *Sedit* subintelligi *Spiritus Sanctus*. At retinendus omnino communis sensus, dicto verbo subintelligens *Linguarum ignis*; nam de Spiritu statim addit: *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto &c.* quibus verbis, juxta Gotum, (*Part. 2. Tom. 4. de verit. Relig. Christian. cap. 39. §. 4. num. 26.*) Lucas novam incohavit orationem, innuens Spiritu Sancto omnes fuisse uberrime perſusos.

16. 17. Quæſtio 6. Quo in loco super Congregatos illapsus fuerit Spiritus Sanctus? Et compertum habemus ex Sacra Historia, (*Act. 1. c. 1. v. 3.*) fuisse Cœnaculum, quod nihil aliud est, quam superior, secretiorque pars domus a cæteris remotior (tertia v. gr. aut quarta contignatio) ideoque orationi accommodatissima. Ita colligitur non solum ex Sacris Litteris, (*Genes. 6. v. 16. Judith. cap. 8. v. 5. Act. 1. c. 20. v. 8. & 9.*) sed etiam ex profanis Scriptoribus; apud Menochium. (*cap. 5. lib. 1. in Act. Apost.*) In cujusnam autem domo fuerit hoc Cœnaculum, non conveniant DD. Nicephorus Joannis Evangelistæ; Theophylactus Simonis leprosi; Eutymius Josephi ab Arimathæa, aut Nicodemum illam fuisse tradunt. Baronius, Casius, Lorinus, & Menochius scribunt fuisse domum Mariæ Marris Joannis dicti Marci, qui postea comes fuit Pauli, & Barnabæ. Hæc opinio veritati videtur esse prior; nam, ut in Act. Apoftolorum (*cap. 1. v. 13.*) legitur, Apoftoli eo ipso in loco, quo illapsus fuit Spiritus Sanctus, habitare consueverant. In prædicta autem domo habitare consuevisse demonstratur ex alio Act. Apoftolorum textu, (*cap. 12. v. 12. & seq.*) dicente, Petrum per Angelum a vinculis liberatum, illum hospitio se contulisse, atque inde abiisse, veritum, ne Hebræi, qui probe noverant, quo ille se recipere solitus, iterum in carcerem eum conjicerent.

18. &c. Superest vero conciliandus secum ipso D. Lucas; nam in Act. Apoftolorum, (*cap. 2. v. 2.*) videtur innere, illos accepisse Spiritum Sanctum in Cœnaculo: in Evangelio autem, (*cap. ult. v. ult.*) ait de illis reversis ab Ascensione: *Erant semper in Templo laudantes, & benedicentes Deum.* Varius ex Interpretibus conciliandi modos hic offert Benedictus XIV. ex quibus unicum referemus, in quem ille videtur inclinare, ut scilicet cum Estio, (*In c. 24. Luc. n. 53.*) dicatur, Apoftolos ante Spiritum Sancti delapsam domi se continuisse, & ad hoc tempus referenda Actorum verba; post vero

Spiritus Sancti illapsum assiduos fuisse in Templo; & huic referenda Evangelii verba. Erant quidem in Templo domus supra contignationem, quæ *Cænacula* dicebantur; sed verisimile non est Apostolos, ante Pentecosten meticulosos, ubi assidue commorari, utpote loco Judæis pervio, & notissimo. Denique apud Quaresmum legitur, (*Elucid. Terra S. l. 4. c. 5. Tom. 2.*) etiamnum in Terra Sancta ædem extare a S. Helena extructam, deinde a Regina Siciliae denuo ædificatam eodem prorsus loco, ubi magnum Pentecosten miraculum contigit.

21. 22. Quæstio 7. In quem incidit diem Pentecosten, eo anno, quo Spiritus Sanctus in Apostolos illapsus est? Et vulgo respondetur in Dominicam contigisse; cum hæc constans, & perpetua fuerit Ecclesiæ disciplina illam celebrandi die Dominica post quinquaginta dies a Paschate. Et hoc diserte tradit S. Leo, (*Ser. 1. & 3. de Pent. & Ep. 21. alias 81. ad Differ. c. 1. Tom. 1. Oper. pag. 220.*) qui cum circa dimidium sæculi V. vixisset, credere æquum est, id eum scripsisse, quod ex Romanæ Ecclesiæ traditione acceperit. Aliqui contradicunt, afferentes auctoritatem Ss. Clementis, (*In Constitutionib.*) & Augustini; (*Serm. 154. de Temp.*) sed Critici illa Opera a prædictis Ss. abjudicant. Videatur Gravelonius. (*De Myst. & an. Chr. pag. 525.*) Neque Protestantés dissentiant, ut videre est, præsertim apud Ufferium. (*In Annal. p. 642.*)

23. &c. Verum cum Josephus diserte reletur, (*Lib. 2. Antiq. c. 10.*) quinquagesimum diem a secunda Azymorum numerari debere, prædictus autem dies secundus eo anno in Sabbathum incidisset, necessario sequitur in Sabbathum etiam Pentecosten incidisse. Propter hanc difficultatem Interpretes in varias abeunt sententias, quas hic affert, & confutat Benedictus XIV. & tandem adhæret Baronio, (*Ad an. Ch. 34. num. 239.*) & Bellarmino, (*Tom. 2. controuv. l. 3. de cult. Ss. c. 13.*) dicentibus, quanquam verum sit generaliter solere quinquaginta dies numerari a secunda die Azymorum, id quod solide probat auctoritas Josephi Sacerdotis, & in sua lege periti; hoc tamen exceptionem pati, quando dies secunda Azymorum incidere in feriam vi. ut accidit postremo Christi anno. Tunc enim dies quinquagesimus incidere in Sabbathum, & proinde Pentecosten. Sed quia Sabbatho non licebat, frumentum demetere, exficcare, & ad Sacerdotem afferre, ut opus erat ad Pentecosten, eo anno quinquagesi-

mus dies numerabatur a tertiâ die Azymorum, ut diēs Pentecosten post Sabbathum incidere, seu in Dominica. Dicitur sententiæ, præter citatos, favet etiam Gotthus, (*Ubi supra c. 39. §. 3. n. 19.*) Gravelonius, (*De Myst. & an. Chr. p. 425.*) & alii. Quæstio 8. Qua hora Spiritus Sanctus fuerit delapsus? Respondetur horam fuisse tertiam ab ortu solis; quia diserte tradit Lucas, (*Actor. c. 12. v. 15.*) Petrum refutasse existimatam Apostolorum ebrietatem, ex eo quod tunc esset hora diei tertia, tempus ab ebrietate penitus alienum; cum penes Hebræos, uti colligitur ex Scriptura, (*Genes. c. 43. v. 16. & 25. Dan. c. 13. v. 7. & 13.*) hora prandii meridies esset, ita ut affirmet Flavius Josephus, (*In vit. sua pag. 1020.*) lege vetitum esse, nequis Sabbatho, aut alia die solemne ante meridiem manducaret, aut biberet. Ad Spiritus Sancti delapsum hora tertia respicit etiam Ecclesia in hymnis hujus solemnitatis, ut observat Gavantus. (*Secl. 6. c. 18. de Fest.*)

31. &c. Ex dictis, & D. Leone, (*Serm. 73. de Pentec. 1. c. 1. p. 15.*) patet hujus diei Solemnitatem permaximam esse inter Catholicæ Ecclesiæ solemnitates; & ab Apostolicis usque temporibus profectam, innuit ex D. Irenæo quæstionum Auctor sub Justini nomine. (*Qu. 145.*) Pentecosten etiam nomine appellabantur olim dies omnes inter Pascham, & Pentecosten interjecti, quod alludit Tertullianus. (*De Idolol. c. 15.*) Omnesque Festi erant, teste Thomassino, (*Lib. 2. de dies. Fest. celeb. c. 16. n. 7.*) & Albaspinæo. (*Super. can. 43. Conc. Illiberit.*) Non sic tamen juxta eosdem, ut in omnibus illis cessaretur ab operibus servilibus, aliter nec Artifices, unde alerentur, haberent; nec campi, defectu culturae, fructus redderent. Stabat igitur eorum Festivitas in eo, quod in Ecclesiis legerentur Acta Apostolorum, teste Chrysostomo; (*Hom. 63. Tom. 5.*) quia in illis miracula Apostolorum, Christi Resurrectionem confirmantia, continentur, quod, juxta Tertullianum, (*De caron. Milit. c. 3.*) & Epiphanium, (*De Exposit. Fidei, n. 22.*) in eis nullum esset jejunium, nulla prorsus oratio flexis genibus, sicut in Dominicis quod lætitiâ sapit; quod, juxta Albaspinæum, publica de more haberentur Missarum Sacrificia cum devotissima Eucharistiæ sumptione, & elogia recitarentur. Tandem nullum per hos dies edebatur spectaculum, aut comœdia, juxta legem Theodosii, (*leg. 5. tit. de Spectac. lib. 15. codic. Th.*)

36. De Baptismate, quod in Vigilia Pen-

tecostes conferebatur, vide supra dicta in Sabbatho Sancto. Nunc dicimus temporibus haud a nostra aetate longe distantibus vigere in aliquibus Ecclesiis consuetudinem benedicendi Cereum, cujus formulam edidit Martene: (*De antiq. Eccl. discipl. in Divin. celebr. Offi. cap. 28. p. 538. prim. edit.*) atque etiam in Missa, dum caneretur *Sequentia*, seu Hymnus, turbarum sonum in Ecclesia perstrepere, ad illum significandum, qui Spiritum Sanctum advenientem praecessit: e recto flammam ignis demittit, ac tota Ecclesia Columbas volitare, rosasque passim spargi. Videatur Macrus; (*In Vocabul. Eccl. V. Pentec.*) qui testatur, hujusmodi caeremoniam etiam nunc retineri Messanae, & in aliquibus Ecclesiis, tum intra, tum maxime extra Italiam. In aliis vero locis, ex Bailletto, (*Histor. huj. diei §. 2. num. 7.*) sublata est, quod turbas crearet in populo, & a Sacrorum Mysteriorum contemplatione Rideles avocaret.

37. &c. Quod ad hodiernam attinet disciplinam, licet supra dictum est, nullum inter Pascha, & Pentecosten jejunio fuisse; laudabilis tamen jejunandi consuetudo, in Jure, (*Can. Nossé, dist. 76.*) memorata in Pervigilio Pentecostes invaluit, non, ut audaciter affirmat Quesnellus, (*Dist. 6.*) post XII. Saeculum; nam eo Saeculo antiquior probatur a Merato, (*Part. 2. tom. 1. p. 1215.*) ex Sacramentario Gelasii a Cardin. Thomasio edito, & ex Sacramentario Leoniaso a Blanchino vulgato. Modo haec transivit in praecipuum ex consuetudine, ut docet Gavarrus. (*Tit. de S. Pascha usq. ad Festum Trinit.* Retinetur etiamnum Sabbatho Pentecostes, Baptismalis Fontis benedictio, eo modo, quo Sabbatho Sancto, ut memoria extet veteris disciplinae, qua his diebus conferebatur Baptismus, nec extra illos, nisi urgeret necessitas. Post Baptismum statim in dictis diebus conferebatur Confirmatio, ut patet ex VI. Synodo Parisiensi; (*Can. 33.*) postea tamen Occidentalis Ecclesia Baptismum, a Confirmatione sejunxit. Sed ne vetustatis omne vestigium aboleretur, Episcopus utrumque confert Sacramentum in Pentecostes Pervigilio. In Pentecostes Missa dicitur Prosa: *Veni Sancte Spiritus &c.* ita appellata; quia nulla in illa habetur mensurae carminis ratio, cujus scribendi modi inventor fuisse perhibetur Nothkerus, Monachus S. Galli, qui vixit X. Saeculo. Dicta vero Prosa verisimilius tribuitur Innocentio III. inter cujus opera extat, ut observat Meratus. (*Part. 2. tom. 1. p. 1216.*) Denique Raynaudus, (*Opusc.*

de prima Missa t. 6.) contendit, Apostolos statim post Resurrectionem primam celebrasse Missam; Cardin. autem Bona, (*Reverum Liturgic. lib. 1. c. 5.*) verisimilius existimat, dilatam fuisse usque ad Pentecosten; quando lex vetus omnino periit, & nova fuit promulgata. Videatur alibi Benedictus XIV. (*Instit. 21.*) & Synopsi ibidem.

C A P U T XII.

De Festo Santissima Trinitatis.

1. 2. 3. **S**olemnitatem Sanctissimae Trinitatis prima post Pentecosten Dominica Romana nunc celebrat Ecclesia. Eam a privatis Ecclesiis celebrari, asseritur in Decretali *Quoniam*, tit. de feriis. Quidquid vero aliqui hanc Decretalem tribuant Innocentio III. & ita in corpore Juris inscribatur, ea ab Innocentio II. emanavit. Nam de ea loquitur Micrologus, qui vixit sub S. Gregorio VII. multo ante Innocentium III. ut constat ex libro ejusdem Micrologi. (*Lib. de Eccl. Offi. cap. 14. & 60.*) In memorata Decretali ait Pontifex, quasdam Ecclesias, juxta morem regionum, Festum Trinitatis celebrare consuevisse in Octavis Pentecostes; quasdam vero Dominica ultima ante Adventum. Et certe ante Alexandrum II. vixisse in Gallia hunc morem evincitur ex Caturfii Epistola ad Carolum Magnum, anno 800. ad Imperium evehctum: & certius ex Officio praedictae Festivitatibus jussu Stephani Episcopi Leodiensis composito (qui teste Martene, (*De antiq. Eccl. disciplin. cap. 28. num. 22.*) anno 920. fuit mortuus) & in praedicta Dioecesi recitato, jussu Requirii ejus Successoris. Hanc disciplinam vicinam amplexa sunt Ecclesiae, juxta Bailletum. (*In Instit. huj. Festi, §. 1. n. 2.*) Denique Joachimus Hildebrandus Heterodoxus (*Tract. de Prisca, & Primit. Eccl. Sacr. publ. & dic. Fest. Amstelod. 1702. p. 59.*) testatur, in Ecclesia semper habitam fuisse Solemnem Trinitatis Festivitatem, tanquam Octavam Pentecostes; at negat ante XII. Saeculum usum fuisse receptum hujusmodi celebrare solemnitatem sub invocatione Sanctissimae Trinitatis.

4. &c. Ex praedicta Decretali patet, Pontificem aliarum Ecclesiarum laudabilem consuetudinem non respuere; addit tamen, Romanam Ecclesiam non consuevisse speciali die hoc Mysterium recolere, cum singulis diebus Trinitatem Sanctissimam honoret, dicendo in fine cujusque Psalmi; *Gloria Pa-*

Patri &c. De dicto Hymno, (glorificationem Majores nostri appellabant) creditum est a Nicæna Synodo fuisse compositum; ab Oriente in Occidentem adductum morem, ut in fine Psalmorum adhiberetur. Sed jure major illi antiquitas tribuitur, cum eum suadeat Athanasius, (*De Virginib. seu Meditat.*) non tamquam quid novum, & suo tempore institutum, & D. Basilus, (*Epist. ad Amphilochem c. 7.*) a Majoribus traditum testetur. Quare verisimilius ad Apostolorum tempora est referendus cum Cardinali Bona. (*De divin. Psalm. c. 16. §. 6.*) dicendumque Nicænam Synodum addidisse verba illa: *Sicut erat in principio &c.* ad detestandum utique Arianorum errorem, qui Filium non ab æterno, sed in tempore genitum blasphemè affirmabant. Clare id colligitur ex Concilio Vasionensi I. in Gallia celebrato paulo post Nicænam, & consentiunt Baronius, (*Ad ann. Ch. 375. & seqq.*) & alii. Igitur peculiare SS. Trinitatis Festum paulatim fuit ex una ad aliam Ecclesiam propagatum. Rupertus Abbas, qui vixit initio XII. Sæculi, scribit, (*Lib. II. de Divin. Of. c. 1.*) ætate sua vulgo celebrari cœptum esse: & testatur Durandus, suo tempore, id est, sub finem Sæculi XIII. multis in locis esse receptum. Tandem Johannes XXII. qui obiit anno 1334. primus decrevit, ut prima post Pentecosten Dominica, ab Universali celebraretur Ecclesia. In hoc consentit commune DD. cum Martene, (*De antiq. Eccl. discip. in Div. celeb. Offic. c. 28.*) Thomassino, (*De hier. Feslor. celebrat. l. 2. c. 18. n. 13.*) Suario, (*De Rel. lib. 2. c. 4.*) & aliis.

C A P U T XIII.

De Feslo Corporis Christi, quod Feria V. celebratur post primam Dominicam, quæ Pentecosten proxime consequitur, seu post Octavam ejusdem Pentecostes.

I. Santissimæ Eucharistiæ institutionem veneratur Ecclesia Feria V. in Cœna Domini ab Apostolicis usque temporis. Sed cum eo die in recolendis Passionis Dominicæ Mysteriis versetur, Deo gratum fore illi visum fuit, si peculiarem de eadem institutione, v. Feria. post Octavam Pentecostes Festivitatem latitiæ, & gaudii signis celebraret. Et de hac nova Festivitate in præfenti sermo erit; quia de Eucharistiæ institutione fuse jam egimus Feria V. in Cœna Domini.

2. 3. 4. 5. Cum magna erga SS. Eucharisti-

stiam devotione flagraret B. Juliana e Monte Cornelione ad Leodii portas Hospitalaria, cælesti quadam visione admonita, ut peculiari Festivitate Sacrosanctæ Eucharistiæ coleretur, postquam ad Priorissæ munus evecta est anno 1230. de re omni consuluit Theologos, & Episcopos, in quibus fuit Episcopus Cameracensis, Hugo postea Cardinalis, & Jacobus Pantaleo Archidiaconus Leodiensis, & postea Pontifex Urbanus IV. appellatus. Ab omnibus probata fuit nova Festivitas; officiumque, curantè R. Juliana, fuit compositum, & approbatum a Roberto Leodiensi Episcopo in Concilio anno 1246. habito, ubi decrevit per totam Ditionem suam novum hoc Festum celebrari. Sic institutam Festivitatem Hugo jam Cardinalis, & Legatus in Belgium missus ad totam suam Provinciam ampliavit, idemque confirmavit ejus in legatione Successor Cardin. Capocius. Juliana, communicato negotio cum quadam pia muliere, nomine Eva, e vivis sublata est. Itaque Eva ab Henrico Roberto Successore flagitare non desistit, ut Urbanum IV. Pontificem jam renunciatum, qui visionis Julianæ conscius erat, & Festivitatem in Belgio jam probaverat, exoraret, ut nova Festivitas ad universam ampliaretur Ecclesiam. Pontifex auditis precibus aliquandiu moratus est, nequid temere suscepisse videretur: sed sequenti commotus miraculo tandem annuit.

6. Sacerdos quidam in Castro ad Volsiensem lacum ab Urbeveteri (ubi tunc morabatur Urbanus IV. cum Romana Curia) haud longe distanti, post consecrationem panis, & vini dubitare cœpit de transubstantiatione in Corpus, & Sanguinem Jesu Christi. Ex improvise Sanguis ex Hostia erupit, qui linteum, seu Corporale commaculavit. Sunt qui narrant, Sanguinis guttam Sacerdotis incuria in linteum effusam; illum autem, ut suam tegeter negligentiam, multiplex plexu eandem linteæ partem complicasse; maculam deinde Sanguinis in formam Hostiæ in singulis linteæ plexibus esse reperitam. Miraculi fama commotus Pontifex, visoque linteo, precibus annuit, Constitutione sua, quæ prima est inter ipsius Pontificis Bullas; ubi inseruit Revelationes, etiam ante Apostolatam a se cognitæ; quotannisque eodem, quo nunc agitur, die Festivitatem celebrari præcepit in universali Ecclesia; cui etiam addidit causam, ad Catholicam Fidem exaltandam, & hæreticos comprimendos; Berengarium utique, & sequaces, qui per id temporis realem Corporis Christi præsentiam in Eucharistiâ negabant.

7. Licet autem Urbanus e vivis excesserit postridie Kalen. Octobr. ann. 1264. prædicta autem ejus Bulla expedita fuerit die 11. Augusti ejusdem anni, ut patet ex Regestis Vaticanis, hanc tamen Festivitatem eodem anno jam celebraverat cum Cardinalibus, & Præsulibus apud Sedem Apostolicam tunc commorantibus. Sic enim constat ex ejus Brevi ad prædictam Evam dato 8. Septembris eodem anno, quo eam certam reddit de instituta, & jam a se celebrata nova solemnitate, juxta Divinum placitum, & pium ejusdem Evæ desiderium; quod Breve affert Diestemius. (*In tract. edito ann. 1646.*) Verum cum post Urbanum nemo prædictæ Bullæ executionem urgeret, inde factum est, ut de Constitutione, ac Festivitatibus celebratione omnino sileat Durandus, qui vixit duo, & viginti annos post Urbanum IV. Videatur Glossa. (*Clem. Unica, de Reliq. & vener. SS.*) Patres vero in Concilio Viennensi an. 1311. habito, Constitutionem Urbani a Clemente V. confirmatam receperunt: cujus executio debetur Joanni XXII. qui anno 1316. Clementi successit; augmentum vero cum Indulgentiis Martino V. & Eugenio IV. Denique Concilium Tridentinum, (*Sess. 13. c. 15. can. 6.*) prædictam solemnitatem triumphum de hæresi appellat, & audentes eam improbare anathematizat; atque itidem recordatur scandali dati a Saxonæ Duce, cæterisque Lutheranis Principibus, qui Processioni Corporis Christi habitæ, Surio teste, (*In Com. fol. 150.*) Augustæ Vindelicorum assistere noluerunt; ex quo maximam animi molestiam cepit Carolus V. quem aperto capite cereum manu tenentem, sequebantur Archiepiscopi, & Episcopi omnes umbellam alternatim portantes; præcedebat Card. Moguntinus SS. Eucharistiam portans Sæcularibus Principibus, & Clero præeuntibus.

8. 9. Quærit a Catholicis Calvinus: *Quo prætextu consecrent Hostiam, quam circumferant in pompa?* (*Lib. 4. Inst. c. 17.*) Cui facile respondetur, in pompa gestari, ut adoretur; quæ quidem adoratio laudabilis esset, etiam si sub illis speciebus reali præsentia Christus non lateret; nam in veteri legitimus Testamento Dei jussu Arcam Domini ab Israelitis per plura loca maxima celebritate circumductam. Potiori igitur jure id fiet, cum sub illis speciebus vere Christus D. contineatur, huicque Sacramento Latriæ cultus debeatur, ut Catholica docet Ecclesia in Tridentino congregata. Videantur Herminier, (*Tract. de Sacr. 10. 2. de Euch. c. 25.*) & Pichler, (*In Theol. Dogm. par.*

2. p. 2164. & 1165.) qui explicant, quo sensu intelligamus huic Sacramento Latriæ cultum tribuendum, etiam si panis, & vini species, quæ sunt res creatæ, in illo contineantur. De Volsiniensi miracula scribunt pene omnes DD. Catholici post Trithemium, S. Antoninum, & Panvinium. Videatur Henschenius, (*In contin. Bolland. tom. 3. April. pag. 437.*) & alii passim. Ejusdem miraculi veritas etiam validissime comprobatur ex Sacrosancto Linteo in Urbeveterana Cathedrali summa cum veneratione asservato. Accedit, quod in ejus memoriam celeberrima ædes fuit extructa, jacto primo lapide a Nicolao IV. Idibus Novembris anno 1290. uti narrat Panvinus.

10. 11. Prebabilius censemus Urbanum IV. non solum Festivitatibus fuisse Auctorem, sed etiam Processionis, nunc fieri solitæ; Panvinus enim scribit, Pontificem miraculo attonitum ab ejus loci Episcopo cum triumphali pompa ad se Urbeveteri commorantem processionaliter deferi jussisse Corporale, illudque in Ecclesia Urbeveterana ad servandum locasse. Adhærent Guilielmus Lindanus Episcopus Ruremundensis, (*Tom. 2. Apolog. & Gretserus, (Tom. 5. edit. Ratisb. tract. de Prof. c. 19. §. 12. & c. pag. 54. & Dissert. de Festo Corpor. Chr. cod. tom. c. 12. pa. 162.)* qui illud probare nititur ex Urbani Bulla; cum nihil ei videatur accommodatius ad Hæreticorum perfidiam confundendam, quod Pontifex in Festivitatibus institutione præcipue intendit. De Auctore Officii hujus solemnitatis, licet cum viris doctis Papebrochius, (*Act. SS. mens. Apr. & Prophylæum men. Maji. par. 2. pag. 53.* prius dubitaverit; certum tamen est compositum fuisse a S. Thoma Aquinate, sic enim expresse constat ex Constitutione Xisti IV. (*Tom. 2. Bullar. noviss. præd. Pag. 555.*)

C A P U T XIV.

De Festo Inventionis S. Crucis.
Die III. Maji.

1. &c. **C**onstantinus Magnus dum adversus Maxentium pararet exercitum, veræque Religionis dignoscendæ studio esset incensus, ann. 311. splendidissimam vidit lucem in formam Crucis supra Solem cum hac inscriptione: *In hoc vince*, ut narrat Eusebius, (*Lib. 1. vit. Const. c. 28. & seq.*) Philostorgius, Sozomenus, alique innumeri. Hoc ostenso Imperator Christianam Religionem amplexus est, quam anno sequenti de Romani Imperii hoste parta victoria

comprobavit. Cum autem Imperator ille candido fuerit, & aperto ingenio, virtutis amans, & ab omni fraude alienus, ut de eo legitur, apud Photium. (*Cod. 62.*) Cumque ipse rem totam affirmaverit, cujus etiam ejus milites oculati testes fuerint, miram sane est, quanta impudentia Oornobecus, Tollius, & Boillavius eum mendacem facere non dubitent. Nec minori temeritate Fabricius, (*To. 6. Bibl. lib. 5. c. 3.*) Crucem illam naturale Phænomenon fuisse contendit, quasi epigraphe illa casu etiam esset formata, quem sequens vistoria propediem secuta mysterio non caruisse ostendit. Hadrianus Imperator ex Christi odio Sacra Palæstinæ loca profanavit: Sanctum Christi Sepulcrum terra oppleri jussit, ibique Templum Veneri dicavit, ut a loco colendo Christianos arceret. At Constantinus Fidem nostram amplexus, Macarium Hierosolymæ Episcopum præfecit, ut, destructo Veneris templo, aliud magnificentissimum in S. Sepulcri loco extrueret, Præsidesque Provinciarum omnia illi, quæ opus essent, suppeditare jussit. Omne illud opus perficiendum suscepit S. Helena Imperatoris Mater, quæ anno 326. fere exeunte, se se contulit Hierosolymam; ubi probe exploratis omnibus locis, quæ ad Christi Passionem pertinebant, destructo Veneris fano, Sanctoque detecto sepulcro, ternas ejusdem formæ, & magnitudinis reperit Cruces sibi invicem adjacentes.

5. At cum, ex iis quænam esset Christi, omnino esset incompertum (licet D. Ambrosius, (*In funere Theodosi.*) conjecerit cognitam ex titulo *Jesus Nazareus &c.* fuisse) in re tam dubia Macrius a S. Helena in consilium adhibitus, Divino afflatus numine, singulas Cruces ad Matronæ cujusdam nobilis corpus, quæ in ipso mortis limine verlabatur, admoveri jussit, Deum deprecatus, ut cuiusnam ex illis tribus Christus esset affixus, significare dignaretur; ægra, ubi ejus corpori tertia Crux fuit admota, valetudini restituta indicio fuit, in ea Christum Dominum pependisse. Sic rem totam narrat Rufinus, Socrates, Sozomenus, & Theodoretus. At S. Paulinus Episcopus Nolanus, (*In Episc. ad Sulpicium Severum*) & Sulpicius Severus, (*Histor. l. 2.*) dicunt, mulierem jam mortuam revixisse; ex quo inferunt aliqui, duo contigisse miracula, unum in muliere ægra, alterum in mortua. Sed cæteri omnes communiter primum tantum adstruunt miraculum; Paulinumque ex populi rumore in circumstantiis (prout assolet) immutatum illud narrasse, affirmant.

Tom. III.

6. &c. Hanc Crucis Inventionem licet Pontificale Anastasio tributum, (*Ib. Vit. S. Eusebii Papa.*) referat ad S. Eusebii tempus, omnino referri debet ad S. Silvestri ætatem, in qua vixit Constantinus, Macariusque Episcopus creatus anno 312. Videantur Baronius, (*Ad an. Chr. 326. n. 42.*) Pagius, (*In Brev. Rom. Pont. to. 1. in vita S. Ev. seb.*) & alii. Sub Eusebio autem Syriam obtinebat Maximinus Christianis infensissimus. Nihil præterea refert, quod Gratianus, (*Can. Crucis de Confess. 3.*) hanc Inventionem S. Eusebio tribuat; quia illud decretum falso affingi Eusebio, advertit Suarez. (*To. 1. de Relig. l. 2. c. 7. n. 2.*) Acta quadam tradunt, Crucis locum a Juda quodam Hebræo, fame ad id compulso S. Helenæ jussu, fuisse manifestatum, in quo consentit Gregorius Turonensis, (*L. 1. c. 34.*) remque ex Actis fuse narrat Quaresmius. (*Elucid. Terr. San. To. 2. l. 5. c. 20. in fine.*) Sed rejicienda sunt, uti spuria, cum Bollandistis, (*Ad diem 8. Maji.*) quibus suffragari videtur Gelasius Papa; (*Can. 5. Romana, dist. 15.*) retinendaque est prima Historia, utpote Breviario Romano emendato plane consentiens, ac firmissimis fassulta fundamentis apud Ambrosium, (*In Concion. de ob. Theodosi.*) Rufinum, (*L. 1. c. 8.*) Paulinum, (*Episc. 31. alia. 2.*) Sulpicium, (*Hist. l. 2.*) Eusebium in Chronico, Cyrillum, (*Episc. ad Constant. Imper. §. 3. col. 352. oper edit Maur.*) aliosque quamplurimos.

11. 12. Neque audiendi sunt Calvinista Salmasius, Spanhemius, Balnagius, & Dallæus, qui veritatem historię memoratæ profus negant, variis innixi argumentis. Propter silentium Eusebii in vita Constantini; quæ vero (inquit) circa hoc in ejus Chronico reperiuntur, suppositicia reputantur. At præterquam quod Eusebius hoc penitus non taceat, uti videre est apud eundem, (*L. 3. c. 30. in vit. Constant.*) exploratumque satis non sit, verba Chronico recentior fuisse addita, cum inveniantur in multis manuscriptis Codicibus, atque pluribus veteribus editionibus; quis non videt, quam infirmum sit argumentum negativum adversus testimonium affirmativum gravissimorum hominum, ut optime observarunt Bollandistæ, (*Ad diem 13. Aug. §. 8. n. 76. de vit. S. Helena.*) Natalis Alexander, (*To. 4. post. edit. Parisien. c. 6. art. 13.*) & alii? 2. Rejiciunt, a nobis nuper citatam; quia in ea Constantius Imperator Arianus laudatur; sed genuina communiter reputatur. Neque eorum valet argumen-

gumentum; Athanasius enim, & Hilarius honorificis sane verbis Constantium appellarunt tunc, cum maxime, & pertinacissime Catholicam Fidem divexabat, ut bene advertit Gravesonius. (*De Myst. & an. Chr. pag. 452.*) 3. Illis verisimile non sit, trecentorum spatio annorum Christi Crucem, ne dum illæ duorum Latronum, sub terra latuisse incorruptam. At in hoc Divinam Omnipotentiam videntur circumscribere; quæ non solum e manibus Ethnicorum, & a corruptione voluit eam defendere, ut publico populorum cultui proponeretur; sed illas etiam Latronum, ut præclaro nuper relato miraculo fieret locus.

13. Siquis autem miretur, quod Ecclesia celebret Festivitatem nonnisi humanæ fidei, & opinioni innixam, sciat, si dem humanam, & moralem evidentiam satis firma fundamenta esse instituendæ Festivitatæ, quin Fides Divina necessaria sit; nam pari jure Festum indicitur pro victoria adversus Christiani nominis hostes. Præterea Crucis Inventio non est hujus Festivitatæ fundamentum, sed: illius instituendæ occasio; nam sola Crux ponitur, veluti fundamentum huic solemnitati, idque propter Christum, qui ei fuit affixus; quique præcipuum est nostræ Religionis objectum. Insuper D. Augustinus, (*De Civ. Dei l. 10. cap. 4.*) pro causâ alicujus instituendæ Festivitatæ assignat etiam insigne aliquod Dei beneficium: maximum autem reputatur a S. Paulino, quod Crux tandem incorrupta deliquerit. Cumque temporis opportunitas, ut eam veneremur, postulabat; ipsa reperta fuerit. Mirabilis sane Dei providentia in eo enituit, quod, Judæis Christianæ Religionis abolendæ studiosissimis, in mentem non venerit illam comburere, quod quidem voluit Deus, ut per illius cultum nobis beneficeret.

14. &c. Quod attinet ad vetustatem Festi, licet doceat Micrologus, (*In obs. Eccl. c. 55.*) alludens ad apocrypham Decretum jam relatam, a S. Eusebio fuisse institutam; & Fronto (*In Not. ad Calen. Roman.*), nonnisi post annum Christi 720 celebrari cœpisse; attamen legimus in veteri Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio Hieronymo tributo, & a Florentino edito ad 3. Maji. *In Hierosolyma inventio S. Crucis D. N. Jesu Christi ab Helena post Passionem Domini anno 333. regnante Constantino Imperatore.* Bollandiæ referunt, Crucis partem S. Macario traditam, in Templo, ut jam diximus, a Constantino Hierosolymæ extracto, locatam esse; eapropter, ajunt, in Orientali Eccle-

sia nulla de Inventionem Festivitatem oportuisse instituere; cum, Templo extracto, statim pia illa cœpit consuetudo, ut certis quibusdam diebus solemnibus, præsertim Feria VI. in Parasceve, (ut alibi jam notavimus) magno concursu advenarum S. Crucis lignum populo spectandum exhiberetur; ex quo etiamnum in universalis Ecclesiæ Crux, ea die, adoranda proponitur. Nec tamen ea Hierosolymæ cæremonia, ut monet Bailletus, (*In Hist. huj. diei.*) propria dicitur Crucis Inventio, sed potius inventæ Crucis adoratio. Altera Crucis pars Romam ab Helena vel missa, vel secum adducta, fuit collocata in Basilica S. Crucis in Jerusalem; & verisimile existimant Bollandiæ in hac primum Ecclesiæ Festivitatem Inventionis S. Crucis celebrari cœpisse; atque inde a Summis Pontificibus in alias Romæ Ecclesias inventam esse, unde tandem ad universalem Ecclesiam permeaverit, de quo cit. Bailletus. De hac Festivitate mentio fit in Sacramentario & Antiphonario S. Gregorii, in veteribusque Sacramentariis, & Martyrologiis videndis spud Florentinum, (*In Not. Martyrol. ad hunc diem.*) & Martene. (*Cit. cap. 32. n. 16.*)

18. &c. Quod attinet ad Officium, comperimus habemus ex Balazio, (*In vit. Greg. XI.*) cum aliis, primum jussu Gregorii XI. fuisse compositum a Petro Senogallienſi Episcopo, qui juxta Ughelium, Senogallienſi præfuit Ecclesiæ usque ad annum 1367. At Clemens VIII. cum Officium ad 2. classis totum promovit, sublatis Antiphonis ad Eudes; illas de Festo Exaltationis recitari jussit: *quia priores historiam continebant dubiam*, ait Gavantus; (*Secl. 7. c. 7. de de Feo. Maji. n. 3.*) illam videlicet supra rejectam, de Judæ Hebræi opera in detegenda Cruce. Urbanus denique VIII. eandem Solemnitatem ex præcepto celebrandam voluit. Hic non præmittendum, voluisse Constantinum, uti testantur Sozomenus, (*Hist. l. 1. c. 8.*) & Nicephorus, (*L. 7. c. 46.*) in S. Crucis honorem, ne quis deinceps reus Crucis patibulo necaretur. At cum contumacissimi Judæi a tali supplicio non desisterent (licet id facere deditarent in odium Amani) nihilominus Theodosius Junior idiplum vetuit. (*In Cod. Just. Tit. de Judæis, Lege 18.*) Præter Crucem, Titulam etiam, de quo supra, & Clavos, de quibus alibi idem Benedictus XIV. (*De Can. Ss. part. 2. l. 4. c. 31.*) S. Helena invenit. Videatur Gretſerus, (*Tom. 1. oper. edit. nuper. Ratisb. l. de Cruc. c. 42. & duob. seq. 1. & in Volum. c. 3. atque Vol. 5. l. 1. de*

1. de Fes. c. 32.) qui abunde, & accurate scripsit de Crucis Inventione.

C A P U T XV.

De Fes. Transfigurationis D. qua die
6. Augusti celebratur.

1. & **D**E Christi Transfiguratione loquuntur Evangelistæ: in qua exponenda dicemus 1. Quid fuerit Transfigurationis? 2. Quomodo? 3. Quando? 4. Ubi contigerit? 5. Quæ circumstantiæ? 6. De Solemnitatis origine. Ad 1. dicimus Transfigurationem ex Evangelistis, (*Matth. c. 17. v. 2. Marc. c. 9. v. 1. Luc. c. 9. v. 29.*) quemdam fuisse fulgorem, qui, sicut sol, Christi faciem illuminavit; & sicut nix, vestimenta dealbavit; & juxta Lucam, & Marcum, etiam splendentia reddidit. Prædictus autem fulgor, juxta Hieronymum, (*In cap. 17. Matth.*) splendorem addidit, faciem non subtraxit, hoc est, ejusdem lineamenta non mutavit. Et licet Evangelistæ solum loquantur de faciei, vestiumque splendore; attamen idem S. intelligit, (*Epist. 61. ad Joann. Hieros. err. c. 10.*) totum Corpus coruscasse, cum transfiguratum fuisse Christum affirmatur. De hoc alibi Benedictus XIV. & Synopsi. (*Lib. 4. de Canoniz. par. 1. c. 25. n. 11.*)

4. &c. Ad 2. dicendum cum D. Thoma, (*3. p. q. 45. art. 2.*) splendorem illum derivatum fuisse a Christi Anima, tum ob Divinitatem, qua cum hypostatice jungebatur, tum propter gloriam, qua jam inde a Conceptione fruebatur. Et licet ab hoc momento claritas ad corpus non redundaret, dispositioni Divinæ est tribuendum; ut in corpore passibili Christus Redemptionis nostræ Mysteria adimpleret; minime autem carentiæ potestatis, quam in Transfiguratione exercuit. Prædicta claritas, ut bene notat idem S. Doctor, discriminatur a claritate Corporis glorificati in eo, quod Transfigurationis claritas transiens sit qualitas, Gloriæ autem permanens. Unde duplex hic evenit miraculum. Primum, quod claritas a Conceptione usque Christi animam permanenter afficiens, & quæ similiter corpus afficere debuerat, ne id faceret, impedita fuerit. Alterum, quod claritas a Divinitate, & anima passibile Corpus transeuntem illustraret, & ut ita dicamus, quasi ab extrinseco, sicut aer illuminatur a Sole, quo exemplo utitur D. Thomas; nam quamvis Deus naturæ Auctor statuisset, ne Gloria Animæ Christi Viatoris ad Corpus pertingeret,

ut ejus Passione humanum Genus redimeret; attamen visum illi fuit, ut in Transfiguratione ad totum Corpus Gloria Animæ permearet. Videatur Synopsi. citat.

7. &c. Ad 3. dicendum cum Baronio, non multo ante Passiōem contigisse Transfigurationem; quod colligit ex Christi verbis apud Matthæum, (*c. 16. v. 11. & seq.*) quibus dixerat, oportere *eum ire Hierosolymam . . . occidi, & tertia die resurgere*; ubi etiam eos ad vitæ contemptum, & Crucem ferendam est cohortatus. Ponunt autem Matthæus, (*c. 17. v. 1. & seqq.*) & Marcus, (*c. 9. v. 1. & seqq.*) Transfigurationem sex dies post hunc sermonem; Lucas vero: (*c. 9. v. 28.*) *Post hæc verba sepe octo dies.* Sed, juxta Augustinum, (*De Conf. Evang. l. 2. c. 56.*) Matthæus, & Marcus neque diem sermonis, neque diem ascensus ad montem, quos comprehendit Lucas, numerarunt, sed tantum dies sex inter utrumque interjectos. Ad 4. de loco, ubi contigerit, dicendum cum Hieronymo, Cyrillo Hierosolymitano, & Damasceno fuisse Thabor, quidquid dicant alii Olivarum fuisse montem; quia is tumulus potius erat, quam mons, & Evangelistæ testantur excelsum fuisse montem. In eo scribit Nicephorus, (*Eccles. Histor. l. 8. c. 30.*) a S. Helena in honorem trium Apostolorum, qui Transfigurationi interfuere, Templum fuisse extructum, in præsentia vero diruptum, scribit Quaresmius. (*Elucid. Terræ Sanct. l. 7. c. 2. to. 2.*) Ad 5. dicendum cum D. Thoma; (*3. part. q. 45. art. 1.*) causam Transfigurationis fuisse, ut Discipulis exhiberet specimen illius Gloriæ, quam adepturi essent illi, qui propter eum labores adirent, ac mortem oppeterent; quam aspernari paulo ante docuerat. Quare postea dictum est: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in Gloriam suam?* (*Luc. c. 24. v. 16.*) Et Paulus dixit: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* (*Act. c. 14. v. 21.*)

12. 13. Ad 6. inter circumstantias illa primo occurrit, Christum tres tantummodo Discipulos secum in montem adduxisse. Causam affert D. Thomas; (*Loc. cit. art. 3. ad 4.*) quia non omnibus profunda sunt revelanda Mysteria, sed quibusdam paucis, qui ea cæteris omnibus enuntiant. Selecti autem fuere hi tres, nimirum Petrus ob præcipuum ejus in Christum amorem, & ob excellentem potestatem ipsi a Christo tributam; Joannis & ob amorem, quo eum Christus complectabatur; ob Virginitatis,

Evangelicæque doctrinæ excellentiam: Jacobus ob prærogativam Martyrii, quo omnium Apostolorum primus, teste Baronio, (*Ad an. Chr. 44. n. 1.*) fuit coronatus. Et quia testes etiam mœroris in Horto futuri erant. (*Matth. cap. 26. v. 37.*)

14. 15. Deinde præsentia Moysis, & Eliæ colloquentium cum Jesu. Circa quod aliqua sunt notanda. 1. Adhibitos fuisse ex D. Thoma, (*Loc. cit. art. 3.*) hos duos Transfigurationis testes ex Testamento Veteri, ut palam fieret, utriusque Legis homines per Christum ad æternam Beatitudinem adduci. 2. Moysen, & Eliam, fuisse electos. Quia loquendum erat ibi de futura Christi Passione, & Morte, ut autem Discipulorum animi firmarentur in vitæ contemptu, hi adducti sunt, quorum alter Pharaoni, alter Achabo non sine vitæ periculo resisterunt. 3. Eliam, cum Fide Divina habeamus in terra cœlestem vitam degere, credibile est, inde ubi erat, ab Angelo aliquo in Thabor fuisse translatum. De Moysæ vero cum ex Deuteronomio, (*cap. 34. v. 5.*) constet e vita fuisse sublatum, existimamus cum D. Thoma, (*Cit. art. 3. ad 2.*) illius animam, quemadmodum Angeli solent, per assumptum corpus illuc apparuisse; licet Scotus, (*In 4. Sent. dist. 43. qu. 2. art. 1.*) ex Hieronymo, (*In c. 17. Matth.*) putat eum vere resurrexisse, & post Transfigurationem rursus obiisse. Tandem dicimus, Apostolos Moysen, & Eliam agnovisse, vel quia Christus unumquemque suo nomine appellavit; vel quia eorum facies Apostoli a Majoribus suis acceperant. Verisimile enim judicat Calmet, (*ibid. num. 3.*) apud Hebræos Moysis, & Eliæ facies traditione fuisse cognitatas, quemadmodum apud nos est aliqua, de alicujus Apostoli facie in Ecclesia traditio.

16. Petrus in Moysis, & Eliæ discessu, ut tradit Lucas, (*cap. 9. v. 33.*) timore exterritus, dixit: Domine, bonum est nos hic esse: Si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum: (*Matth. c. 17. v. 4.*) & ut addit Lucas: Nesciens quid diceret. Existimabat enim illic posse Moysen, & Eliam retineri, ne abirent; nec consideravit illos vilibus tentoriis non indigere, & Christi morte opus esse, ut ipse intraret in Gloriam suam, nobisque aditum aperiret; nec tamen ingressurus, nisi laborum tolerantia, & bonorum operum merito. Putat Origenes, Petrum maligno spiritu afflatum, verba illa protulisse. Tertullianus, ecclasi id tribuit. Chryso-

stomus, quod illi tunc defuerit supernaturale lumen, quo alias Christi Divinitatem agnoverat. Mellius tamen Ambrosius, (*In Luc. cap. 9.*) illum abreptum putat a vivido ingenio, & devotionis ardore; nesciebat enim quoniam alio demum pacto suum in Deum gratum animum, amoremque declararet. Prædicta autem verba videtur ex textu Petrum interrogatum dixisse, sed notum est, penes Hebræos, *respondit*, aliquando poni pro *dixit*.

17. 18. Pergit Matthæus: (*cap. 17. v. 5.*) *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos* (Discipulos); & *ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus; in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Hoc evenisse dicunt Chrysostomus, & Theophylactus cum aliis post discessum Moysis, & Eliæ, ut melius pateret, Patrem de Christo tantum loqui. Prædicta Patris attestatio narratur etiam a Marco, (*cap. 9. v. 6.*) Luca, (*cap. 9. v. 35.*) atque etiam a D. Petro; (*Epist. 2. c. 1. v. 17.*) voluit enim Spiritus Sanctus testimonio Evangelistarum, Petri etiam addere testimonium, quo Transfiguratio omnibus testatior fieret; & illustrior. Licet autem illa Patris verba in cit. Epistola D. Petri a Græcis codicibus absint, habentur tamen in omnibus Latinis vulgatæ editionis. Sæpiissime in Scriptura legimus, Deum se in nube conspicuum exhibuisse, atque inde esse locutum; sed cum hoc dissimulare, quod in Veteri Testamento, ut pote umbra Legis Gratiæ, in nube atra se explicabat; in novo autem in splendente nube, quia amabilem se se exhibet, & undique veritatis lumen effulget. Causæ autem, cur Pater voluit vocem suam audiri, videri possunt apud D. Thomam. (*Cit. qu. 45. a. 4.*) & Leonem Magnum. (*Homil. 34. de Transfigur. D.*)

19. Discipuli, audita Patris voce, *Ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Et accessit Jesus, & tetigit eos, dixitque eis: *Surgite, & nolite timere.* At illi levantes... oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. (*Matth. c. 17. v. 6. & seq.*) In descensu montis eis præterea de tota visione silentium injunxit, quousque ipse a mortuis resurgeret; idque juxta D. Thomam, (*Loc. cit. a. 5. ad 4.*) post Hieronymum, ne alias a populis ejus moris impediretur; vel, ea non impedita, scandalum paterentur rades, & imperiti turpissimam mortem pati conspicientes. Infuper, cum apud Judæos viguisset opinio, futuram, ut Messias prior veniret Elias, ut patet ex Dialogo Tryphonis cum Justino Mar-

Martyre, videntes Apostoli, Eliam ab eorum oculis statim se eripuisse, Dominum interrogarunt de hac Scribarum opinione: quibus Christus duo respondit: & quod, *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*; & quod, *jam venit, & non cognoverunt eum; sed fecerunt in eo quaecumque voluerunt.* (*Cit. cap. 17. v. 11. & 12.*) Per Primum significavit Eliæ adventum in propria persona ante diem iudicii, sicut prædictum est apud Malachiam; (*cap. 4. v. 5.*) per secundum intellexit Baptistam, qui jam venerat *in Spiritu & virtute Eliæ* (*Luc. c. 1. v. 17.*) & quidem de Baptista Apostoli intellexerunt, ut notat D. Matthæus. (*Cit. cap. v. 13.*)

20. &c. Jam de Solemnitatis hujus origine diversi diversa sentiunt; quibus relatis, concludit Benedictus XIV. certum esse Festum hoc ante Calixtum III. in aliquibus Ecclesiis jam celebrari, & quidem solemniter, ut probant Thomassinus, (*De diæ. Feslor. celebrat. l. 2. c. 14. n. 19.*) & Martene. (*cap. 33. num. 17.*) Insuper Dominica secunda Quadragesimæ, & Sabbatho eam precedente jam Calixti temporibus memoriam Transfigurationis fieri solitam, ut unum sit, in universa Ecclesia, legendo de eadem Evangelium, patet ex Litteris ejusdem Calixti apud Raynaldum. (*Ad ann. Chr. 1457. n. 78. & 80.*) Tandem Calixtum III. ad Divinam opem implorandam contra Turcas qui Christianam Remp. divexabant, peculiare Transfigurationis Festum die 6. Augusti pro tota Ecclesia celebrari, Officiumque recitari iussisse, ut ex ipsa Calixti Bulla perspicuum est, apud cit. Raynaldum. His vero, qui præfacta die Divino Officio interfuerint, easdem concessit Indulgentias, sicut in Festo Corporis Christi, ut cum aliis notat Casalio. (*De veter. Sacr. Christ. Ritib. pag. 122. edit. Roman. 1647.*) Id Pontifex Officium etiam composuit; illi tamen novos Hymnos, & Lectiones primi, & secundi nocturni substituit S. Pius V. ut notat Gavantus. (*De Fes. Sanct. mens. August. sect. c. 10. num. 6.*)

C A P U T XVI.

De Fesio Exaltationis SS. Crucis.

Die 14. Septembris.

I. &c. **M**AURITIO Imperatore, ejusque liberis, nefaria Phoca tyranni perfidia, interemptis an. 602. Chosroas Persarum Rex, cui Mauritus fuerat necessitudine conjunctus, indignissimam necem ulci-

scendam deliberavit, bello adversus Phocam indicto. Sed cum tyranno sublato, adversus successorem Heraclium bellum produceret, satis ostendit, illud suscepisse non ad nefariam mortem ulciscendam, sed ad regnum suum ampliandum. Hac occasione Imperii viribus multum imminutis, Chosroas, quamplurimos in servitum abductos, in diversas Regni Persarum Regiones distribuit; plures civitates diripuit, ipsamque Hierosolymam anno 624. expugnatam incendit; Christianos denique cum Zacharia Patriarcha captos, Hebræis vendidit ac Ss. Crucem Cresphonte, Urbe ad Tigrim sita, abactam collocavit. At semper honorifice habita fuit, & si fides danda est Suidæ, (*In vit. Herclii.*) pari diligentia, ac Hierosolymæ, fuit servata, & namquam a theca, in qua erat inclusa, amota; ac denique per eam multa Deus edidit miracula, quibus Infideles admiratione percussi, Christianam amplexi sunt Fidem.

4. 5. Nec Hierosolyma capta, ab armis destitit Chosroas, sed ulterius omnes Orientis Provincias igne, ferroque vastavit; in Africamque trajiciens, reliquis Provinciis Romano subjectis Imperio minabatur. Heraclius, cui pares resistendo vires non supererent, a victore pacem petere est coactus: sed in cassum; vel quia Chosroas agere ea noluerit; vel, ut a nonnullis traditur, quia iniquissimas pacis condiciones affererat, quarum ea præcipua, ut Christi fide convulsa, Persarum Religio in Romanum Imperium invehetur. Heraclius, visa Chosroæ audacia, Dei fructus ope bellum indixit, & paucis ipse instructus copiis, maximam de Chosroæ victoriam reportavit pridie Idus Decembris anno 627. Tam temporis Chosroas dysenteria laborabat, sibi que mortem, vel captivitatem veritus, Medarsen minorem natu filium Imperii socium sibi adscivit. Quæ injuria eo furoris impulit Siroem filium natu maximum, ut captum apud Seleuciam Patrem, in vinculaque conjectum usque ad mortem 28. Februarii secutam indignissime tractaverit; fratremque Medarsen ante os suum trucidari jufferit.

6. 7. Siroes, ut se regno stabiliret, Pacem ab Heraclio petiit, impetravitque ea inter ceteras conditione, ut Christi Crux redderetur. Eam transmisit Siroes per Zachariam, qui una cum Christianis in servitum adductis, dimissus etiam fuit. Heraclius dein Constantinopolim gravibus negotiis revocatus, a populo in triumphum fuit exceptus; percussa, ac in vulgus jectata sunt.

sunt numismata hinc cum Heraclii imagine, illinc cum Cruce ab hostibus recepta. Invenite autem vere, in Syriam se contulit, non solum ut res Orientis componeret, Sacra loca repararet, Ministris Ecclesiasticis præficiendis operam daret: sed maxime ut Crucem ad Calvarium, unde fuerat amota, reportaret. Quod cum facere tentaret, sic occulta quadam vi fuit retentus, ut ne unum quidem passum progredi potuerit. Tunc Zacharias Patriarcha, Imperatorem monet, ut triumphalem ornatum a Jesu paupertate, & humilitate alienum deponat. Heraclius, detractis calceis, ac plebeja veste indutus, reliquum viæ confecit, & in eodem Calvariæ loco, Crucem statuit, a quo Persæ asportaverant.

8. Ab hoc pietate paulo post, Anastasii Jacobitarum Patriarchæ consiliis descivit; & prætextu tuendi Synodum Calcedonensem, Monothelitarum hæresim unam tantum voluntatem, & operationem in Christo statuentem, propugnavit. Ea de causa Deus poenas ab ea repetiit per Mahometis Successores, qui Syriam, Ægyptum, & Palestinam Romano ademerent Imperio, captamque Hierosolymam tenere 463. annis usque ad Francorum expeditionem, qui eam a Barbarorum manibus eripuerunt. Has tantas calamitates forsitan prospiciens Heraclius, Crucem quadriennio ante Hierosolymam collocatam, postea Constantinopolim asportavit; ubi in Patriarchali S. Sophiæ Fidelium venerationi exponebatur tribus postremis Majoris Hebdomadæ diebus; primo Imperatori, Senatoribus, Magistratibus, ac Laicis; secundo Imperatrici, Viduis, reliquis feminis; tertio Episcopo, & universo Clero.

9. 10. 11. Quod hætenus exposuimus, refertur a Suida, Theophane, & vetustis quibusdam Ritualibus libris, apud Baronium, (*Ad ann. Chr. 628.*) ac etiam in Breviarii Lectionibus. Ex iis etiam recte colligitur hac occasione solemniter celebrari cœpisse hanc Festivitatem, minime vero Heraclii gesta illius instituendæ causam attulisse; nam ante Heraclium in Oriente jam viguisse hanc Solemnitatem eruitur ex Chronico Alexandrino, Græcorum Menologio apud Canisium, (*T. 2. lect. Ant. ad diem 14. Sept.*) & clare ex Chrysofomo, (*Hom. 51. 1. 1.*) Unde ad Constantini ætatem, & in memoriam eorum, quæ illi contigerant, & supra diximus cap. 14. referenda est Solemnitatis origo. Ita quamplurimi citati a Sollerio. (*Ad Martyrol. Usuard.*)

12. &c. Idem de Occidente testatur Thomassinus, (*De diæ. Festor. celebr. lib. 2.*

c. 14.) & colligitur ex Sacramentario S. Gregorii. Deinde legitur in Pontificali, sexaginta annis post ereptam ab Heraclio Crucem a barbarorum manibus, Sergium Pontificem Divinitus afflatum, capsam quendam in Sacratio Basilicæ S. Petri asservatam aperiri jussisse, ac Crucem in ea repertam, gemmis ornatam, in qua inserta erat magna pars Crucis illius, cui Christus fuerat affixus; hancque Crucem quotannis ipso Exaltationis die in Basilica Lateranensi exponi Fidelium venerationi. Eadem nunc in Sacratio Sacelli Pontificii asservatur, ut probat Rocca. (*T. 1. p. 453. novissima edit.*) Nec ex hoc bene inferitur, a Sergio institutam fuisse Solemnitatem, sed tantummodo eam solemniter fecisse. Itaque concludendum in utraque Ecclesia multo ante Heraclium Exaltationem Ss. Crucis celebrari consuevisse; sub Heraclio autem factam fuisse illustriorem. Disjuncta deinde fuit a Festo Inventionis; quia Inventio Constantini factum respicit; Exaltatio autem Heraclii; uti visitur in Lectionibus, quæ in qualibet Festivitate leguntur. Quæ vero spectant ad Festum exaltationis, emendatæ fuere a S. Pio V. & Clemente VIII. qui Solemnitatem ad ritum duplicis majoris extulit; teste Gavanto, (*c. 11. de Fest. Sanctor. mens. Sept. n. 14.*)

C A P U T XVII.

De Festo die Natali Domini Jesu Christi die 25. Decembris.

1. 2. 3. **H**istoriam Nativitatis Jesu Christi VIII. Kal. Januarii celebratæ narrare incipit Lucas, (*c. 2. v. 1. & seq.*) his verbis: *In diebus illis exiit Edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis. Hac descriptio prima facta est a Præside Syria Cyrino.* De memorata Orbis descriptione nullum vestigium reperitur apud profanos Scriptores. Neque mirum; nam unam tantummodo Cæsaris Augusti historiam habemus accurate scriptam, & in hac deest narratio decem annorum in qua ipsa descriptio contineri debuerat, ut bene cum aliis advertit Calmet. (*in c. 2. Luc. n. 1.*) Verum præter Lucæ testimonium, Justinus, (*Apol. 2.*) & Tertullianus, (*In Marcion. lib. 4. c. 7.*) ejus descriptionis injecta mentione Ethnicos, & Hæreticos ad Acta publicæ mittunt, quæ eo tempore, adhuc extabant. Quæritur tamen num Jūdæa solum censa fuerit; sapere enim in Sacris Paginis universus orbis pro
sola

sola Judæa sumitur, uti legitur in Genesi, (c. 13. v. 9.) & lib. 1. Regum (c. 30. v. 16.) At verius dicendum Evangelistæ verbis totum Romanum contineri Imperium. Similis locutio habetur apud Hegesippum (lib. 2. c. 9.)

4. 5. 6. 7. 8. Circa postrema relata Lucæ verba, notat Justinus Martyr, (In Dial. adv. Tryphon.) idcirco primam appellari, quod tum primum a Romanis Judæa censa sit; alii vero quia totius Imperii Romani prima fuerit, cum antea bellorum causa fieri non potuerit. Sed de his inferius. Circa Præsidis nomen, Cyrinum fuisse tenendam est, licet in Græcis Codicibus manuscriptis legatur *Cyrenio*, *Cyrinio*, & *Kerinio*; quia exigui momenti mutatio est. Nunc conciliandi cum Luca profani Scriptores, de qua re sane operosa fuit Bineus. (De Natal. Jesu Chr. lib. 1. c. 3. n. 7.) Et difficultas in eo est, quod Tertullianus, (Contra Marcion. l. 4. c. 10.) scribat, descriptionem factam esse a Sentio Saturnino; cui consonat Josephus, dum asserit, (lib. 16. antiq. c. 13. & 14.) Saturninum postremo Herodis anno provincia decessisse, quam Quintilius Varus susceperit; & Quintilio successisse Publium Sulpicium Quirinum, qui idem est cum Cyrino. Josepho consentit Tacitus, dicens, (lib. 5.) Quintilium Varum Syriam obtinere in morte Herodis; hanc vero anno ipso, quo natus est Christus Jesus, vel proximo certe obiisse, optimorum Chronologorum sententia est, ait Huetius. (Demonstrat. Ev. prop. 9. c. 10. n. 9.) Ex quibus videtur censum illum totius Imperii non fuisse factum, cum Jesus natus est, sed post decem ab Herodis morte annis, Archelao Judææ Rege in exilium pulso.

9. Missis aliis interpretandi viis, quas hic refert, & improbat Bened. XIV. cum eodem adhæremus Natali Alexandro (In c. 2. Luc. n. 2.) Petavio, & Grotio existimantibus, Cyrinum in Judæam, & in Syriam cum extraordinaria jurisdictione missum, dum eam regeret Provinciam Saturninus, vel Quintilius Varus. Ex quo sublata videtur omnis difficultas; nam si Cyrinus vir Consularis cum potestate extraordinaria missus est ab Augusto, ut censeret Judæam, Saturnino ejus Præside, jam Cyrinus descripsit Judæam, ut scribit Lucas; eaque descriptio vere dici potest facta sub Sentio Saturnino, uti testatur Tertullianus. Ulterius, si adjiciamus duos a Cyrino census actos esse, alterum, vivente Herode, tranquillis, pacatisque rebus, alterum, Arche-

lao in exilium pulso; dum Judas Gaulonita seditione, & turbis omnia misceret; illum extraordinaria; hunc ordinaria potestate, Josephi Chronologiam cum Luca bene componi facile intelligitur: & verum esse, descriptionem a Cyrino factam anno Christi Natali ante Herodis obitum; ideoque Lucam bene scripsisse: *Hæc descriptio prima facta est a Præside Syria Cyrino*. extraordinaria nimirum potestate; idcirco autem Cyrinum ab Evangelista Syriæ Præsidem appellari, non quod in prima descriptione, eam Provinciam regeret, sed quod postea eam obtinuerit Provinciam, atque jam ejus Præsides secundam descriptionem fecerit, quam Josephus commemorat.

10. 11. Consonat Lamy, (Concor. Evang. l. 1. c. 9. n. 4.) Bartholomæus Christianus. Ricardus, (Diss. decens. August. &c. in Theol. Dissert. in novum Testam. e. Museo Hæsei, & Iken. t. 2.) totam hanc rem fute tractans, & dicens aliter Sacram Historiam cum profanis Scriptoris non posse componi. Pergit D. Lucas: *Et ibant omnes, ut profiterentur singuli in suam Civitatem. Ascendit autem & Joseph a Galilea de Civitate Nazareth in Civitatem David, qua vocatur Bethlehẽm, eo quod esset de Domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore pregnante.* (c. 2. v. 2. & seq.) Quo consilio Augustus censum illum indixerit, controversum est. Indictum censent Ambrosius, Beda, Euthymius, & Maldonatus, (In c. 2. Luca.) ad cognoscendos homines, eorumque bona, fortunas, & artes, ut eis pro cujusque facultatibus tributum imponeret. Verum quoad tributum repugnant Richardus, & Bineus, (Tract. de Nat. Jesu Chr. lib. 1. c. 3.) dicentes, Herodem tunc Judææ imperare, ab eoque ut Socio; directe Romanos tributum exigisse. Censum vero factum, ut ingruente postea bello, scirent, quis in quaque Provincia, vel regione militum delectus haberi posset, iis etiam, quibus Socii Reges præerant. Nos cum Lamy, (loc. cit. n. 1. c. 9.) tantummodo Sapientiam Dei suscipimus sane mirificam, qui homines ita finit operari, ut eorum res gestæ æterno, Divinoque consilio obsecundent. Quacumque autem causa impulsus Augustus Imperii vires recensere voluerit; certe ex eo censu voluit Deus certissimum in Actis Romanorum extare testimonium, Christam Jesum Regio Davidis sanguine prognatum.

12. 13. 14. Ex verbis Lucæ supra habemus, B. Virginem, & S. Josephum ex eadem domo, & familia David fuisse. Multi In-

ti Interpretes putant duobus illis verbis idem significare voluisse Evangelistam, alteramque vocem altera explicare. Critici autem contendunt, vocem *familia* non tam late patere, quam *domo*; atque voluisse Evangelistam significare, non modo e Davidica stirpe, Josephum orium esse, sed etiam per lineam rectam masculinam Davide Rege prognatum; atque ex eo ordine, qui jus haberet ad Regnum per Salomonem, ex quo Messias erat nasciturus, juxta Scripturas. (2. Reg. p. 7. v. 12. & seq. & ad Hebr. c. 1. v. & seq.) Videantur Notæ ad Historiam vitæ, doctrinæ, & miraculorum Jesu Christi Urbini editæ 1730. cap. 16. Josephum autem, qui cum B. Maria uxore sua in Nazareth habitabat, cognito Augusti mandato, susceptoque in Judæam itinere, venit Bethlehem Civitatem Davidis gentilitiam. Illic enim juxta Romanorum leges, (leg. 3. ff. de Censibus.) suum debebat nomen profiteri, unde suam quisque habebat originem, & ubi bona, fortunæque suas haberet. Verisimile est, Mariam Virginem, & B. Josephum iter pedibus confecisse, cum de veteri jumento omnino sileat Evangelista, præsertim cum B. Virgo molestias non patretur, aliis prægnantibus communes; & quod habebat in utero, non modo ipsi oneri non esset, sed eo potius levior fieret, & expeditior.

15. &c. In Tabulas Censuales referebatur cujusque nomen, uxoris, & liberorum; conditio, & bona. Romanæ enim Leges propter ætatem tributum interdum remittebant, quod a puellis ante 12. annum in Syria minime pendebatur. Juxta ejusmodi usum Jesu Christi, B. Mariæ & S. Josephi nomina in censum relata fuisse affirmant Fulgentius, (Serm. de Laudib. B. Mar.) & Bernardus, (Serm. super verba Apocalyp. Sign. magnum.) & Maldonatus; (ad c. 2. Luc.) quidquid contra oblatret impiissimus Bodinus, cujus sophismata uberrima eruditione disjecta reperies apud Huetium. (De monstr. Eva. prop. 9. c. 10. n. 4.) Nos cum Interpretibus quærimus, an B. Virgo coacta fuerit a lege hoc iter suscipere, cum alias vir ejus Joseph uxoris suæ, & Filii nomen legitime profiteri potuisset? Negative respondet Calmet; (In c. 2. Luc. n. 4.) quia neque femina; neque pueri ad suscipienda itinera census causa erant coacti, ne scilicet levi de causa totum commoveretur Imperium. Quare alii existimant Mariam Virginem, licet gravidam, idcirco Nazaretho Bethlehemum venisse, quod cum filia esset unica, & in familia sua hæres, progeniem,

familiamque suam repræsentare deberet. At hoc quibusdam minime arridet, cum omnino exploratum non sit, eam fuisse unicam filiam, & si unica fuisset, in manu erat viri sui, qui uxoris nomen, præsertim partui proximæ, profiteri posset. Quam ob rem Divinæ providentiæ incomprehensibilia judicia venerantes, concludimus, B. Virginem, licet nullâ obstrictam lege, Bethlehemum venisse; quia cum ex Prophetarum oraculis humani generis Redemptorem Bethlehemum nasci oporteret, mysteriumque Incarnationis Nazarethi jam esset impletum, necessarium fuit, ut existeret aliqua occasio Bethlehemum adeundi. Pergit Lucas: *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret.* (cit. c. v. 6.)

22. Prædicta verba opinionem eorum susculcure videntur, qui censent B. Mariam non eadem nocte, qua Bethlehemum pervenerit, sed aliquot post dies suum peperisse Filium. *Et peperit Filium suum primogenitum.* (cit. c. v. 7.) *Primogenitum* Evangelista appellat, *Unigenitum* intelligens; nullum enim alium B. Virgo edidit. In eodem sensu D. Paulus, (Ad Heb. c. 1. v. 6.) eum vocat *Æterni Patris Primogenitum*; & in veteri Testamento; cum de jure primogeniti sermo fit, solummodo attenditur ad primum omnium natum, sive unicus sit, sive fratres deinde habuerit. *Et pannis eum involvit.* (cit. c. v. 6.) Hæc verba innuunt, B. Mariam nullo tactam dolore peperisse. A Lapide refert, (In c. 2. Luc. v. 7.) Baradium existimasse Divinum Infantem ex utero Matris editum, humi fuisse positum, ut nobis humilitatis præberetur exemplum: Suarium credidisse, exceptum ab Angelis fuisse, & in manus Virginis traditum: Franciscum Lucam putasse (quod etiam scribit S. Birgitta) B. Mariam in suis accepisse manibus Puerum, veluti maturum fructum ex arbore decerptum. Nos cuique suam esse sinimus auctoritatem: rejicimus tamen cum D. Hieronymo, (Adversus Helvidium) & Baronio, (Ad ann. 1. Chr. n. 6. 7. & 8.) existimantes hujusmodi Virginei partus obstericem fuisse Sanctam Anastasiam. Nam præterquam quod Beata Maria sine dolore peperit Filium, fuisseque manibus exceptum absque ulius ope pannis involverit; constat ex Baronio, (In not. ad Martyrol. ad 25. Dec.) Sanctam Anastasiam tertio post Christum natum vixisse sæculo, & sub Diocletiano Martyrium esse passam. Occasionem præbuit huic fabulæ commemoratio hac in die facta, quæ quidem Martyrii est anniversaria, ac pro-

pterea Statio ad ejus Ecclesiam fuit instituta.

23. S. Gregorius Nyssenus de Christi fasciis sic ait: *Pannis constringitur, qui peccatorum nostrorum vincula in se suscepit.* (*De Chr. Nativ.*) In harum fasciarum honorem Basilicam fuisse extractam, Festivitatemque singulis annis celebrari consuevisse, narrat Drexelius, fretus auctoritate S. Germani Patriarchæ Constantinopolitani, & Euthymii, apud Lippomanum, (*Tom. 6. ad diem 31. Aug.*) cum quo consentit Baronius. (*Ad an. Chr. 1.*) Prædicta autem monumenta satis esse videntur ad affirmandam fidem de Fasciarum assertione, qua de re nihil statuit Ecclesia universalis, & cuique permittit, quam voluerit fidem ei præstare. Prædictas Fascias a Juvenali Episcopo Hierosolymitano Eudoxiæ Augustæ muneri missas proditum est, quod Chiffletius, (*In Chr. Histor. de Linteis Chr. Sepulchralibus c. 28.*) magni facit; præsertim, cum id testetur Niphorus; locaque commemorat, ubi Sacra Fasciæ in plures divisæ partes, etiam num æsservari dicuntur, & coli. Romæ vetus extat Vitrum in Museo Familæ Victoriæ, quod eruditorum judicio creditur fuisse confectum circa dimidium III. sæculi. Illud explicavit Latino Opusculo Eques Franciscus Victorius, & Antonius Franciscus Gorius, (*In observat. de Chr. Domin. Præsepe.*) qui n. 9. ostendit in Christi nati paupertate summam adfuisse munditiam; munda lintea, fascias, & miro quodam modo ipsum partum; quæ etiam abunde probant Baronius, & Huetius. (*Sup. cit. nostro n. 15.*) Et num. 10. observat Vitro illo expressim B. Mariam in ipso partus discrimine positam, nullam tamen foeminam apparere, quæ suam in ministerio partus operam locet. Et licet contraria aliquot producantur monumenta mediæ ævi, præsertim ex Ecclesia Græca, & ex foribus æneis, & odæo Metropolitanæ Montis Regalis in Sicilia, omnia merito improbantur, ut docent Molanus, (*De Sacris Imaginib. l. 2. c. 27.*) & de Judice. (*In descr. Temp. & Monast. Mont. Regalis pag. 86. n. 6. & 7.*)

24. &c. Jam ad natalitium Christi locum, & tempus deveniamus. Locum fuisse Bethlehæmum expresse testantur Lucas, (*c. 2. v. 5. & 6.*) & Matthæus; (*c. 2. v. 1.*) atque ita impletum fuit Michææ oraculum, (*c. 5. v. 2.*) Hebræis satis cognitum, uti colligitur ex responsione ab ipsis Herodi exhibita. (*Matt. c. 2. v. 5.*) Nunc conciliandus uterque textus. Matthæus Bethlehæmum vocat *Bethlehæm Juda*; Michæas vero *Bethle-*

hæm Ephrata; at ambo verissime. Matthæus enim Bethlehæm Juda ea Civitas erat, ad distinctionem alius, quæ in Galilæa erat in Tribu Zabulon; Michæas autem Bethlehæm Ephrata; quia Civitatis conditor Matris suæ nomen illi indidit. 2. Matthæus afferens Michææ locum de illa Civitate ait: *Nequaquam minima es, Michæas autem Parvulus es.* Et quidquid alii aliter explicent, præferenda est ratio D. Hieronymi, qui advertit, Matthæum attulisse Michææ verba in eum modum, quo prolata fuere a Scribis, & Principibus Sacerdotum, neque ea voluisse immutare, ut palam fieret, quod ignorantia in Sacris Scripturis Scriba, & Sacerdotes eo tempore devenissent, qui celeberrimum Prophetæ oraculum corrupte, vitioseque enuntiarunt.

28. &c. Si quis autem scire vult, qua ratione Christus Bethlehæmi natus Nazareus, & Galilæus in Scriptura vocitetur, & tanquam Galilæum Pilatus ad Herodem amandaverit, adeat D. Thomam, qui respondet, (*3. p. q. 25. art. 7. ad 2.*) Nazareum appellari a loco, ubi altus, educatusque est; quem loquendi modum in usu esse, multis locis ex profanis Scriptoribus probat Huetius. (*Loc. cit. sup.*) Adde Methæum dicentem, Jesum Nazarethi habitasse, ad implendum Prophetarum oraculum, dicentium: *Quoniam Nazareus vocabitur.* (*Matt. c. v. 23.*) Christum igitur Bethlehæmi esse ortum, liquet, sed in ipsa urbe, an in suburbiiis natus sit, modo est examinandum. Vere enim dici potest, & solet, aliquid in Urbe contigisse, quod in suburbiiis evenit, ut bene advertit Spondanus, (*Ad An. 1. Chr.*) Baronium vindicans a Casauboni accusatione. In ipsa Civitate natum esse Christum contendit Casaubonus, (*Exer. 2. in Baron. pag. 143. & seq.*) cum Maldonato, (*In c. 2. Luc. v. 7.*) Drexelio, (*T. 2. de Chr. nascente pag. 391.*) & aliis; nec desunt pro hac sententia rationes, ut videre est, apud Florentinum. (*In Notis ad Martyr. pag. 205.*) Contra Baronius (*Ad an. Chr. 1. n. 2.*) obfirmate contendit in Suburbiiis prope Bethlehæmum natum esse Jesum, eumque sequuntur quamplurimi cum Natali Alexandro, (*In sect. 1. c. 1. art. 4. n. 1.*) & Calmeto. (*In c. 2. Luc. n. 7.*) His libenter subscribimus; diserte enim hoc affirmat S. Justinus in Dialogo cum Tryphone; & confirmat Eusebius Pamphili, (*Demonstr. Evang. l. 7. c. 2.*) dicens agrum; juxta Bethlehæm demonstrari, ubi B. Maria enixa infantem deposuit. Locum Eusebii sollicitat Casaubonus, tanquam corruptum, sed

sed frustra, cum nullatenus id probet. Huc accedit, quod Pastores in agris vigilantes, de Jesu Christi ortu admoniti nullo negotio Puerum in Præsepe reppererunt, quod non ita facile fuisset, nisi extra Bethlehem natus esset. Vel enim Urbs mœnibus cincta erat, & tunc quomodo consequi potuissent, ut noctu portæ sibi recluderentur? Vel nullis cincta erat mœnibus, & tunc satis difficile fuisset inter tot domos, & diversoria, eam, quam quærebant, invenire.

32. &c. Christi Nativitate in suburbii stabilita, inquirendum modo, in quo suburbii loco, in domo ne, an in spelunca B. Mariae Jesum pepererit? Ad cuius decisionem sciendum, Bethlehemum Civitatem esse in montano sitam loco; cuius solum ex thopho. Extra illam viatoribus diversorium patebat, quo se quisque posset, quacumque hora recipere: stabulum ibi erat ad jumenta recipienda: stabulum ibi erat ad jumenta recipienda, ut ex Lucae verbis: (c. 2. v. 7.) *Declinavit eam in præsepio, quia non erat ei locus in diversorio*, satis colligitur. In eo Patres consentiunt, speluncam esse e saxo excisam. Eam Hieronymus (Epist. 17.) appellat, *parvulum terra foramen*; Eusebius (In vita Constant. lib. 3.) *antrum*. Origenes autem, (Lib. 1. cont. Celsum, n. 51.) ait magna veneratione coli, etiam ab Infidelibus, illam speluncam, in qua natus est Salvator, quæ Bethlehemi ostenditur, & in illa Præsepe, in quo fasciis est involutus; & Richardo teste, (In de v. Terra. S. l. 1. c. 7.) Præsepe ipsum excisum erat in rupe. Accedit testimonium d. Hieronymi, (Ep. 108. ad Eustochium §. 10. tom. 1. Oper. col. 693.) qui Paulæ pietatem collaudans, scribit, eam specum Salvatoris ingressam, diversorium, & stabulum vidisse, & ipso audiente, jurare, *cernere se oculis fidei Infantem parvum involutum, vagientem in præsepe Dominum*. &c. Additque verbis Paulæ, quod, quamvis peccatrix, digna sit iudicata *deosculari præsepe, in quo Dominus parvulus vagit, orare in spelunca, in qua Virgo puerperæ Dominum judit Infantem*. Ex quo bene colligitur, quod jam diximus, sub rupe specum fuisse excavatum, & in eo præsepe excisum, ut multis probat Gorius, (loc. cit. n. 6. & 7.) & Franciscus Blanchinius. (Dissert. 1. de Præsepe & Cunis D. N. J. Chr. in Basilic. Liberiæ. translatis sect. II. & duab. seq.) Argumenta,

venerationis, & cultus loco Christi natalitio a Fidelibus semper exhibiti, affert Baronius. (Ad an. Chr. 1. n. 5.) Pace enim Ecclesiæ reddita, spelunca illa mirifice fuit ornata, Quaresmio teste, (Eluci. Terræ S. t. 2. l. 5. c. 4.) in Ecclesiam conversa; quæ licet Adriani Imperatoris jussu fuerit disjecta, de novo tamen elegantissime ædificata etiamnum extat. Præsepe autem argento fuit obductum. Nec lateritium erat, ut existimavit Chrysostomus. Nos supra diximus fuisse e petra; nunc vero addimus in illud quasi aliud præsepe e ligno injectum, quod Romæ nunc asservatur, ut bene Calmetus, (In c. 2. Lucae n. 7.) quo fuit allatum, non anno, ut creditur, 352. sed VII. sæculo cum aliquibus lapidibus e Bethlehemi spelunca excisis, ut alibi demonstravit Bened. XIV. (Lib. 4. de Canoniz. par. 2.)

35. &c. Pia, & constans est Traditio, bovem, & asinum in stabulo fuisse, cum natus est Jesus; est id in Evangelio non legatur. Illa acriter impugnatur ab Heterodoxis, quos hic citat Benedictus XIV. usque adhærent ex Catholicis Tillemontius, (Not. 5. ad vit. J. Chr.) Serry, (Exerc. 30. n. 4.) & pauci alii. Verum contra horum opinionem, quam (inquit hic Benedictus XIV.) audaces homines nimis temere extulerunt, scribunt, præter alios, Baronius (Ad an. Chr. 1. n. 3.) Gravesonius, (De Myst. & an. Chr. pag. 156.) Gottus, (De verit. Rel. Chr. l. 4. par. 1. c. 7. §. 3. n. 27. & seq.) & Quaresmius, (Elucid. Terræ S. l. 6. c. 5.) qui rationem assignat, cur illic esse potuerint animalia. Quosdam enim opinari, ait, B. Mariam asino insidentem illuc venisse, bovem autem vendendum, a S. Josepho adductum: non nullos vero existimare, nihil fuisse facilius, quam, ut in præsepi, accipiendis animalibus destinato, bos, & asinus reperirentur. Cum igitur Auctoribus piæ, & constanti Traditioni omnino est inhærendum: iterumque audiendus Hieronymus, (Ep. 108. t. 1. Oper. edit. Veron. col. 692. ad Eustochium.) de Paula loquens: *Inde Bethlehem ingressa, & in specum Salvatoris introiens, postquam vidit Sacrum Virginis diversorium, & Stabulum, in quo agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ut illud impleretur, quod in eodem Propheta scriptum est: Beatus, qui seminat super omnes aquas, ubi bos & asinus calcant, &c.* Consonant Gregorius Nazianzenus, Nyssenus, ac Prudentius apud Baronium; eorumque sententiam amplexa est Ecclesia, tum in Officio de Nativitate: *Animalia viderent Domi-*

num facentem in præsepio; tum de Circumcisione: *In medio duorum animalium jacebat in præsepio, & fulgebat in Cælo.*

38. Ad hæc dicunt adversarii, Prophetarum textus allegorice intelligendos, v. g. de populo Hebraico & Gentili, qui tandem Dominum in præsepio natum adoraverunt; afferuntque Patres ita intelligentes. Sed per hoc nihil concludunt: quis enim nesciat, diversos Scripturæ simul inesse sensus, & ipsas res gestas sæpissime alterius rei esse figuram? Patres ergo allegorice exponentes præfatos textus non per id censeantur negare litteralem eorum sensum, nisi id diserte expriment. Nullus autem ex Patribus bovem, aut asinum in præsepio fuisse negat, licet aliquis ex ea re allegoriam quandam deducat, ut bene disputat Gottus. (*Loc. cit. n. 33.*) Neque plus facit, quod hæc Traditio, ut putant, non sit sæculo V. vetustior. Sed an ideo rejicienda, cum temporibus consequentibus omnes eam Fideles, & Ecclesia ipsa toto animo exceperint. Sed & monumenta vetustiora producimus. Ejusmodi est Vitrum in Museo Victoriano, de quo supra, ut pulcre animadvertit Gorius. (*In Obl. de Præf. D. N. J. Chr. pag. 72. n. 13.*) Ejusmodi est etiam pictura quædam in Sarcophagis Veterum Christianorum editis in Roma subterranea, & a Joanne Rotario (*T. 1. explicat. Sacrar. Pict. & Sculpt. Romæ Subterr. Fabul. 22. pag. 88. & 89.*) illustratis. Aliud monumentum videri potest hic apud Benedictum XIV.

39. &c. Jam de tempore, quo natus est Salvator. Matthæus tradit, (*c. 2. v. v.*) fuisse sub Herodis Regno; Lucas indicat, (*c. 2. v. 1.*) fuisse sub Imperio Augusti. Quoniam autem anno ab Orbe condito, valde disputant Chronologici. Martyrologium Romanum fuisse ait 5199. in quo ejus Auctor, teste Baronio, secutus fuit versionem Septuaginta Interpretum; nemo autem ignorat, dictam versionem Septuaginta Interpretum fere 1500. annos amplius numerare, quam Hebræi Codices, quibus consentit nostra Vulgata; & hoc idcirco, quod primæ, & secundæ ætatis Patriarchis Septuaginta Interpretes aliquot tribuant annorum centum plus, quam Hebraici Codices. Veram Hebraicis potius Codicibus, quam Septuaginta versionem adhaerendum. Ecclesia enim Romana Vulgatam sequitur versionem illis consonam, ante mille, & trescentos annos a D. Hieronymo editam, quam probavit S. Tridentina Synodus. Præterea, manifeste deprehenditur Mendosa Septuaginta Interpretum versio, quæ (*Cap.*

4. *Genes.*) quatuordecim annis post diluvium Mathusalem statuit obiisse; ut hic evidenter demonstrat Benedictus XIV. id autem verum esse nequit; nam D. Petrus, (*Epist. 1. c. 3. v. 20.*) cum quo consonat Genesios textus, (*c. 7.*) diserte tradit octo tantum diluvio fuisse superstites; Noe, & uxorem ejus, tres filios, tresque eorum conjuges. Hic vero error abest ab Hebraico textu, & a nostra Vulgata. His probe constitutis, inter tot sententias, quas ad centum triginta duas numerat Michael Mœstlinus, apud Vallemontium, (*In Elem. Hist. 10. l. 1. c. 3.*) dicimus magis placere eruditus viris, Christum natum esse anno quatermillesimo ab Orbe condito. Videatur Natalis Alexander, (*Dissert. 2. in Hist. Eccl. Scul. 1.*) egregie id tractans, Sandinus, (*Hist. Fam. Sacr. c. 1.*) & alii.

45. Nunc de mensè, & die. Fuisse 20. Aprilis, vel etiam 20. Maji quorundam fuit opinio a Clemente Alexandrino relata, (*Lib. 1. Stromat.*) a Scaligeroque, & Samuele Basnagio instaurata, ob id præferimus, quod verisimile non videatur media hyeme Pastores noctu vigilasse in agris. At quæ tanta difficultas, ut proinde ab Ecclesiæ sensu sit recedendum? Fuisse 6. Januarii Ecclesiæ Ægypti tenuerunt, teste Epiphanius: (*Heresi 51.*) Sed a communi Patrum cum Chrylostomo, (*Tom. 5. Hom. 33.*) Gregorio Nysseno, (*Orat. in SS. Lumi.*) & Augustino, (*Lib. 4. de Trin. c. 1. & Epist. 119.*) Traditione nos demoveri non patimur, quæ Christum 25. die Decembris natum docet. Addit Baronius, (*In Appar. ad Annal. n. 121.*) hunc esse communem sensum Patrum tum Græcæ, tum Latine Ecclesiæ; & VVilhelmus Langius, (*De an. Chr. pag. 357.*) id probari etiam tabulis Censuum apud Romanos asservatis tempore S. Chrylostomi; ut ipse testatur, ex quibus id sciri potuit a Senatoribus ad Fidem conversis. Nocturnum esse natum nemo negaverit; cum Lucas dicat, Pastores eo tempore vigiliis noctis custodire super gregem suum. Horam denique vulgo tradunt fuisse circa mediam noctem; unde perpetua adhuc viget disciplina, ut in hoc privilegio ea hora Officia celebrentur, ut bene advertit Raynaudus. (*T. 10. pag. 480.*) Idque multi Patres prædictum censent ex illo Sapientiæ: *Cum enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet.* &c. (*c. 18. v. 14. & 15.*)

46. Pergit Lucas: *Et Pastores erant in Regione eadem vigilantes, & custodientes vigiliis noctis super gregem suum.* (*ibid. 8.*)

Nihil ait Sacer textus de Pastorum numero, nomine, & loco, unde venerint. Quoad numerum vulgo tres fuisse creduntur; Beda enim affirmat, (*De Locis Sanctis* 8.) mille passibus a Bethlehem Ecclesiam fuisse ædificatam *trium Pastorum Divina Nativitatis sociorum monumenta continentem*. De eorum Nominibus tanquam de re penitus incomperta sileamus. Quod vero ad locum attinet, unde venerunt, dicimus cum D. Hieronymo, (*In Epitaph. S. Paula T. 1. oper. col. 693. in Ep. ad Eustoch. §. 10.*) profectos esse e Turre Eder, ubi eorum armenta pascebant; Quaresmius ex Nicephoro testatur, (*Elucid. Terræ S. T. 6. l. 6. c. 5.*) hoc loco ab Helena Constantini Matre magnificam Ecclesiam fuisse extructam, nunc ferre dirutam; cujus tamen rudera veterem spirant magnificentiam: Mauros, & Arabes, tanta veneratione illum locum colere, ut ibi progenitas arbusculas, ne audeant quidem amputare, ipsamque Ædem turre, & collucentibus lampadibus summa animi devotione venerari; cujus rei se dicit oculatum testem.

47. 48. *Et ecce Angelus Domini stetit juxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.* (2. v. 9.) De Angeli nomine, qui Pastoribus locutus est, licet sacer Textus taceat, Cardin. Toletus, & a Lapide, scribunt Gabrielem fuisse Archangelum, ut qui alias electus fuerat ad gravissimum Incarnationis negotium. Reliqua Lucæ verba satis aperta esse videntur. (c. 2. v. 10. 11.) Alibi (*Lib. 3. de Canoniz. SS. c. 50. & seq.*) Benedictus XIV. & Synopsis late agunt de Cælestibus visionibus, ubi advertit cap. 51. n. 4. quod, cum a metu incipiunt, in gaudium soleant desinere, ut hic contigit, quod quidem gaudium in omnem populum redundaret: *Quod erit omni populo &c. Indicium Angelus dedit Pastoribus: Invenietis Infantem pannis involutum, & positum in Præsepio. Et subito facta est cum Angelo multitudo militia Cælestis laudantium Deum.* (c. 2. v. 12. & 13.) Hæc autem multitudo Cælestium fuit Spirituum, quibus militia nomen tribuitur, vel ob eorum ingentem numerum, vel ob eorum potentiam, & virtutem, qua nutu Dei, qui Dominus est exercituum, hostes sive visibiles, sive invisibiles, hoc est, Dæmones, debellant.

49. 50. *Et dicentium: Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* (c. 2. v. 14.) Prædicta verba quidam cum Toletus, & Maldonato, assertivè explicant subsaudita voce est, ut sententia

fit: Jam gloria est Deo in Cœlis, ibi enim a Cælitibus omnibus glorificatur, quod misericors, sapiens, & fidelis sit, promissum. Patribus Christum mundo edens. Jam in terra pax est, nato Christo Rege pacifico, per quem Deo reconciliantur homines, qui filii iræ nascuntur. Alii cum Jansenio, & Barradio eadem verba *oprative* explicant, subsaudito verbo *fit*. Ea autem verba: *Bonæ voluntatis*, ita exponit Ambrosius: Pax esto hominibus, non quidem omnibus, sed iis, qui bonæ sunt voluntatis. S. Leo vero ita: *Esto pax hominibus, quæ bonam illis voluntatem injiciat, ut Legi, Deique arbitrio suam voluntatem subiciant, & ad ejus voluntatem se se conforment.* Vide a Lapide. (*In c. 2. Luc. v. 14.*)

51. 52. Narrationem Lucas (c. 2. v. 15. usque ad 2.) absolvit, dicens: *Et factum est, ut discesserunt Angeli ab eis in Cælum. Pastores loquebantur ad invicem. Transeamus usque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes.* Sic enim suam Fidem, suumque gratum animum ob tantum a Deo acceptum beneficium declararunt. *Et invenerunt Mariam, & Joseph, & Infantem positum in præsepio, quem admodum ab Angelo fuerant præmoniti. Videntes autem cognoverunt de Verbo, quod dictum erat illis de Pueri hoc, ut illud dicere potuissent, quod postea scripsit Joannes (Ep. 1. c. 1. v. 1. & 2.) testimonium se se perhibere de eo, quod audierint, viderint, oculis perspexerint, & suis manibus contrectaverint. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt, & de iis, quæ dicta erant a Pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Firmissima licet fide Maria Incarnationis crederet Mysterium, nova tamen luce, novaque cognitione miraculorum, quæ identidem edebantur, magis confirmabatur. Videbat enim, & conferebat B. Maria, ut animadvertit Ambrosius, hæc omnia optime convenire & cum Gabrielis nuncio, & cum oraculo Elisabethæ, & Zachariæ; omnia tamen tacite apud se servabat, quin aliis palam faceret, dum cæteri omnes interea singularem ejus prudentiam, & modestiam incredibilem mirarentur. *Et reversi sunt Pastores (ad custodiam gregis) glorificantes, & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, sicut dictum est ad illos; quibus verbis, ut ostendit Trainitus (Lib. de Pastorib. vocatis per Angelus ad præsep. Messana edit. 1722. §. 3.) eorum fides heroica comprobatur.*

53. Hæc sunt prodigia de Christi ortu canonice tradita, jam de aliis non ita certis. Tale est silentium Diaboli in Desphorum oraculo, quod referunt cum aliis Suidas, Cedrenus; sed hoc esse incertum alibi ostendit Benedictus XIV. (*Lib. 3. de Canonizat. ss. c. 46. n. 8.*) Tale est etiam, quod multi scripsere, Templum Pacis corruisse; at hoc falsum esse ostendit Baronius; (*Ad an. Chr. 1. n. 2. & 12.*) Templum enim illud multo post Jesu Christi ortum, a Vespasiano excitatum esse testantur Svetonius, Josephus, Plinius, aliique plures. Aliud refert Baronius; (*In Appar. ad Annal. n. 26.*) ex Suida, & Nicephoro (quorum tamen Auctorum fidem suspectam esse monet). Augustum scilicet vidisse B. Virginem in aere sublimem, in ulnis gestantem Filium suum, Aramque in Capitolio dedicasse cum hac epigraphæ: *Ara primogeniti Dei*; illamque Aram excitatam fuisse contra Rupem Tarpejam, ubi nobilissimum illud Jovi Capitolino dedicatum fuerat templum, e cujus rudericibus edificata Ædes, quæ nunc dicitur *Ara Cæli*. Videatur Fr. Casimirus Ordinis Minorum. (*De Eccl. & Convent. Ara Cæli, c. 1.*) Celebre autem est ostentum illud ab Orofio, aliisque gravissimis Scriptoribus relatum, Olei fontem inde, ubi tunc erat Taberna Meritoria, & nunc Templum S. Mariæ trans Tyberim, erupisse, & dies aliquot per Urbem sub Augusto defluxisse. Eum ad Tyberim usque decurrisse, affirmat Donatus. (*Lib. 1. de Urbe Roma cap. 21*) Et locus adhuc ostenditur sub gradu Majoris Sacelli, ubi hæc extat inscriptio: *In hac prima Dei Matris Æde, Taberna olim Meritoria, olei fons emanans, Christi ortum portendit.* Videatur Panvinius. (*De sep. Urbis Eccles. pag. 81.*) Nulla de veritate miraculi dubitatio: 40. tamen annis contigit ante Christi natiuitatem.

54. &c. Jam de Pervigilio, ejusque diei Solemnitate Pervigilia nemo ignorat, nocturnos fuisse Fidelium, conventus ad Deum deprecandum; eos conventus commemorat Plinius. (*Epist. ad Trajanum*) Sancti Natalis Pervigilium, teste Martene, (*T. 4. veter. edit. c. 1. num. 1.*) a S. Augustino edocto, (*Ep. 65. ad Xantippum, nov. edit.*) inter cætera aliarum Solemnitatum pervigilia, semper fuit percelebre, & cum jejuniis junctum. Licet autem Ecclesia, justis de causis, nocturnos populi conventus in aliis vigiliis sustulerit, eos tamen in hac feruendos censuit, in qua & nocturna ca-

nuntur Officia, & post mediam noctem Missa solemniter coram populo celebratur. De hac disciplina Florentinus, (*Extrait. 2.*) alibi Benedictus XIV. (*Institut. 13.*) & ibi Synopsis. Narrat S. Gregorius Turo-nensis, (*De Gloria Martyrum. c. 87.*) in Natalis Pervigilio Episcopalis officii ob-eundis festum se ad paululum somni capiendum secessisse; hominem sibi incognitum adstitisse in somnis; seque semel, atque iterum excitasse; cumque nihilominus in somnum esset relapsus, hominem illum ei alapam impigisse, atque in hæc modum eum increpasse: Itane vero tu dormis, cujus est curare, ut cæteri vigilent? quæ causa fuerit, ut statim ad Templum redierit.

57. Festus Nativitatis dies omnium consensu post Pascha, & Pentecosten primum locum obtinet. Martene teste, (*Loc. cit. cap. 12. num. 2.*) Concilia gravissimas sanctiones edidit in eos Clericos, qui in hac Solemnitate ad Ecclesiam non venirent; & Bailletus probat (*Hist. hujus diei n. 14.*) per sæculares Leges festos fuisse omnes dies Natali Domini usque ad Epiphaniam. Nunc vero duo specialia restant vetustæ disciplinæ monumenta, quæ Solemnitatis magnitudinem declarant. Alterum estus carniùm illò die, *propter Festi excellentiam*, ut ait Honorius III. (*Cap. Explicari de observant. Jejunior.*) etiam si in diem cadat pisculentum. Alterum, ut Sacerdos quilibet ternas Missas celebret, uti exprimitur in Jure; (*Can. Noctæ S. de consecrat. dist. 1. & cap. consuluisti de celebr. Mis.*) & ibi Glossa. Pouget docet (*Instit. Catholic. T. 1. p. 814.*) ternis hæc Missis tres Christi ortus indicari. Unus in tempore in utero Virginis, representatus in prima Missa, quæ in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis post mediam noctem celebratur. Alter in Justorum animabus, in quibus innascitur in secunda Missa, quæ illucescente celebratur aurora, in qua recolitur etiam memoria ejus nuntii, quo ab Angelo Pastoribus de nato Christo allatum est. Tertius denique in æterno sinu Patris, representatus in tertia Missa, quæ ante meridiem peragitur, ut satis innunt ejusdem Missæ Epistola, & Evangelium.

58. &c. Disciplinæ trium Missarum celebrandarum Auctor fuisse vulgo perhibetur S. Telephorus a Gratiano relatus. (*Can. Noctæ S. de consecrat. dist. 1.*) Sed in dubium revocatur, an textus ille sit Telephori. Alia igitur quærenda est origo, & dicendum cum Pougeto, hoc vestigium esse antiquissimi ritus, quo diebus solemnibus plures ab eodem Sacerdote Missæ agebantur.

Sic supra diximus, binas olim celebrari consueviffe calendis Januarii; ternas Feria v. in Coena Domini, quod ex vetustis monumentis ostendit Cardin. Bona, (*Rer. Liturgie. l. 1. c. 18. num. 6.*) sicut & binas in Ascensionibus Domini, ejusque Pervigilio, multa alia exempla hic addit Benedictus XIV. Equidem de se ait S. Gregorius, hac die ter fore celebraturum: & juxta Ordines Romanos singulas has Missas celebrabant Pontifices in Ecclesiis Stationum, quas etiam nunc notat Missale Romanum. Nunc vere in Nocte Nativitatis Summus Pontifex Ducalem pileum, & gladium benedicit, qui vel presenti alicui Principi viro, vel absenti dono datur. De ea Cæremonia tractatum scripsit Raynaudus. (*T. 10.*) In Gallia duæ tantum hac die agebantur Missæ: illæ tamen Romæ mos pervasit, cum Romanus Ordo Caroli Magni jussu receptus est. Et primo quidem solis hæsit Episcopis, postea sensim ad omnes Sacerdotes propagatus est, ut conjicit Grancolas. (*In commentar. ad Breviar. Rom.*) Et totat Vicecomes. (*Lib. 3. de antiq. Missæ Ritig. c. 27.*) privatis Sacerdotibus olim celebrari consueviffe has Missas non continuatim, sed media nocte, in auro, & post ortum Solis.

63. Jam diximus Ecclesiam Orientalem Christi Nativitatem 6. Januarii olim celebrasse: Latinam vero 25. Decembris constantissime. Nunc addimus sub Arcadio, & Honorio Romanum morem in Græciam derivatum, ut ex utroque Gregorio Nysseno, & Nazianzeno, D. quo Chrysostomo probant Pagius, (*In vita S. Julii. Pp. n. 13.*) & Florentinus. (*cit. Exercit. 2. p. 261.*) Diferte enim (ut cætera omittamus testimonia) id convincitur ex cit. Chrysostomo ser-

mone 35. (*T. 5. p. 466. & nuperrime edito T. 2. pag. 364.*) habito 25. Decembris anno a Christo nato 385. sui que Sacerdotii primo; ibi enim ait; *Nondum decimus annus est, ex quo hic dies mansesse nobis innotuit, & ab exordio iis, qui in Occidente habitant, cognitus.* Et infra: *Romani multo ante, & ex antiqua traditione ipsum celebrantes ad nos usque notitiam illius transmisserunt.* Ex quo testimonio colligitur in Ecclesiis Antiochæ Patriarchæ subiectis ante annum 376. viguisse consuetudinem Ægyptiorum, celebrandi eodem die Christi Epiphaniam, & Nativitatem, & insinuat alteram ab altera eo ipso anno fuisse sejointam.

68. Hæc sunt, quæ de Festo Natalis hæc conferenda esse existimavimus. Minime audiendus denique est Nicephorus, (*Hist. l. 17. c. 28. p. 779.*) qui ejus Solemnitatis Auctorem fuisse tradit Imperatorem Justinum, quod aperto pugnat cum documentis supra allatis. Nisi fortasse, ut videre est apud Bellarminum, (*T. 2. l. 3. c. 16. §. Ad objectionem.*) & Suarez; (*De Relig. T. 1. l. 2. c. 5. n. 6.*) dicere vult Nicephorus, Justinum per suas Leges eorum negligentiam emendasse, qui tantam Solemnitatem, non ut par erat, celebrabant. In Occidentali Ecclesia pia viget consuetudo representandi tempore Natalitio suavissimum hoc Mysterium, seu ut dicitur faciendi Præsepe in Templis &c. Hujus consuetudinis originem refert Gorius (*In oper. cit. n. 17.*) ad sæculum XIII. cum S. Franciscus Præsepe adificavit in Silva Grecii, ubi in illa Sacratissima nocte nascenti Domino dicata, nobis quidam vir eum vidit Divinum Puerum in ulnas gestantem.

FINIS SYNOPSIS LIBRI I.

SYNOPSIS DOCTRINÆ DE F E S T I S BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. L I B E R I I.

C A P U T I

Olim quot instituta Solemnitates in honorem Deiparae. Proponitur hujus secundi libri materia, ac primum agitur de Festo Desponsationis B. M. V. cum S. Joseph. Die 23. Januarii.

1. 2. 3. **T**Res in honorem B. V. Mariæ solemnitates Lugdunensis quædam Synodus, apud Gratianum (*Can. Pronuntiandum de Consecr. dist. 1.*), commemorat; sunt autem *Purificatio*, *Assumptio*, *Nativitas*. Quatuor autem suo tempore celebrari testatur D. Bernardus, (*Serm. 1. Salve Regina.*) quas licet non nominet, eas tamen explicat ejus illustrator Mabillonius, (*Not. 303. tom. 5. & 6. d. Bernard.*) nimirum tres prædictas, & Annuntiationem: alias vero dicit postmodum fuisse inductas. De singulis agemus, ac primo, juxta ordinem nostrum, de Desponsatione B. M. V. cum S. Josepho, quod Festum 23. Januarii celebratur. Quidquid S. Gregorius Nyssenus videatur sentire inter B. Virginem, & D. Josephum non fuisse verum Matrimonium, sed conjunctionem non ultra sponsalia progredi; attamen Cardin. Capisuchius (*Contr. 14. §. 9.*) judicat, ut minimum temerarium, id negare; cum tota Schola cum Magistro ac D. Thoma, & Ss. Pp. in id conspirent; Suarez vero, ac Raynaudus, (*Diptyc. Mariann. t. 7. suor. oper. p. 43.*) hæreticum pronuntiant. Et quidem in Evangelio apertissimi sunt textus ad id probandum, præcipue in Matthæo, (*c. 1. v. 16. 19. 20. 24.*) & Luca. (*c. 2. v. 4. & 5.*) Præterea ex Matthæo, (*c. 13. v. 55.*) Luca, (*c. 3. v. 23.*) Joanne (*c. 6. v. 24.*) perspicuum est, Hebræos vulgo in ea fuisse opinione, quod Jesus Filius esset Josephi; & hoc non ex alio capite, ait Etlus, (*In 4. Sentent. dist. 30. §. 6.*) nisi

quia sciebatur verum fuisse contractum Matrimonium; alioquin Christo objecissent ex fornicatione esse genitum.

4. 5. Decuisse autem, B. Mariam nuptam fuisse, affirmat D. Thomas, (*part. quest. 29. art. 1.*) afferens varias congruentias, quas etiam refert D. Bernardus, (*Hom. 2. super Missus est.*) & Hieronymus, (*Lib. 2. coment. in cap. 1. Matth.*) in hujus diei officio. Præcipua autem inter omnes hæc est: Ne adulterii infamia tenerrimus Virginis pudor adureretur; atque etiam, ne Christum velut illegitimum Infideles aspernarentur. Aliam S. Ignatius Martyr addit non minus præcipuam; ut pactus Virginis diabolo celaretur. At Maldonatus. (*In c. 1. Matth. v. 18. tom. 2. col. 36.*) fatetur, se non intelligere quomodo diabolus Mariæ virginitatem, si modo animadvertit, potuerit ignorare, cum integrum, & incorruptum corpus, quamvis nuptæ, videre posset. Toletus vero (*In Luc. cap. 1.*) ait, verum esse, quod diabolus agnoscere possit fœmi virginitatem, sed Deum voluisse, id diabolum non advertisse in B. Maria; cum ex Basilio Virgines innuptas observaret; quia Virginem parituram ex Propheta didicerat; minime vero nuptam. Hæc etiam ex D. Thoma, (*Loc. cit. art. 1. ad 3.*) responso, illustratur ab Etlis. (*Loc. cit. §. 7.*)

6. Neque huic Matrimonio obest carnalis copulæ defectus; sine hac enim stat Matrimonii substantia. Sic verum fuit illud inter Adam, & Evam ante peccatum (nam solum post illud adfuit concubitus, & etiam *ratum* verum est Matrimonium, quod, accedente copula, dicitur consummatum. Insuper tria spectanda sunt in Matrimonio, substantia, usus, & finis. Substantia est mutua in corpus potestas: usus est conjugalis copula qua vicissim in tradita sibi corpora potestate utuntur: finis denique est liberorum procreatio. Usus a substantia sejungitur; & substantia sine usu esse potest. Et hoc

hoc evenit in Matrimonio, de quo agimus, & in aliis etiam, in quibus mutuo consensu conjuges virginitatem servarunt; quorum exempla profert Benedictus XIII. (*Serm. 10. de B. V. num. 10. tom. 1.*) Omnis etiam esse potest in Matrimonio Substantia sine fine; sed in Matrimonio B. Mariæ fuit finis, & fructus, *non ex eo natus, sed in eo*, ut loquuntur Theologi. Itaque concludit D. Augustinus a Gratiano relatus, (*Can. Omne 17. qu. 2.*) omne nuptiarum bonum in illis Christi Parentibus fuisse impletum; Prolem in Jesu; Fidem in adulterii defectu; Sacramentum, quia nullum divortium.

7. 8. 9. Tota difficultas est in componenda validitate matrimonii cum voto castitatis, præsertim antea emissi. Prius tamen tria sunt discutienda. 1. An B. Mariæ virginitatem voverit? 2. An voverit absolute, & simpliciter, an vero sub aliqua conditione? 3. Quando ejusmodi votum emisit? Ad 1. dicendum, nullum dubium esse posse B. Mariam virginitatem vovisse; cum ab Angelo monita de Filii partu responderit, se virum non cognoscere; qua ex responsione abunde probant Sotus, (*In 4. Sentent. dist. 30. qu. 2. a. 1.*) & Lamy (*Herm. Evang. lib. 1. cap. 3. num. 34.*) ex Ss. Pp. B. Mariam perpetuæ virginitatis votum emisisse; alioquin Virginis responsio abs re esset. Eo autem sensu dixit: *Virum non cognosco*, quo Carthusianus dicere potest: *Carnibus non vescor*. Et certe ex D. Augustino, (*Lib. de Virginit. cap. 4. Tom. 6. col. 143.*) B. Virgo hoc non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset.) Consonat Baronius: (*In Appar. ad Annal. §. 56.*) & Casaubonus (*Exerc. in Baronium, num. 24. p. 108.*) agnoscit in verbis: *Virum non cognosco* vim significandi votum editum ante initium matrimonium. Equidem, D. Bernardo teste, (*Serm. de Dom. infra oct. Assumpt.*) prima fuit B. Maria, quæ virginitatem vovit. Et Baronius. (*loc. cit. §. 57.*) testatur, hanc esse Græcorum Patrum, & Latinorum sententiam, a qua scit neminem dissentire, nisi hæreticorum factionem, qui ad impugnanda sacra vota virginitatis, & continentis egregiam diabolo operam navant.

10. 11.) Ad 2. dicendum, ex D. Thoma, (*3. part. qu. 28. art. 4.*) credibile non esse B. Virginem, antequam desponsaretur cum D. Josepho, absolute virginitatem vovisse, sed ea tamen conditione, *Si Deo placeret*; quia tempore Legis Moysæ virorum & foeminarum præcipuum erat munus,

ut liberos gignerent: ea propter pergit D. Thomas, (*In 4. Sent. dist. 30. qu. 1. ad 1.*) cum B. Maria confinium fuerit veteris, & novæ Legis; ideo ejus votum sapuit novam legem, in quantum virginitatem vovit; & veterem, in quantum conditionem apposuit. At hoc a quibusdam non probatur, cum votum conditionatum imperfectius sit absoluto, & illa conditio inest omni promissioni, aut voto. Quare cum eodem Angelico dicimus, B. Mariam diversis virginitatem vovisse temporibus, modo conditio- nis addita, modo absolute. Antequam nuberet, sæpe de vovenda virginitate cogitavit, & hoc desiderium Deo manifestavit; sed cum id Legis consuetudini adversari videret, virginitatem vovit ea conditione, de qua supra. At cum certior facta esset de Divino placito, absolute, antequam nuberet, virginitatem vovit, teste D. Thoma: (*3. p. qu. 28. art. 4. ad 1.*) ex quo etiam, (*In 4. sent. dist. 30. qu. 2. art. 2. qu. 2. ad 2.*) eruitur, quod post matrimonium cum D. Josepho, præfatum votum absolutum renovaverit. Vid. Gottum. (*De Ver. Rel. Chr. part. 1. Tom. 4. cap. 4. §. 7. num. 48.*)

12. 13. Verum, hac voti emissionem ante matrimonium contractum posita, videtur hoc minime licere, cum nefas videatur, corpus per virginitatem Deo consecratum, inito matrimonio in potestatem tradere viri. Hinc Canones (*Decret. Si conditiones de cond. apposit.*) nullius roboris voluerunt esse matrimonium sub conditione liberorum nisi procreandorum contractum. Hæc difficultas Hugoni a S. Victore XII. sæculi Theologo fuit primo proposita, ut ex eodem constat. (*Lib. de perpet. Maria Virginit.*) Sed responde- mus, generatim nefas esse corpus Deo per virginitatis votum consecratum, per matrimonium potestati viri tradere; hoc tamen verum non esse in hoc singulari casu, in quo virginitatem vovens, Divinitus cognovit, D. Josephum in eodem proposito esse de virginitate servanda; & hoc ante contractum matrimonium. Verissimum etiam est, irritum esse conjugiam sub conditione non procreandi liberos contractum. Valet tamen Matrimonium, quod semota illa conditio- ne (ut contigit in illo B. Mariæ) contractum cum præscientia nullos inde fore liberos; vel, si qui extiterint, eos non humana opera esse procreandos. Totum id, ex D. Thoma, (*In 4. Sent. dist. 30. quæst. 2. art. 1. qu. 2. ad 2.*) depromptum est. Jam quoad artem Ss. utriusque Conjugis. Saxius testatur, (*Tem. 1. de laudib. B.M. p. 59.*) fore

fere omnes quos vidit & Scriptores, affirmare B. Mariam quatuordecim annos natam, quando matrimonium contraxit cum D. Josepho; hunc vero tunc octogenarium fuisse, sicut affirmat S. Epiphanius, (*Har. 51.*) illi non sit verisimile. Nam difficile est credere, Virginem summa senectute viro nupsisse. Præterea, vires non haberet Joseph ad itinerum molestias sustinendas. Nec si tantæ esset ætatis, satis honori tum B. Mariæ, tum etiam Filii contra Judæorum calumnias fuisset consultum. Ex hac senectute orta est opinio affirmans Josephum aliam duxisse uxorem, ex qua liberos suscepisse creditur; quod a vero quantum ablit, demonstravit Baronius, (*In Appar. n. 61.*) cui assentitur Andreas Schmidius, (*In Prophan. 3. Mariann. Tom. 7. Miscel. Biblioth. Car. Passionei.*) licet Heterodoxus.

14. Hæc de Festivitatibus Mysterio, nunc de ejus institutione. Canonicus quidam Carnotensis sæculo xv. reliquit in suo testamento, ut in die sui obitus Capitulum Solemnem de S. Josepho commemorationem faceret. Tribus modis censuit tunc Joannes Gerson impleri posse defuncti voluntatem, quorum unus fuit, si recitaretur Officium Desponsationis B. Virginis cum S. Josepho, quod ipse etiam composuit, & nunc extat inter ejus opera. *Tom. 4. pag. 751. edit. Antuerpien. an. 1706.* Ex duobus Codicibus M. S. constat jussisse Legatum Pontificis dictam Festivitatibus celebrari, quod intelligendum venit, vel pro Ecclesia Carnotensi, vel pro tota Legationis ejusdem. Postea Paulus III. Ordini Minorum indulgit recitare hujus Festi Officium expressum ex illo de Festo Nativitatis B. V. mutata voce *Nativitatis* in *Desponsationis*, & adhibito Evangelio: *Cum esset desponsata, &c.* donec novum componeretur. Illud composuit Petrus Dore, Ordinis Prædicatorum suis scriptis celebris, Pontifexque approbavit, ut videre est, apud Bollandistas. (*Die 19. Martii, in vita S. Joseph. §. 7.*) Utrum vero officium illud ad universam Ecclesiam extensum fuerit ante Brevarii Romani reformationem, nobis ignotum est. Scimus vero ex Regestis S. R. C. post Brevarii reformationes pluribus Ecclesiis intra Italiam, & extra hujus recitandi Officium facultatem esse concessam: denique ex Benedicti XIII. Indulto die 22. Augusti 1725. in omnibus Ecclesiis Dictioni Ecclesiastica subjectis recitari.

15. Perugia conservatur annulus, quem Maria, cum S. Josepho nupsit, dicitur
Tom. III.

induisse. De eo narrat Jo: Baptista Laurus (*In Histor. de dicto Annulo.*) per annos 484. fuisse in Clusina urbe asservatum, & inde in Perusinarum manus venisse: Glossinos apud Xistum IV. dictum annulum judicialiter persequutos obtinuisse, sed postea ab Innocentio VIII. Perusinis adjudicatum. Adversus hunc annulum vehementer declamat Heterodoxus Andreas Rivetus. (*In lib. 2. Apol. pro S. Maria, cap. 9.*) Nimis tamen immerito; tum quia pro eo faciunt, quæ Pompejus Pollinus affert, de eo fuisse differens & maxime nuperus sermo de eo in lucem editus; tum maxime quia nemo nescit in præfatis, & similibus libris non agi de veritate reliquæ, sed de jure ad illam possidendam, hocque solum per sententias definitur. Videantur, quæ de similibus alibi dixit Benedictus XIV. (*De Canoniz. T. 1. Sanctor. lib. 4. p. 2. cap. 25.*)

C A P U T II.

De Festivitate Purificationis B. Mariæ V.
Die 2. Februarii.

1. DE Purificatione duæ extant leges in Veteri Testamento. In Levitico (*Cap. 12. v. 1.*) una, præscribens mulierem, semine suscepto, parientem masculum immundam fore septem diebus *juxta dies separationis menstrua*, remanereque debere triginta tribus diebus in Sanguine Purificationis suæ, quo tempore Sanctuarium ne ingrediatur; eo vero elapso, deferat agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ; si vero fuerit paupercula, offeret duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato. Altera in Exodo (*cap. 13. v. 12.*) præscribens primogenitum omne masculum adaperiens vulvam Deo consecrari; primogenitumque hominis pretio redimi, id est, ut habetur in Lib. Numerorum (*cap. 13. v. 47.*) quinque siclorum pretio; viginti autem obolos continet siclus.

2. &c. Nulla ex his legibus obstringebatur B. Virgo, vel Jesus. Non illa Levitici; loquitur enim de muliere pariente, suscepto semine; cum B. Maria Spiritus Sancti opera conceperit, ut fusc probat Durantus, (*Tom. 2. Revel. S. Birgitt. Romæ an. 1628. p. 117. in Not.*) & alibi Benedictus XIV. (*Inst. 14.*) Ad rem D. Thomas, (*3. p. 9. 37. art. 4. ad 2.*) dicens, signanter Moysem locutum fuisse de muliere

pariente, suscepto femine, ad excludendam a Matre Dei immunitatem. Nec etiam Levitici lege tenebatur Filius; tum quod super omnes leges esset; tum quod eodem titulo, quo Mater, eximebatur. Minime etiam legi Exodi subiectus erat Jesus, ut bene observat Natalis Alexander, (*In commentar. ad c. 2. Luc. num. 23. col. 942.*) auctoritate Ambrosii, Hieronymi, & Augustini fretus. Ea enim lex de eo masculino loquitur, qui vulvam adaperiat; Jesus autem, clauso Virginis utero, egressus est; quæ est Ecclesiæ Traditione, Patrumque consensu firmata. Nihilominus Maria, ut Lucas refert, (*cap. 2. v. 22.*) legi obtemperavit, Deo sic disponente, ut quemadmodum Jesus, licet Circumcisionis lege solutus, ea Legis onera subire voluit, ad humilitatis, & obedientiæ exemplum, & ut approbaret legem, calumniæque occasionem Judæis tolleret; sic ob easdem rationes voluit, ut Maria leges impleret, quibus non tenebatur. Sic D. Thomas cit. loc. Obtulerunt præterea, eodem Luca teste, quod a Lege præscriptum erat, *par turturum aut duos pullos columbarum*; & hoc pauperum ritu; sicut enim Christus cum esset dives, propter nos egenus factus est, ut ejus inopia divites effemus, ut ait D. Paulus, (*Ad Cor. 2. cap. 8. & 9.*) & in ipsa Nativitate pannis involvitur, & reclinatur in præsepio, sic pro se pauperum hostiam voluit offerri, ut ponderat D. Thomas. (*3. p. qu. 37. art. 3. ad 4.*) Et quamquam Evangelista nihil de quinque siclorum oblatione dicat; verisimillimum est, ut notant Calmet, (*In c. Luc. & cap. 13. Exod.*) & Suarez (*In 3. p. D. Thomas, Tom. 2. q. 37. disp. 16. Sect. 1.*) etiam in hoc, sicut in aliis, Legi obtemperasse. Sunt qui narrant, B. Mariam Templum ingressam, in eum, ut oraret, secessisse locum, quo solis Virginibus pateret aditus; ea propter tumultum inter Hebræos ad eam arcendam fuisse ortum, ita ut mortuus esset Zacharias Joannis Baptiste Pater, eo quod intercessisset, ne ex illo loco B. Virgo summovertatur. Hoc tamen communiter rejicitur ab omnibus Criticis cum Serry, & Saxio. (*part. 2. de Laud Maria, pag. 2.*) Rationes videantur apud eosdem.

5. 6. Simeon, teste Luca, vir justus, ac timens Deum, a Spiritu Sancto acceperat, non prius semoriturum, quam Christum Domini videret; tunc Divino impulsu Hierosolyman se contulit, in Templice januis Puerum in ulnas suas accepit, bene dixit Domino, eumque obsecravit, ut se jam ex hac

vita dimitteret. Dein Parentibus prospera quæque apprecatus, Puerum Matri tradit, Christi Passionem vaticinans, & dolores Matri prædicans. Anna Prophetissa octoginta annos nata, quorum septem cum viro vixerat, & postea in viduitate jejunans, & orans, inferviebat Templo, tunc etiam superveniens, Deo gratias agit de ortu D. Jesu; & de nato Messia loquebatur, qui populum in eum credentem a peccato esset liberaturus. Illico obiisse hos duos senes affirmat Menologium Græcorum ad 3. Februarii, Simeonem fuisse Sacerdotem, licet aliqui hoc affirmant ex testimonio Athanasii, Epiphani, & Cyrilli, pictoresque ita depingant; attamen, cum opera, ex quibus hoc Pp. testimonium est desumptum, sint apochrypha, dicendum cum communi sententia, quam sequuntur Euthymius, Theophylactus, Jansenius, & Estius, (*In c. 2. Luc. ver. 25. & 28.*) non fuisse Sacerdotem; maxime cum D. Lucas illius virtutes commemorans, nihil dicat de Sacerdotio. Neque ex eo quod Evangelista scribat, Simeonem benedictionem impertivisse, probatur illius Sacerdotium; multa enim in Sacris Litteris extant benedictium exempla, quin Sacerdotes fuerint: nam benedicere, ut advertit Estius, nihil aliud est, quam bene alicui precari; & hoc sæpenumero Christo, ut homini, in Psalmis precamur; ut & fecerunt illi, qui *Hosanna Filio David* clamabant. Hæc de Mysterio, peculiari Festivitate ab Ecclesia celebrato, quadragesimo a Nativitatis die, quia, teste Rabano Mauro, (*De Inst. Cler. Lib. 2. cap. 33.*) hic dies Levitici lege præfinitus fuerat mulierum purificationi cui legi B. Maria parere voluit, cum Jesus Legem non veniret solvere, sed adimplere.

7. 8. Propter occursum Simonis cum Maria, & Josepho Puerum in Templum deferentibus, vocatur a Græcis, teste Macroio, (*In Not. vocabul. Eccl. verbo Hyphante.*) hæc Festivitas *Hyphante*, seu *Hypapante*; vel etiam *Festum S. Simeonis*, teste Vignolo. (*In Not. ad Pontif. in vit. S. Sergii Pape, pag. 313.*) Deinde idcirco, Jesum in Templo fuisse præsentatum ait Grævelonius, (*De Miss. & an. Chr. dissert. 9.*) ut Mellæ, & Redemptoris dignitas Simeonis quoque, & Annæ vaticiniis probaretur. Hinc Græci hanc Festivitatem inter illa Christi, non B. Mariæ ponunt; quod etiam observat Ambrosiana Ecclesia. At, juxta Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, teste Suario, (*Tom. 1. de Relig. c. 5. n. 10.*) Azorio, (*Inst. Moral. part. 2. l. 1. c. 19.*) & aliis,

& aliis, communiter inter Festivitates B. Mariæ numeratur; appellaturque *Purificatio B. Virginis* ex vetustissimis documentis, allatis a Florentinio. (*In Not. ad suum Martyrolog. ad 2. Februarii.*) Purificatio autem juxta Du-Cange est Oblatio illa a mulieribus purificationis causa in Ecclesiam venientibus, Sacerdotibus facta, ad benedictionem post partum recipiendam. Neque ex eo quod Lucas dicat: *Impleti sunt dies purificationis ejus*, ad Jesu purificationem referendum est pronomen *ejus*, licet paulo ante de Jesu loquatur Circumcisione. Nam præterquam quod viri docti cum Gotto, (*Ver. Religio. Chrif. Tom. 4 par. 1. c. 12. §. 1. n. 6.*) animadvertant parenthesi totam includi narrationem Circumcisionis, priusquam purgatio memoretur, ex quo sequitur ad B. Virginem ante parenthesim narratam referendum esse pronomen *ejus*: hæc est intelligentia Ecclesiæ, cujus est Sacram paginam interpretari, quæ idcirco in Evangelio hujus diei loco *ejus* subrogat; *Maria* & in Martyrologio hoc Festum appellat: *Purificationem Beate Mariæ.*

9. &c. In hoc Festo fit Processio a Clero, in manibus ferente candelas accensas, prius benedictas, per quod significatur, teste Ivone Carnotensi Scriptore sæculi XI. (*Serm. II. de Purif. S. Mariæ.*) Simeonem, accepta Christi Humanitate, Divinitatis Lumen in ea agnovisse. Addi, ceram fructum esse apis: *Virginis videlicet animantis, cujus, sicut legitur, sexum nec masculi violant, nec fetus quassant, & proinde Symbolum Divini Infantis, qui nec in concipiendo, nec in egrediendo Matris integritatem violavit; & in priori Symbolo consentit cum aliis Auctor Catechismi Montis Pessulani, (Edit. Lugd. an. 1730. pag. 314.) addens, Candelarum benedictionem præmitti ex generali alias Ecclesiæ ritus; Processionem vero fieri, vel ad significandum inter B. Virginis ad Templum; vel ex generali ratione, qua aliæ. Solebant Romani Ethnici, Baronio teste, (*In Not. ad Mart. 2. Febr.*) in Lupercalibus Iudis februuario celebratis, Urbem nudi concursare, caprinisque pellibus fœminarum ventrem verberare, fœcunditatis, & partus facilitatis augendæ gratia. Hos Lupercales ludos ab Evandro institutos, fastulic Gelasius I. sæculo v. festamque Purificatæ Virginis instituit, quod postea in Orientem transit, cum sub Imperatore Justiniano sevâ pestis Constantinopoli glisceret; Sergius vero Pontifex, sæculo VII. ut constat & Libro Pontificali, qui Anastasio tribuitur, Processio-*

nem cum Candelis addidit. Sic Baronius citat cui multi alii consentiunt, a Benedicto XIV. hic citati. Dissentiunt tamen alii eruditi; tum quod ex Gelasii Commentario a Baronio Annalibus suis inserto; (*Ad an. Chr. 499.*) Lupercalia sublata constet, non ita vero Festum hoc a Gelasio institutum; tum quia Gelasio antiquius Festum esse probant, maxime ex veteri Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio, quod Beda, Cassiodorus, & Walfridus D. Hieronymo tribuunt, & proinde Gelasio vetustius putant. In eo ad diem 2. Februarii, legitur: *Purificatio S. Mariæ Matris Domini nostri Jesu Christi.* Nec suspicari licet, id a librariis additum; cum in eodem diem 5. Januarii, hæc etiam legantur: *In Hierosolyma Symeonis Propheta, cum obtulit ei Dominum Jesum Christum Mariæ, & Joseph, & depositio ipsius Propheta.* Sic Tillemontius, (*Nor. 7. ad vitam Jesu Chr.*) addens ex S. Theodosii Abbatis vita patere, circa dimidium sæculi v. adeoque ante Gelasii Pontificatum Hierosolymæ Festum hoc celebrari. Tandem Henschenius Bollandianis Operis continuator ostendit, (*Ad 2. Februar.*) ante tempora a Baronio indicata, Purificationis Festum celebrari in Phœnicia, Syria, Cypro, & apud Coptos; ac proinde vetustum adeo cum sit, & ab Apostolorum ætate non longe remotum, usurpari posse de eo illud Augustini: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilium institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* (*Lib. 4. de Bapt. cap. 24. Tom. 9. op. vol. 140.*)

13. &c. Quoad Processionem sicut non placet sententia relata Baronii, aut illa Innocentii III. dicentis, (*Serm. 1. de Purific.*) eam successisse in locum Ethnici ritus, cum funalia noctu gestantes in honorem Cereris, Æthnam se lustrare dicebant, in Proserpinam a Plutone raptam reperirent, nobiscum subscribat Menardo, (*Ad Sacer. S. Greg. pag. 41. & 42.*) Henschenio, (*Ad 2. Februar. pag. 271.*) & aliis, qui eam Ambarbalibus Sacris subrogatam credunt multo ante Sergium Papam. Ambarbalia autem Sacrificium erat, quod Ethnici facies manu tenentes, Urbemque perlustrantes celebrabant mense februario; idque post acceptum generale tributum, quinto quoque anno solvendum a toto Romano Imperio, ut Diis Inferis pro subacto orbe, & divitiis partis gratias agerent. Ita S. Ildefonsus, sæculi VII. scriptor, (*Tom. 12. Bibl. PP. pag. 587.*) & S. Eligius, ejus æqualis, (*Eod. Tom. 12. Bibl. PP.*) Per hoc tamen non

negamus, quod Sergius Papa iusserit, ut tum in hoc, tum in aliis B. Virginis Festis Litaniam exeat a S. Hadriano, & ad S. Mariam (Majorem intellige) populus accurrat: quæ verba occasionem Baronii sententiæ attulerunt, non satis tamen eam probant.

C A P U T III.

De Festo SS. Annuntiationis. Die 15. Martii.

1. 2. **E**odem *Annuntiationis* nomine inscribitur hoc Festum in antiquis monumentis, quos hic affert Benedictus XIV. Illud inculcat Heterodoxus Hospinianus, (*De Fest. pag. 69. edit. Genev. ann. 1674.*) dicens, in honorem dumtaxat B. Mariæ celebrari Festivitatem hanc, quæ in honorem etiam Jesu esset celebranda. Verum Suarez (*Tom. 1. de Relig. lib. 2. c. 5.*) advertit, quod si hæc Festivitas in se consideretur, inter Solemnitates ad Christi Humanitatem pertinentes esset annumeranda; in ea enim maximum humano generi collatum fuit beneficium; quia tamen non prius perfecte illud collatum fuit donum, quam B. Virgo peperit, idcirco Natalis Christi Festum præcipue ad Jesum, Annuntiationis vero ad B. Virginem attinet, ad eamque hujus Dei Officium dirigitur. Hujus solemnitatis Mysterium narrat D. Lucas, (*cap. 1. v. 26. usque ad 38.*) dicens: Mense sexto, cum prægnans esset Elisabeth, Gabrielem a Deo missum fuisse in Nazareth ad Mariam, Joseph desponsatam, quam salutavit dicens: *Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in Mulieribus.* Cumque Virgo turbaretur, Angelus timorem expulit, asseverans, gratiam apud Deum invenisse, concepturamque in utero, & parituram Filium, quem vocaret Jesum &c. Cumque B. Maria dixisset: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Respondit Angelus: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei... Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Maria denique dixit: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum.* Et inde abiit Angelus.

3. 4. Multis omissis questionibus, quas ad dictum Lucæ Evangelium excitant Interpretes, illud inquirimus: An verum Matrimonium, quod supra diximus cap. I. inter B. Virginem, & D. Josephum interces-

fisse, fuerit ante, an vero post Angeli salutationem contractum? Et non fuisse ante salutationem contractum, sed tantummodo desponsationem putat Calmet, (*In Com. ad c. 1. Matt. in dissert. de S. Joseph. B. viro, art. 5.*) cum quibusdam ex PP. & Interpretibus ex illo Lucæ: *Ad Virginem desponsatam viro,* (*cap. 1. v. 27.*) & ex illo Matthæi: *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph... inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, &c.* (*cap. 1. v. 18.*) Per id vero, quod Evangelista dicit; Josephum clanculum Mariæ repudium dare cogitasse, matrimonium non probari ajunt; nam, penes Hebræos, sponsis repudium etiam dabatur: Confirmant ex illo: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam,* (*Matth. cap. 1. v. 20*) quod non recte Angelus dicere potuisset, si antea matrimonium verum fuisse contractum.

5. 6. Veram ceteri omnes cum D. Thoma, (*3. p. qu. 59. art. 2. ad 3.*) Grave-sonio (*De Myst. & ann. Chr. diff. 1. art. 1.*) & Gotto, (*De Ver. Rel. Chr. par. 1. Tom. 4. c. 4. §. 5.*) existimant non desponsatam, sed nupram fuisse. Verbum enim *Desponsata*, ut peculiari differtatione abunde demonstravit P. Mandit, animadveritque Tillemontius, (*Not. 8. ad vit. B.V.*) juxta Scripturæ idiotismum, valet idem ac *Nupta*. Et sane in Luca, (*cap. 2. v. 5.*) legitur, Josephum, ut Cæsaris pareret edicto) Bethlehemum se contulisse *cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*, quo quidem tempore, etiam juxta contrarios, matrimonium contractum jam erat; aliorum vero Matthæi verborum sensum esse dicunt: *Acceptam conjugem serva, ac retine: omnemque dimitterai cogitationem deponere.* Ita Estius (*In 4. Sent. dist. 3. §. 8.*) Præstantia hujus sententiæ patet ab absurdis ex contrariis profluentibus. Sequeretur enim 1. Si Matrimonium fuisset contractum tribus (ut aliqui volunt) post salutationem mensibus, quod infans semestris nasceretur, & tunc Judæorum perfidia, ceterique ejus neficii Mysterii adversus Sponsi, & Sponsæ Sanctitatem, Castitatemque objicere potuissent ante matrimonium, & Sponsaliorum tempore eos concubisse, 2. Si, ut vult Rupertus, in illud cantic. *Nigra sum &c.* matrimonium initum esset post reditum ab Elisabeth visitatione, quis, nisi gnarus esset Mysterii, suspicionem de flagitio in domo Elisabeth patrato, cohibere potuisset? 3. Judæi non ita firmiter Jesum legitimum Joseph filium existimassent, ut apud Evangelistas (*Matth. cap. 13. v. 55. Joan.*

c. 6. c. 49.) legimus existimasse; illegitimum enim dicerent; quem sexto natum mense comperissent. Unde propter hæc & alia ab Estio allata, secundam sententiam præstantiorem affirmamus; quidquid dicat Lamy, (*Concor. Evangel. lib. 1. cap. 3. num. 25.*) rationes has frustra diluere intendens.

7. Igitur Maria uxor erat Josephi, in ejusdem domo intra cubiculum sola, teste D. Ambrosio, (*Lib. 2. in Luc. col. 1284. ed. Maurin. §. 8.*) quando ab Angelo fuit salutata salutatione illa: *Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus*, apud Hebræos nova ab eorumque usu aliena. Penes illos namque usitata erat: *Benedicta tu in mulieribus*, quando aliquam mulierem egregiam aliquod facinus patrantem salutabant; sicut Debora (*Jud. c. 5. v. 24.*) Jabelem uxorem Haber, eo quod Siffaram interfecisset: David (*Reg. 1. c. 25. v. 33.*) Abigail, eo quod ipsum abstinuerit ab internecone familie Nabal. Quapropter ait D. Ambrosius, (*Loc. cit. §. 9.*) novam hanc salutationis formam nusquam aut lectam, aut antea compertam soli Mariæ reservari: *Bene enim*, inquit, *sola gratia plena dicitur; qua sola gratiam; quam nulla alia meruerat, consequuta est, ut gratia repletur Auctore.*

8. Nova hæc salutatione B. Virgo, teste Luca, fuit perturbata, non ex lætitia, ut aliqui contendunt, refutati a Raynando; (*Dypsic. Marian. t. 7. suor. oper. p. 73.*) sed quia juxta Ambrosium: (*Homil. in c. 2. Luc. l. 2.*) *Trepidare Virginis est, & ad omnes viros ingressus pavere, omnes viros asinus vereri*; & juxta Hieronymum; (*Epist. ad Letan.*) quia viram sola in cubiculo, quem non solebat, aspexit; vel quia nunquam a viro salutata fuerat: (*Epist. 12. ad Eustochium, c. 16.*) vel juxta quosdam, apud D. Thomam, (*3. par. quest. 3. ad 3.*) ob rerum novitatem, quas ab Angelo audierat; ut enim humilitatis plena erat, nihil de tam sublimibus cogitabat; quod sane Evangelico congruit textui, dicenti: *Turbata est in sermone ejus, & cogitabat &c.* vel denique ex ipsa natura Angelicæ visionis. Neque obstat, quod Angelis videndis esset assueti, ut multi censent; visio enim et si Divinitus immissa primo terret aspectu, ut supra (*Cap. 17. num. 47.*) notavimus cum Benedicto XIV. ibi, & alibi, (*De Canonizat. Sancti. l. 5. c. 51. num. 4. & ibi Synopsis*) & sic accidit Abraham, (*Genes. c. 15. v. 12.*) Danieli. (*Dan. c. 10. v. 8.*) Pastoribus in Bethlehæm, Zachariæ, (*Luc.*

c. 1. v. 12. & c. 2. v. 9.) & Mulieribus ad Sepulcrum. (*Marc. c. 16. v. 8.*)

9. 10. Turbatam Virginem Angelus confortavit: *Ne timeas Maria; invenisti enim gratiam apud Deum.* Mox Legationis suæ scopum exponit: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum &c.* Ad quæ Virgo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hæc autem verba juxta Ss. Pp. non dubitantis sunt, aut non credentis, sed admirantis, aut inquirentis rem proflus novam, quod castitatis voto obstricta, paritura esset, *Non quarit an fiat istud*, inquit Bernardus, (*Homil. 4. super Missus est, & Sermon. 4. de Assumptione.*) *sed quomodo*, Legerat in Isaia, inquit Beda: (*In cap. 1. Luc.*) *Ecce Virgo concipiet*; &c. & quia quomodo id fieri non posset legerat, ab Angelo sciscitatur, quod in Propheta non invenit. Non sic Zachariæ cum dixit Angelo: *Unde hoc sciam?* Vere enim, ut ex Evangelio patet, Angelico nuntio non credidit, & quasi fidei alium quarit Auctorem, ut ponderant D. Ambrosius, (*In cap. 1. Luc.*) & Augustinus, (*Serm. 291. t. 5. col. 1167.*) Hic autem addit, potuisse Virginem dubitare, num suæ virginitatis votum Deo placuisset, an vero illud improbaret? Volebatque, si posset, virginitatem conservare, inquit Nyssenus; (*Orat. de Chr. Natvrit.*) nihilominus parata erat, teste Bernardo, (*Serm. 4. super Missus est,*) virginitatis votum solvere, si Deus jussisset. Ex quibus omnibus coorta fuit animi perturbatio. Hinc Angelus eam instruit, apertissimeque illi declarat, nihil esse timendum; opera Spiritus Sancti concepturam, Filiumque Spirituram sine virginitatis detrimento. Protulit deinde Elisabethæ Cognatæ suæ in senectute conceptionis exemplum, quin ejus obstaret sterilitas, cum non sit impossibile apud Deum omne verbum. Hoc, Estio attestante, (*cit. cap. 1. Luc. vers. 36. pag. 481.*) non ab Angelo dictum, ut Virginem ad credendum, quod annuntiabat, induceret, sed ut in ea sensus fidei, jam concepta minus repugnaret; utpote fides ipsa, quamvis firma, magis adhuc firmaretur; vel denique, ut Virginem exhilararet, quod bonorum Angelorum est, & occasionem ei daret boni operis, scilicet Cognatam visitandi, salutandi, congratulandi, & adjuvandi.

Angeli verbis maxima cum humilitate assentita est B. Mariæ, dicens: *Ecce Ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum*; illi eoque mirandum in modum Jesus fuit conceptus, traducente Spiritu Sancto, a

Marie uterum puriorem Sanguinem, corpori formando necessarium; excellentissimo, & perfectissimo modo conferente id, quod in naturali partu humana opera contulisset. Divinitatem utique Christi ita Deus cum Humanitate conjunxit, sine aliquo Mariano concursu, ut in unam dumtaxat personam utraque consisteret natura. Unde proprie dici debet Maria Dei Mater; eo quod Divina persona terminus sit, completus conceptionis; & infimul Christi Mater quia Maria ad Christi corpus formandum contulit quidquid reliquæ, quæ pepererunt, mulieres contulere: nempe suam substantiam, ejusdemque naturæ Infantem peperit. Spiritus autem Sanctus, etiamsi ad Christi Corpus efformandum concurrexit, nihil ei de sua tribuit substantia, nec ejusdem naturæ fœtum genuit, ob idque dici nequit Christi Pater, etiam secundum humanam naturam.

12. Hæc est in terminis D. Thomæ doctri-
na; (3. part. quæst. 31. art. 5. qu. 32. ar. 3. ad 1. q. 35. art. 4. sicut etiam, quod Divini Verbi Incarnatio dupliciter considerari possit, vel tanquam terminatio humanæ naturæ, quæ dicitur *Suppositio*, vel tanquam actio. Primo modo Filii Dei carnem assumentis opus est. Secundo modo, cum ad ejusdem activum principium respiciatur, & ipsa sit opus *ad extra* totius Trinitatis peculiari tamen modo Spiritui Sancto tribuitur; tum quia ex puro Dei amore est derivata, hic autem Spiritui Sancto tribuitur, sicut Patri potentia, & Filio Sapientia; tum quod humana natura assumpta fuerit a Filio in unitatem personæ ex sola gratia; quæ præcipuo modo Spiritui Sancto tribuitur; tum denique quia per Incarnationem humanitas Christi a Divinitate accepit sanctificationem, quæ itidem opus est proprium Spiritus Sancti. Sic idem Angelicus Doctor. (3. part. quæst. 32. art. 1.)

13. Præterea momento temporis in virginali utero, sine ullo virginitatis detrimento Christi corpus fuit formatum, non in virili perfecta magnitudine, sed ea, quæ apta erat, ad rationalem animam recipendam, & ab hypostatica postulabatur unione. Animatum corpus eodem momento hypostatice Verbo Divino fuit conjunctum; atque ineffabili ejus unione, duarumque naturarum consortio Christus fuit Deus, & hominibus præditus voluntatibus, duas habens operationes Divinam, & humanam. Ab eodem momento Christus verus fuit Sacerdos, & æterni Regni spiritualis verus Rex, & Sanctus, non accidentaliter tantum per ha-

bitualem gratiam, qua ejus Anima fuit prædita; sed sanctitate etiam substantiali, quæ profuerebat a Verbo Divino, ejus humanæ naturæ substantialiter conjuncto. Gratia etiam a Theologis capitali appellata fuit præditus, qua Angelorum hominumque caput constitutus est: Divina insuper scientia, ut Deus; infusa, acquisita, & beata, ut homo, ita ut, illo temporis puncto comprehensor factus, viderit Dei essentiam, omniaque præsentia, præterita, & futura; præviderit secreta cordium, ac perfectum denique consequutus sit usum intellectus, & voluntatis, quo statim accidentalem cepit corporis sui gloriam mereri. Ex quibus prodigiis, & donis facile intelligitur, ait Gravesonius, (*De Myst. & an. Chr. disert. 2.*) Conceptionem Christi fuisse miraculosam, ac supernaturalem.

14. Usque modo de Mysterii substantia; jam de accidentibus. Et 1. de loco jam supra diximus num. 7. 2. dicendum, tempus non fuisse, ut male aliqui affirmant, in Salutationis Angelicæ principio; sed juxta Raynaudum, (*Loc. cit. pag. 52.*) & Saxiam, (*De laudib. Maria, par. 1. pag. 91.*) certe post Mariæ assensum expressum per verba: *Fiat mihi secundum verbum tuum.* Cum autem hujus colloquii hora incerta sit, ideo Ecclesia volens, quod hujusmodi Mysterium singulis diebus a Fidelibus recolatur, eos excitat illucescente aurora, campanæ signo, notequè ineunte, ac meridie 3. dicendum, annum ætatis Mariannæ non fuisse, ut vult Cardin. Cajetanus, vigesimum septimum, vel quartum, aut ad minimum secundum; sed ex verisimillima sententia Raynandi, (*Loc. cit. pag. 59.*) decimum quartum, vel quintum; quater autem millesimum ab orbé condito, quia eo anno accidisse Dominicum Natalitium, alibi diximus 4. dicendum ex Græcorum Menologiis, Menæis, Synaxariis; ex Calendariis, & Martyrologiis Ægyptiorum, Cophtorum, Syrorum, Chaldæorum, Ruthenorum; ex Latinorum Martyrologiis, Breviariis, & Missalibus, ex Sacramentario denique S. Gregorii, mensem fuisse Martium, diem vero vigesimum quintum ejusdem mensis; quod confirmat Augustinus, (*Lib. 4. de Trin. c. 5.*) ex auctoritate, & traditione Ecclesiæ, ætate sua. Generalis hic consensus solide probat hujus diei determinationem, nonnisi ab Apostolis traditam, ut notant Bollandistæ. (*Ad 25. die. Mart.*)

15. &c. Neque contra facit Concilium Toletanum sæculo VII. habitum, præcipiens hujusmodi Festivitatem 18. Decembris cele-

brare; (*Tom. 6. Con. Col. lectiou. Labbe an. pag. 460.*) nam, ut ex ipso colligitur; id statuitur, quia in Quadragesima, in quam plerumque incidit, videbatur non posse quanta par esset lætitia celebrari. Id tamen generaliter extra Hispaniam non invaluit, ut patet ex Micrologo sæculi XI. Scriptore. (*c. 48. de Ecclesiast. Observat.*) Immo nunc etiam in Hispania hac ipsa die celebratur, ut infra dicitur. (*cap. 17.*) Præterea refert Casalius (*De vet. Sac. Chr. Rit. Roman. ed. an. 1647. p. 422. & 423.*) ex quibusdam monumentis in Appendice Martyrologii Gallicani, quosdam Monachos Cluniacum venisse, ut a S. Odilone Abbate facultatem obtinerent Annuntiationis Festivitatem 18. Decembris celebrandi juxta Hispaniæ consuetudinem; quo impetrato, nocturna visione territi consultius existimant Galliarum consuetudinem sequi, ubi jam nunc 25. Martii Festum hoc celebrabatur. De Festi hujus antiquitate concludendum cum Bollandianis, tantam esse, ut liceat pie meditari originem ducere ab ipsa B. Virgine, quæ singulari veneratione, ac devotissimo cultu quotannis recolere solita fuerit Divinum beneficium hoc die sibi, & toti generi humano præstitum; quod intuentes Apostoli, & ipsi imitati sunt, & ubique terrarum observari debere sauxerunt, in quod facit celebris D. Augustini regula a nobis alibi relata, (*cap. 2. §. 9. &c. in fine.*)

18. 19. Thomassinus, (*De Fesar. celeb. lib. 2. c. 12. num. 2.*) cui adhaeret Heterodoxus Binghamus, (*De Eccles. Ord. tom. 9. lib. 20. c. 8. §. 4.*) affirmat nullum de hac Festivitate extare documentum firmum ante Concilium Trullanum celebratum anno 692. Verum præterquam quod Trullana Synodus non de Festivitate loquatur institutione, sed absolute jam tunc vigere supponat; in Veteri Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio a Florentino edito, Cassiodoro a Beda tributo, & Hieronymo ab aliis, legitur ad 25. Martii: *In Galilea Civitate Nazareth Annunciatio S. Mariae de Conceptione, quando ab Angelo est salutata.* Accedit Martene, (*De antiq. Eccl. discipl. in Divin. celebr. in Divin. celebr. Off. cap. 31. num. 25.*) D. Augustini (*Lib. 4. de Trinit. cap. 5.*) auctoritate innixus, & ultimo Sergius Papa, qui sæculo VII. vixit, loquensque de Festivitate ante instituta: *Constituit, ut diebus Annuntiationis, Nativitatis, & Dormitionis S. Dei Genitricis, Litaniam exeat a S. Hadriano, & ad S. Mariam populus accurrat;* ut habe-

tur in Libro Pontificali. Merito alibi Benedictus XIV. (*De Canonizat. Sanctor. lib. 4.*) explosit, opinionem existimantium Christum fuisse conceptum in corde B. Mariæ, utpote contraria Evangelio dicenti: *Concipies in utero.* Illos etiam refutavit, qui tenent, ad Christi corpus formandam Spiritus Sancti opera, ternas Sanguinis guttas ex Mariæ corde in ejus uterum dimansse.

C A P U T IV.

*De Feso Dolorum B. V. Feria VI.
Hebdomada Passionis.*

I. **C**ertus dies mensis huic Festivitati non assignatur, sed Feria VI. post Dominicam Passionis. Ex Gayeto, (*De Fes. Ss. 1. 2. c. 4.*) aliquibus in locis, veluti Parisiis, Andegavi, Pictavii, & alibi passim celebratur: modo ex Decreto Benedicti XIII. (*Die 22. Aug. 1725.*) de eadem recitatur intota Ecclesiastica ditioe.

2. 3. Certum habemus, ex Joanne (*19. u. 25. & seqq.*) B. Mariam crucifixioni Filii sui adfuisse; & insimul ad terribilissimum illud spectaculum doloris gladio fuisse confossum, juxta Simeonis oraculum; (*Luc. c. 2. v. 34. & 35.*) ex quo quidam sentiunt, Mariam Martyrium passa ex hac vita migrasse. Hoc tamen alibi rejecit Benedictus XIV. (*Lib. 3. de Canon. Ss. c. 11. n. 3.*) cum D. Ambrosio, (*Lib. 2. in Luc. c. 2.*) dicente: *Nec littera, nec historia docet, ex hac vita Mariam corporalis necis passionis migrasse.* Alii cum Origene per doloris gladium intelligunt dubitationem; perverseeque affirmant B. Mariam, visa Filii sui crucifixione, de illius Divinitate dubitasse, sicut ceteri; quod confirmat Auctor centum, & viginti septem questionum in Appendice operum S. Augustini; adjungens, talem dubitationem ex ejus animo non fuisse pulsam, donec gloriam viderit reviviscens. At mirum non est, talia in dicto Auctore reperiri, qui multis aliis scætat opinionibus falsis, vel singularibus, monente Tillemontio; (*Note 12. ad vitam B. V.*) & tanquam falsa rejicienda illa interpretatio. Nam cum D. Ambrosio certum putamus, B. Mariam multo exploratius, quam David, ceterique Prophete, Passionem, ejusque circumstantias multo ante cognitæ omnino habuisse. Et si forte aliqua in Virginis anima hæsit dubitatio, certe, ex D. Thoma, (*3. p. q. 27. 21. 4. ad 2.*) & Ven. Petro Caniso, (*Lib. 4. c. 27. de Mariae Dep.*)

Deip. Virg.) numquam fuit infidelitatis, sed ad plurimum admirationis.

4. 5. Igitur, non recedendum a communi PP. interpretatione cum D. Augustino, (*Epist.* 149. alias 59. §. 33. t. 2. *Op. col.* 515.) dicente, gladium, quo Simeon prædixit Virginis animam fore trajiciendam, significare animæ dolorem adeo acerbissimum, ut merito plusquam Martyrem illa prædicent Bernardus, (*In illud Apocal. Signum Magnum*) Ildensonus, (*Ser. 2. de Aff. B. V. l. 12. Bibl. PP. p. 580.*) & Canisius; qui præterea dolorum numerum, & qualitatem recenset, atque omnino adhærens auctoritati Ruperti, Bernardi, Anselmi, quin & Ambrosii, Augustini, cæterorumque veterum PP. tuetur Ecclesiæ disciplinam de prædicandis, venerandisque doloribus, quos juxta crucem B. Virgo perpeffa est. Dolorem adeo acerbum, judicant quamplurimi apud Novatum, (*To. 1. de Emin. Deip. V. M. c. 10. q. 4.*) & Salmeron, (*Lib. 10. c. 41.*) verisimiliter profundas lacrymas causasse in B. V. Maria; quia hæ non semper indicium faciunt debilitatæ fortitudinis, fractæque constantiæ: nam de Christo legimus flevisse super Jerusalem, & Lazarum. Et ex hoc colligitur quanta injuria Thiers (*Tr. de superst. Gallicæ ser. t. 2. c. 8.*) invehatur in illud *Lacrymosa* Hymni *Stabat Mater*, licet ei favere videatur D. Ambrosius, (*Conc. de Valent. Imperat. morte.*) dicens *sanctam illam* (Virginem) *lego, stentem non lego*. Prædicti Hymni Auctor recte creditur Innocentius III. ut vult Ludovicus Jacob, (*Bibliot. Pontific.*) Oldoinus, (*In Add. ad Ciakon. ad vit. Innocent. III. & alii.*

6. Neque ex lacrymis Mariannis inferendum est cum aliquibus Scriptoribus, Duranto (*In Not. ad Revel. S. Birgit. l. 4. c. 70.*) præsertim, B. Mariam ex spasmo in terram corruisse, tum juxta Crucem, tum in via ad Calvarium. Nam juxta Crucem, ut bene advertit Gerson, Evangelium dilerte testatur Virginem stare. In via autem ad Calvarium licet D. Bernardinus Senensis (*Ser. 51. in Fer. vi. Paras. a. 4. cap. 2.*) testetur, in fide digna Historia legisse, B. Virginem ex Spasmo; viso Christo, in terram corruisse; & Jesum, visa Matre, in terram prolapsa, quasi vires deficerent, super petram adsedisse, in cujus rei memoriam extructam ibi ædiculam appellatam *S. Maria de Spasmo*: attamen concludit, *hæc pie credenda magis, quam temerarie asserenda*. Quaresmius. (*Elucid. Terr. ss. t. 2. l. 4. c. 10.*) Bonifacii auctoritate fretus,

dictam approbat hystoriam, additque in dictæ ædiculæ ara maximam petram fuisse collocatam, supra quam B. Virgo corruit; ædiculam autem ab Infidelibus profanatam, magno redemptam fuisse pretio a Fr. Corsetto magni nominis Viro apud Minores, locatamque dein supra portam Sacræ domus Sionis. Insuper scribit, prædictam ædiculam fere dirutam se invenisse, cum primum Jerosolymam adiit; omninoque disjectam, cum secundo advenit; eoque loco stabulum ædificatum vidisse equis excipiendis, qui plerunque interibant, justo ne judicio, an quod ita ferret ordo naturæ, incertum.

7. S. Cardin. Cajetanus de B. Virginis spasmo sententiam rogatus, respondit contingere, vel ex contractione interiorum partium, & sensuum sedium, ex quo usus sensuum, ac rationis deficit; vel cum membris frigescentibus, & viribus deficientibus homo pedibus stare nequit, retinet tamen sensuum usum, ac rationis: & utrumque a Virgine abfuisse; tum quia *dissonat rationi B. Virginem egritudinem aliquam passam fuisse; tum quia est valde inconveniens, quod dolor gratiæ perfectionem secundum naturalem considerationem rationis turbasset; & quia in Evangelio legimus, illam juxta Crucem stetisse, quod significat stetisse pedibus, non humi dolore prostratam*. Cajetano subscribunt alii communiter, ut Suarius, (*In 3. p. D. Th. tom. 2. qu. 17. art. 6. sect. 3. & q. 51. art. 3. disp. 41. sect. 2.*) a Lapide, (*In c. 19. Journ. p. 524. edit. Antwerp. 1695.*) Novatus, (*Tom. 1. cap. 18. q. 7.*) & alii. At Quaresmius (*Tom. 2. l. 4. c. 11. & seqq.*) rem tractat in utramque partem, & tandem spasum tuetur adversus Cajetanum, & siquid in eo durum esse videtur, multis explicationibus emollit, ac mitigat. Concludimus igitur cum Ambrosio, (*In c. 23. Luc.*) B. Virginem acerbissimo fuisse dolore contestam, quia tamen sciebat Patris hanc esse voluntatem, maxima constantia, summaque fortitudine juxta Crucem stetisse; piisque oculis Filii vulnera aspectasse; *quia aspectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem*, ut ait cit. Ambrosius. Et cum Mengot (*In Mon. Mariann. part. 4. num. 24.*) affirmamus, Mariæ fortitudinem tota ejus vita enituisse, sed maxime in Filii sui Morte, & Passione, Tristis aderat, non dejecta. *Dolebant Materni affectus, sed decora gravitate. Feriebantur Virginei sensus vulneribus Filii, sed imperturbato spiritu, quo amabat, & adorabat Divinam justitiam, simul & misericordiam, &c.* Sic Castorien-

sis Episcopus. (*Tract. de cult. Ss. præsertim B. V.*) Nulla denique in ea inordinata actio, motusve, qui in aliis sceminis pro similibus casibus evenire solent. Jure igitur Sapientes, apud Gravesonum (*De Myst. & ann. Chr. p. 451.*) reprehendunt pictores, quod B. Virginem exanimatam, stupefactam, & prolapsam depingant: & Concionatores sagillat Canisius, (*Lib. 4. de Maria Deip. Virg. c. 27.*) quod scetiam eam describant. Hujusmodi picturas testatur Carthagenæ (*T. 2. l. 12. Hom. 7.*) ætate sua Romæ jussu Mag. Sac. Palatii fuisse delectas; quia derogabant magnanimitati & fortitudini B. Virginis. Hinc patet quanto acrius increpandi, qui ausi sunt affirmare ex spasmo, cæterisque passionibus inordinatis, B. Mariam corruisse, ac dein revixisse, cum id, ut bene advertit Card. Toletus, (*In c. 2. super Evang. Luc. adnot. 57.*) pugnet cum Evangelio, ubi legitur Christum Matrem Virginem Joanni commendasse, & Virgini Joannem.

9. Ultimo dicendum Festo institutionem, Officii recitationem referendam esse ad annum 1413. in quo Provincialis Synodus Theodorici Colonienfis Episcopi fuit celebrata. In illa enim, ut videre est apud Labbe, (*Collect. Conc. Tom. 12. pag. 365.*) & Raynaldum, (*Ad ann. Chr. 1423. num. 2. §. Habita.*), hæc fuit instituta Festivitas, cum Officii recitatione, ut Hussitarum reprimeretur audacia, qui sanctissimas Christi, & B. Virginis dolore confossæ imagines sacrilego furore fœdebant. Denique originem imaginum B. Virginis septem trajectæ gladiis, ut melius exprimentur Virginis dolores, referendam vult Saxius (*Par. 2. de Laud. Mariæ p. 168.*) ad Septem Ordinis Servorum Fundatores, qui dolorum B. Virginis Mariæ contemplationi vacantes, eos in septem divisere, quorum aliqui habentur in Evangelio, cæteri probabili ratione; & auctoritate verisimiles sunt.

C A P U T V.

De Festo Visitationis B. Virginis
Die 2. Julii.

1. &c. **H**ujus Festi Mysterium describit Lucas. (*c. 1. v. 38. 39. & 40.*) sic: *Et discessit ab illa Angelus: Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festinatione in Civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth.* Inquirenda vero est itineris hujus causa, comitatus, & terminus. Theophylactus, Euthymius, & S. Bonaven-

tura, quibus libenter subscribunt quidam Sectarii impugnati a Ven. Canisio, (*Lib. 4. c. 4. de M. Deip. V.*) & Gotto, (*De vet. Rel. Chr. l. 4. p. 1. c. 6. §. 1.*) causam fuisse dicunt, ut veritatem conceptus Elisabeth exploraret, ut inde de reliquis ab Angelo dictis certior fieret. Verum hoc omnino explodendum, utpote B. Virgini injurium, & parum Evangelio consonans. Erat enim Incarnationis fides in corde Virginis alte radicata, priusquam Angelo assentiretur, nedum antequam iter suscipere. Hinc illa laus Elisabeth: *Beata, quæ credidisti, quoniam perscipientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino;* (*Luc. c. 1. v. 45.*) Angelus utique, ex D. Bernardo, (*Homil. 4. super Missus est.*) non Mariæ adhuc incredulæ, sed firmissime credenti, conceptum Elisabeth nunciavit. Ea propter cum eodem Bernardo, causam fuisse affirmamus, Dei voluntatem, sic disponentem, ut miraculo adderetur miraculum, gaudiumque gaudio cumlaretur, & prodigiis fieret locus hac in visitatione patratis. Hujusmodi iter non fuit statim a Virgine susceptum; sed cum festinatione confectum, paucis tamen interjectis diebus post Annunciationem, cogitatos, aut tres, quos B. Virgo insumpsit in tanti contemplatione Mysterii, & gratiarum actione. Sic Natalis Alexander, (*In c. 1. Luc. pag. 908.*) & a Lapide, (*Ad eund. loc.*) idque videtur innuere Lucas cit. dicens: *Exurgens autem Maria in diebus illis &c.*

4. Valde verisimile est, juxta Saxium, (*De Laud. Mar. p. 1. 1. p. 96.*) & Ayala, (*Lib. 4. c. 5. n. 4.*) D. Josephum Mariam in via sociasse, non vero ingressum fuisse Zachariæ domum, nec colloquio inter pregnantem adfuisse; quia in Evangelio commemoratur nemo, præter Elisabeth exclamantem, & ut vult Rodolphus, devotione magis interiore, quam exteriori tono. Et quidem, si colloquio Joseph adfuisse, non perturbaretur postea Virginem gravidam deprehendens, & conceptionis Christi Mysterium cognitum habuisset, cujus omnino inscium fuisse, antè Angeli in seminis monitum, intelligimus ex Mattheo. (*Cap. 1. v. 18.*) De hac re tamen quisque suam sententiam sequi poterit. Itineris denique terminum dicendum, ex Baronio, (*In app. ad Annal. Eccl. n. 77. & 78.*) a Lapide, (*In c. 1. Luc. v. 39. §. In Civitat.*) & aliis, fuisse Hebron, seu Carjathæbe Civitatem Sacerdotalem in Tribu Juda, ut legitur in Josue, (*C. 21. v. 11.*) unicamque in montano ibi sitam loco; in hæc enim

habitare oportebat Zachariam, Sacerdos cum esset ex Tribu Juda. Unde rejicienda Juliani, & Porphyrii nefaria impudentia, Lucam negligentia insimulantium, eo quod Civitatis nomen prætermisisset; satis enim ex circumstantiis poterat intelligi.

5. &c. Prosequitur Lucas prodigia enarrans a v. 41. scilicet: *Ut audivit salutationem Maria Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, & repleta est Spiritu Sancto Elisabeth. Et exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ex quibus facile intelligitur, Baptistam in matris utero exultantem agnovisse in Mariæ utero Verbum esse delapsum; Elisabeth Spiritu Sancto plenam prophetasse; Mariam eodem Spiritu Sancto repletam Canticum illud *Magnificat* &c. pronunciasse; Zachariam quoque eundem Spiritum tunc accepisse, quem postea in Baptistæ Circumcisione patefecit. (*Luc. I. v. 67.*) Contra quosdam Hæreticos dicimus, hanc Baptistæ exultationem non fuisse naturalem motum, corporis potius, quam animi, ortum scilicet ex Matris lætitiæ, sed supernaturalem, & ortum ex Christi præsentia. Angelus enim Zachariæ prædixerat de Baptista: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris sue*: quis autem non videt, tunc impletum, cum ad præsentiam Divini Verbi exultavit? Id videtur dixisse B. Elisabeth: *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo: & clarius Augustinus: (Epist. 187. alias 57. ad Dardan.) Exultavit in gaudio: quod utique nisi operatione Spiritus Sancti fieri potuisse quis credat?* Quare non ex lætitiâ matris exultavit Baptista, sed ex motu infantis orta fuit matris lætitiâ; nam illo motu Deum venisse monita est, quod innuit Lucas verbis nuper allatis: *Ut audivit salutationem &c.* Affirmant Irenæus, Hieronymus, Chrysostomus, Gregorius, & Bernardus, Baptistam rationis usum tum fuisse adeptum; & Ambrosius, quem alii sequuntur, adjungit, usum rationis non fuisse momentaneum, sed permanentem. Qui multa velit de Baptistæ sanctitate, ejusque gratia detectiva originalis in matris utero accepta, de rebusque supra memoratis, adeat Calmetum, (*In e. 1. Luc. n. 41.*) Natalem Alexandrum, (*Ad eund. loc. v. 40.*) a Lapide, (*In idem c. ver. 41.*) & alios; ac etiam Ven. Petrum Canisium, (*Lib. 4. de Maria Deip. Vir. c. 6. & 7.*) apud quem re-

periet Canticum *Magnificat* a contumeliis Lutheranorum vindicatum: doctasque, & piâs super illud meditationes.

6. &c. Compendio Lucas concludit: *Mansit autem Maria cum illa (Elisabeth) quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam.* Hinc queritur: An B. Virgo nativitati Joannis adfuerit? Negat Grotius; quia si usque ad partum permanisset, expectatura etiam foret, quouique Elisabeth convalesceret. Facit pro hac sententia Evangelista, qui nativitatem Joannis describens, nihil de præsentia Mariæ loquitur. Adfuisse contendit Calmetus, (*In e. 1. Luc. n. 56.*) & verisimiliter; quia decessisse non videtur, B. Virginem venientem, ut partui Elisabeth assisteret, paulo ante illum abcessisse. Neutri opinioni calculum adjicimus, sed cum Natali Alexandro (*In eund. loc.*) dicimus, non esse curiosius inquirendum, quod Deus non ignorare voluit. A FF. Minoribus hujusmodi Festum anno 1263. consuevisse jam celebrari colligit Gavantus (*Ad Rubr. Brev. Rom. 7. c. 9. n. 2.*) ex Annalibus prædicti Ordinis; ex quibusdamque monumentis Bailletus, (*Hist. hujus diei §. 2.*) in Ecclesia Orientali celebrari consuevisse. In Occidentali ejus institutio simul cum Officio jussu Pontificis a Cardin. Ada. teste Scultingo, composito, debetur Urbano VI. qui jejuniū etiam præscripsit, ut B. Virginis ope, Schisma tolleretur, per id temporis Ecclesiam dilacerans. Urbano autem vita sancto, Bullam nondum editam promulgavit Bonifacius IX. nec jejuniū indixit, sed tantum suavit. Aliqui ex Heterodoxis Basiliensi Concilio tribuant Festi hujus institutionem; male tamen; quia tantum dehuo promulgavit, non autem instituit, ut bene differit Græferus, (*De Festis l. 2.*) in quod etiam alii Heterodoxi consentiunt. Utcunque tamen de prima Festi institutione sit, illud certe confirmatum est ex reformatione, Breviarii Romani per S. Pium V. & Clementem VIII. factas. Orientalis itidem Patriarchæ in Concilio Florentino sub Eugenio IV. illuc acceptarunt. Videatur Baronius, (*In Not. ad Martyrol. ad. 2. Julii.*) qui etiam testatur, se vidisse in Biblioteca Vaticana Manuscriptum Joannis Pragensis adversus Adalbertum hujusmodi Festum improbantem: in prædicto Libello plura referuntur miracula, & revelationes, quibus eam sibi placere Festivitatē Deus declaravit.

C A P U T VI.

De Festo B. Virginis de Monte Carmelo
Die 16. Julii.

1. **C**armelum Judæam inter & Syriam ponit Tacitus, (*Lib. 2. Hist. c. 78.*) illucque venisse affirmat Vespasianum, quod confirmat etiam Svetonius, (*c. 5. in Vespasiano.*) oraculum, medio Basilide Sacerdote, consultum, an sibi bene verteret, quod faciendum animo cogitabat. Insuper ad Tribum Manasse Carmelus pertinebat, ad Tribum autem Aser ea pars, quæ ad meridiem vergit. Denique ejus radices præterlabitur Torrens Cisson, nec longe abest Belus annis. Hic Elise precibus ignis Baal Prophetas absumens e Cælo fuit delapsus; insimulque, ut traditur, vivæ adhuc Mariæ ædicula extracta a piis quibusdam viris, qui & Mariam noverant, & Evangelium Baptistæ prædicatione amplexati, quotidie illuc convenire consueverant; ex quo nomen illis inditum Fratrum Montis Carmeli. Hæc, si fides est habenda Auctoribus, quos citant Carmelitæ, fuit eademmet ædicula, de qua supra Tacitus, & Svetonius; qui tamen Ethnici cum essent, consultationem Gentium more factam scripsere.

2. &c. Scripta Carmelitana aliquibus non placent; Patrumque opera ab ipsis relata supposititia esse contendit Papebrochius. Firmo carere ait fundamento, quod de Christianis, & ædicula traditur. Basilidis Sacerdotium, & cætera, quæ Tacitus narrat, ad nostræ Religionis ritus trahere, & explicare, absurdum sibi videri libere fatetur. Nec a suo deterretur proposito accusatione Sebastiani a S. Paulo Innocentium XI. interposita, ut patet ex ejusdem responsione. (*Part. 2. Resp. Papebroch. an. 1697. Respons. ad 9. Accusat.*) Neutri ex opinionibus se immiscet Benedictus XIV. solum monet, ædiculam illam tunc in Carmelo excitatam, *pie tantum creditum esse*; ob idque, cum de hac sit mentio in Læctionibus hujus Festi, caute additam fuisse clausulam *ut fertur*; de cujus vi, sicut & de fide, ac veneratione præstanda historiis Breviario Romano contentis, alibi disseruit. (*Tom. 4. p. 2. de Canoniz. Ss. c. 13. & ibi Syn.*) Jam vero ineunte sæculo XIII. spectatæ sanctitatis vir Simon Stockius Ordinis Carmelitani Generalis decessit. Huic multo ante ipsius obitum B. Maria apparuit, & Scapulare in Carmelitani Ordinis tesseram, singularisque protectionis signum

tradidit. Dein post annos 50. eadem B. Virgo Joanni XXII. apparuit, eumque monuit de pluribus Indulgentiis, quas a Christo Filio suo Fratibus, & Sororibus Carmelitanis impetrasset. Eas deinde idem Pontifex promulgavit die 3. Martii anno 1322. in Constitutione dicta *Sabbathina*: quæ licet in Bullario Romano deficiat, assertur a multis Scriptoribus Carmelitanis, & ex Bullario Carmelitano edito per Eliseum Monsignanum Ordinis Procuratorem Generalem (*Bullar. Carm. p. 1. p. 61. & seqq.*) confirmataque dicitur a Summis Pontificibus Clemente. VII. Pio V. & Gregorio XIII.

5. &c. B. Simonis visionem pariter, & Bullam acerrime impugnat Launojus. (*Tom. 2. Dissert. 2. edit. 1731.*) Contra vero cum Auctoribus Carmelitanis utrumque tuetur Raynaudus. (*Tom. 7. Oper.*) Sed Papebrochius, (*Part. 1. Resp. ad Accusat. 2. 3. 4. a. 3. §. 15. num. 24.*) visionem approbat, Bullam vero censet supposititiam, & ex quibusdam documentis demonstrare nititur, Raynaudum numquam *Scapulare Marianum*, tanquam ingenii sui fœtum agnovisse. Opponunt etiam aliqui in Bullam rationes Theologicas, quod asserat, B. Virginem, dum Scapulare tradidit, dixisse: *In hoc moriens æternum non potietur incendium*: ac etiam: *Ego Mater gloriosa descendam Sabbatho post eorum mortem, & quos invenero in Purgatorio, liberabo &c.* Et primum dicunt Theologiæ principis adversari, viamque sceleribus patrandis aperire ex securitate æternæ salutis. Videatur Episcopus Castoriensis. (*Tract. 1. de Cult. Ss. & B. V. & seqq.*) Secundum improbant; quia videtur B. Virgini adstruere spirituale imperium in animas Purgatorii.

8. Quidquid tamen alii disputent, Benedictus XIV. hic Visionem B. Simonis credendam dicit, & veram habendam arbitratur. Eam enim accurate refert Guyanington B. Simonis Socius, & Secretarius, dicens, eam se ab illius ore accepisse. Ejus authographum, cum hæc ferverent controversiæ, ex Burdigalensi archivio fuit impressum a P. Cheron Burdigalensis domus Priore. (*In Vindicis Scapul. p. 157. & eq.*) De eadem visione fit mentio in Læctionibus hujus Festi, licet taceant de memorato quasi pignore æternæ salutis; quod silentium visioni nihil obest: nec etiam ratio, qua impugnari diximus ab aliquibus. Ex Bellarmino (*Tom. 4. Contr. l. 2. de Pœnit. c. 7.*) enim habemus, in Scriptura Divina sæpe numero diversis rebus vim justificandi, salvandique tribui, ut Fidei, (*Ad Rom. c. 3. v. 28.*)

C.c. 2. & spei,

& spei, (*Idem c. 8. v. 24.*) ac eleemosynæ; (*Tob. c. 12. v. 9.*) quin illæ solæ per se sibi vim justificandi, & salvandi habeant, si cætera desint: nec aliis deficientibus affirmatur in prædicta visione Scapulare gestantes inferni pœnas vitaturos; imo B. Simon, relata visione, concludit Fratres hortando ad bona opera, & ut in eis nunquam deficiant, ut sic electionem suam certam faciant. Sic etiam visionem explicant Daniel a V. Maria, (*Spec. Carm. Tom. 1. part. 2. p. 433. & 531.*) & Paulus ab omnibus Sanctis, (*Clav. Aurea p. 1. c. 12.*) pollicitam scilicet fuisse B. Virginem, eum, qui devote Scapulare gestando injuncta opera, ut æquum est, impleverit, ob inferno liberum fore: *Quantum est ex parte sua, ex capite gratiæ illius copiose, quam eidem apud Filium suum impetrabit, intuitu Scapularis jam olim collocat in signum Salutis, fœdus pacis, & pacti sempiterni; nisi scilicet ex alio capite impingat in petram scandalæ, & lapidem offensivæ per temerariam Divinæ Legis transgressionem.* Ex quibus, aliisque Carmelitarum explicationibus, ingenue fatetur Papebrochius, (*Part. 2. Respons. a. 20. num. 18.*) nullam se videre difficultatem in verbis visionis, eaque tam commode exponi, ut facile evadant omnem justam reprehensionem; neque nata sint (ut nonnulli calumniantur) stolidam fiduciam adpiscendæ salutis ingerere, quomodocumque ducatur vita.

9. Cæterum validitatem, aut veram præfatæ Bullæ existentiam improbandam innuit hic Benedictus XIV. ex eo maxime, quia nunquam repertum fuerit ejus autographum, & nunquam in forma specificâ, nec nisi in forma communi a Pontificibus fuerit approbata. Hinc satis censet monere, quod ad dirimendas controversias de ea Bulla in Lusitania primum coortas, quas refert Paulus ab omnibus Sanctis, (*Clav. Aurea, part. 2. cap. 15.*) statuisse Paulum V. Decreto suo, quod habetur in Bullario Carmelitano, (*Tom. 1. p. 62. tom. 2. p. 601.*) ut Patribus Carmelitanis permittatur prædicare, quod populus Christianus possit pie credere de adiutorio animarum Fratrum, & Confratrum in charitate decedentium, qui in vita habitum gestaverunt, & castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum recitaverint &c. . . suis intercessionibus continuis, suisque suffragiis, & meritis, & speciali protectione post eorum transitum, præcipue in die Sabbathi . . . adfuturam.

10. Hujusmodi Decretum concordat cum

Lectioibus a. Nocturni Breviario Romano insertis, in quibus tamen additur clausula *ut pie creditur*. Quapropter difficultatibus de visione, Bullaque Sapientissimorum virorum animadversionibus, & Pontificis Romani Decreto omnino sublatis, concludendum cum Papebrochio: (*Part. 2. Respons. a. 40. num. 28.*) Improbum esse, qui neget multis Romanorum Pontificum gratiis, & privilegiis ornatam, multis enim Divinis beneficiis comprobata fuisse istam Scapularis Mariani devote gestandi Religionem. Fatendum proinde Festivitatem hanc non sine gravi institutam esse judicio. Eam pro Carmelitano Ordine an. 1587. approbavit Sixtus V. ejusque Officium pro eodem Ordine Paulus V. ex Decreto Sac. Rit. Congr. novis auxit Lectioibus, a Ven. Cardin. Belarmino recognitis, ut videre est apud Paulum ob omnibus Sanctis. (*Clav. Aurea, p. 180.*) Eandem subsequuti Pontifices ad aliquot Provincias, & Regna extenderunt ad populorum, & Principum preces, ut patet ex Actis S. Rituum Congreg. Eam denique cum Officio, & Missa nunc Universâ celebrat Ecclesia Catholica ex Decreto Benedicti XIII.

C A P U T VII.

De Festo Dedicationis Ecclesiæ S. Mariæ ad Nives. Die 5. Augusti.

1. a. PRIUSquam aliquid dicamus de Solemnitate Dedicationis Ecclesiæ B. Mariæ ad Nives appellatæ, nomina ejusdem Basilicæ proferemus. Liberiana primo fuit appellata, sumpto nomine ex Liberio Fundatore. Constat enim ex Libro Pontificali, (*In vita Liberii.*) Pontificem suo nomine Basilicam edificasse, juxta Liviam macellum; quod cum in Exquiliis & Livia Augusti uxore extructum constet, bene inferitur de hac Basilica loqui prædictum Pontificalem. Dein Sixtina fuit vocata à Joanne Diacono, (*In vit. S. Greg. l. 4. c. 68.*) & Sacramentalibus libris, Antiphonariis, & Missalibus ordinatis sub Gregorio Magno, & in ejus Epistolaram Regesto, quia, ut dicitur in eodem Pontificali: *Hic Sixtus fecit* (alii Codices melius habent *refecit*) *Basilicam S. Mariæ, quæ ab antiquis Liberii denominabatur &c.* Consonat inscriptio: *Sixtus Plebi Dei*; quam Baronius ait etiam num legi in hujus Templi arcu maximo. Eximiam profecto fuisse oportet, hanc Sixti accessionem, cum ex ea Liberii nomen,

men, & memoria pene interiisse videatur.

3. &c. Postea circa dimidium VII. Sæculi, collocato per Theodorum Pontificem in hac Basilica Præsepi Christi *D. Sanctæ Mariæ ad Præsepe* nomen fuit sortita. Sic enim eam appellat citatum Pontificale in vita Theodori, & sequentium Pontificum, Calendariumque Romanum Sæculi VIII. a Frontone illustratum. (*In Dom. Pasche.*) Denique Sæculo VIII. *S. Mariæ Majoris* nomine appellatur a Ponticali in vitis Pontificum Gregorii IV. & Sergii VII. cujus nomen magnificentiæ illius Templi adscribimus. Qui plura cupiat, adeat Archiepiscopum Batellum. (*De Ritib. aper. port. Sanct. p. 31. & seq.*) Addimus appellari etiam *S. Mariæ ad Nives* in Martyrologio, Breviarioque Romano, pia enim quidam traditio est, Joannem, Patritium Romanum, ejusque Conjugem, Liberio Pontifice, cum Liberis carerent, ad quos eorum hæreditas deferretur, omnia sua bona vovisse B. Virgini, quam impensissime obsecrabant, ut sibi speriret, quid de iis bonis fieri vellet; quod B. Virgo præstitit. Nonis enim Augusti, quo tempore gravissimi Romæ sunt calores, rix in Exquillinum collem delapsa est; uterque interim conjux una cum Liberio in somnis fuere admoniti, ut in ea Exquillini parte nive tecta Templum extruerent, suæque nomini dedicarent. Quamobrem Pontifex cum Cleri, & populi processione se ad collem contulit, quem nive tectum invenit, ac in eo locum Templi designavit, quod dein Joannis, ejusque uxoris sumptibus a Pontifice fuit extractum.

7. &c. Hæc ex Breviarii Lectionibus, in quibus profecto deest aliud miraculum relatam in vetustis Lectionibus, apud Paulum de Angelis, (*Tract. de Basilic. S. M. Major. lib. 2. c. 2. p. 24.*) & in vetustioribus quibusdam Breviariis membranaceis, apud Florentinum, quorum unum Parmensis erat Ecclesiæ, alterum ad Eremitarum S. Augustini usum; nimirum Liberium suis manibus cepisse terram effodere, quæ sponte debiliens ostendit, quo fundamenta jaci oporteret. Verum, cum Lectiones, quæ hac die leguntur, a S. Pio V. teste Gavanto, (*Secl. 6. d. 10. de Fest. Sanct. men. Augusti, num. 5.*) emendatæ, hujus miraculi non meminerit, propterea nos de ejus probabilitate nihil detrahentes, Nivis miraculum solummodo commemoramus. De eo formidat Tillemontus, (*Tom. 6. Nov. 83. de Arianis.*) eo quod non nisi Breviariis fultur, quorum narrationes fere quotidie cor-

rigantur, & Basilicæ hujus dedicationem ad tempora refert Sixti III. cui opinamento ansam præbent verba citati Pontificalis, dicentis de Liberio: *Fecit Basilicam nomine suo juxta macellum Livie*; vel, ut accuratius legit Blanchius; *nomini suo*: notum autem est, ex D. Iliodoro, (*Lib. 15. de Origin.*) & aliis, Basilicam, apud veteres, significare ædes magnificas; & Rege dignas. Verum in præfatæ Ecclesiæ Archivio vetusta extant monumenta, quæ probant Liberium Basilicam hanc dedicasse, & sub Altari magnæ Capellæ a Sixto V. extractæ, etiamnum extat oratorium a Liberio consecratum. Videatur Florentinus. (*Exter. 12.*)

12. &c. Tillemontio consentit Bailletus, (*Ad Augusti, num. 27.*) more suo miraculis incredulus, huicque de nivibus opponit, incompertum esse hujus historiæ auctorem: spatium mille annorum tantam rem silentio oppressam: nusquam, præterquam in Breviariis, aut in Petri Natalis Catalogo, hujus rei reperiri vestigia. Verum, teste Paulo de Angelis, (*Tr. de Basil. S. M. Majoris, l. 2. c. 1.*) due in archivio aservantur Bullæ, Nicolai IV. an. 1287. una, altera Pii II. an. 1453. in quibus Nivis miraculi mentio. Petrus autem Natalis, ex Bollandio, (*Præfat. gener. ad vitas SS. §. 4.*) S. Antonini qui obiit ann. 1459. fuit fere suppar; adeoque ex Miræo, scripsisse oportuit an. 1470. Eodem de Angelis teste, cum aliis, prædicti miraculi meminere etiam vetera manuscripta Romanis Tabulariis custodita; Auctoresque etiam tum Romani cum Baronio, (*In Not. ad Martyr.*) tum exteri cum Canisio, (*De B.V. Deipar. pag. 779.*) Sigonio, (*Tom. 1. de Occid. Imper. p. 240. novissima edit.*) & aliis. Breviariam quoque Romanam Lateranensem, Vaticanam, Liberianam, Cassinensem, etiam post reformationem S. Pii V. Quæ omnia certam quandam moralem conficiunt evidentiam de Nivis miraculi veritate. Licet autem plura Liberiam inter, & Nicolaum sæcula intercesserint, in quibus nullum miraculi extet monumentum; attamen, cum semper pia, constantque fuerit traditio, communisque accedat Scriptorum consensus, Summi Pontifices judicarunt, verum esse Nivis miraculum, & ut verum promulgarunt, confirmaruntque; nam, ut bene notat Papebrochius: (*In Respons. ad P. Sebast. par. 2. p. 365.*) pia traditio, si insequentium temporum magni ponderis documentis probetur, minime corrumpitur, etiam si monumentis coævis sit destituta. In hoc etiam conveniunt Bollandistæ. (*Tom. 1. mens. Augusti.*)

17. 18. Jam vero ex Diplomatum Honorii III. Alexandri IV. & Nicolai IV. apud Raynaldum, (*Ad ann. Ch. 1223. num. 22. & 1288. num. 42.*) constat hujus Dedicacionis Festivitatem in ea Basilica XII. saeculo celebrari consuevisse. Neque ex hoc conficitur, in aliis Romae Ecclesiis tunc fuisse celebratam; ejus enim nulla sit mentio in Calendario Basilicæ Vaticanæ a Cardine Thomaso edito, & in aliis Martyrologiis Saeculi XIII. apud Sollerium. (*In Not. ad Martyr. Usuard. ad 5. Augusti.*) Facit etiam, quod Gregorius IX. uti Pagnius observat, (*Tom. 3. Brev. Ro. Pontific. in vit. Greg. IX. n. 32.*) S. Dominico a se canonizato, 5. Augusti diem festum assignavit, quod certe non fecisset, si hic dies celebrando Festo B. Mariæ ad Nives tota Urbe, & Orbe esset constitutus. Itaque saeculo XIV. ad totam Urbem ea Festivitas fuit extensa; eam enim inter festivitates Romæ celebratas recenset Radulphus Tungrensis. (*Proposit. 22.*) Demum ad universam Ecclesiam extensa est de mandato S. Pii V. qui Officium a se emendatum universo orbi Catholico recitandum proposuit. Denique quarunt aliqui causam tantæ Solemnitatis in universum Orbem propagatæ? Et certe non provenit ex eo, quod Ecclesia S. Mar. Majoris omnium prima fuerit B. Virgini in Urbe dicata, prius enim B. Mariæ dicatum est Templum, S. Mariæ Trans Tyberim a Calixto I. uti legitur in ejus vita. Quapropter dicendum cum Guyeto, (*De Fest. prop. Sanct. l. 1. c. 6. qu. 13.*) & aliis, ex Nivis astivæ celebritate miraculi, hanc Festivitatem suam traxisse originem, & in universum orbem fuisse propagatam.

C. A. P. U. T. VIII.

De Festo Assumptionis B. V. ad diem 15. Augusti.

1. &c. **B**eatissimam Virginem non fuisse mortuam obfirmate negare aliqui ausi sunt, apud Macedo; (*De clavib. Petri Tom. 1. l. 4. p. par. 2. de pet. orig. sect. 3.*) ex ea ratione, quod mors, ex Apostolo (*Ad Roman. c. 5. v. 12. & c. 6. v. 23.*) peccati originalis pœna est, a quo B. Virgo omnino fuit immunis. At quis nescit, apertam in Scriptura (*Psal. 88. v. 49. Ad Hebr. c. 9. v. 27.*) extare Legem, mori omnino oportere eum, qui natus fuit? Unde licet Maria non fuerit morti obnoxia propter originalis pœnam, fuit tamen illi

obnoxia propter naturæ conditionem, quæ cum contrariis rebus sit conflata, tandem corrumpi necesse est; atque hæc est communis omnium doctrina. Ipse etiam Christus, Augustino monente, (*Lib. 2. de peccat. merit. & remission. c. 29.*) quamvis, ut Fides docet, nulla originalis labe contactus, cum tamen carnis nostræ similitudinem assumpserit, tandem esset moriturus pro naturali hominis conditione, ætati succedente ætate, nisi in ipso ætatis flore fuisset necatus. Addit Raynaudus (*In Diptychis Marian. t. 7. n. 5. p. 124.*) expeditius dici posse B. Virginem præservatam fuisse ab Originali quoad alios effectus, sed quia filia Adæ erat, pœnalitatibus nostratibus, quæ ipsam non dedecerent, inter quas est mors, fuisse obnoxiam. S. Epiphanius, (*Hæres. 78.*) ex versione Jani Cornari de B. Virginis morte dubitat, sed dubitatione tali, ut in neutram partem inclinet, nec damnet asserentes, B. Mariam obiisse. Subdit Canisius, (*Lib. 5. de B. M. Deip. V. cap. 2.*) hac Epiphaniæ dubitatione nihil communi Græcorum, & Latinorum detrahi Sententiæ, quæ B. Virginem obiisse statuit, nam unius, aut alterius Doctoris opinio eam vim non obtinet, ut aliis aliter meliusque sentientibus præjudicium asserre, multo minus, ut communem Ecclesiæ fidem, sententiam, atque auctoritatem labefacere possit, aut debeat. Qua ratione Epiphanius ignosci possit, vide apud Baronium. (*Ad ann. Chr. 48. num. 11. 12.*) Neque ex Evangelistarum silentio Epiphaniæ dubitatio augetur; notum enim est Evangelistas solum res gestas Christi usque ad Ascensionem scripsisse, & Apostolorum, usque ad eorum profectioem ad Evangelium disseminandum, & quoad Petrum, & Paulum, usque ad 4. Neronis annum, seu Christi 63.

5. 6. Itaque concludendum, B. Mariam obiisse, ejusque animam corpore fuisse seclusam, veramque esse hanc Ecclesiæ sententiam Traditione innixam, ut innuit S. Gregorius in Sacramentario, qui in Missa Assumptionis B. Mariæ ait: *Veneranda nobis, Domine, hujus est diei Festivitas, in qua S. Dei Genetrix mortem subit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimitur, quæ Filium tuum de se genuit incarnatum.* Et paulo post: *Subveniat, Domine, plebi tue Genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in Cælesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus;* quæ postrema etiam nunc in Secretis, & Collecta Ecclesiæ recitat. Nunc vero differendum, quo ætatis suæ an-

no, quoque loco e vita migraverit? Annum Virginis emortualem fuisse in extrema fenestrate affirmat indeterminate Andreas Cretenfis; (*Bibliot. Pp. tom. 10. p. 655.*) quinquagesimum septimum ætatis, Hippolytus Thebanus; quinquagesimum nonum, Nicephorus ex auctoritate Evodii; sexagesimum tertium aliqui, apud Baronium, (*Ad ann. Chr. 48. §. 5.*) & tenet Cardin. Bona, (*In Horolog. Ascetic. §. 7. c. 5.*) ex quadam Traditione, numeroque Angelicarum Salutationum, quibus corona Virginis componitur: septuagesimum secundum aliorum opinio, apud Benedictum xiiii. (*Serm. 96. de B. V. M.*) Suarium, a Lapide, & Card. Gottum. At cum Durante (*In Not. ad Revel. S. Brigitt. l. 6. c. 6r. tom. 2.*) dicendum, nihil in hac re exploratum, certumque definiri posse.

7. 8. De mortis loco duæ sunt sententiæ. Quidam putant Hierosolymis accidisse. Sic S. Damascenus, (*Homil. de Dormit. v. 2. præsertim, n. 18.*) qui ex Euthymio narrat, Marcianum, & Pulcheriam voluisse Constantinopolim transferre corpus B. Virginis, quod acceperant Hierosolymis asservari in Æde eo loco extructa, qui Gethsemani appellatur: Juvenalemque Hierosolymitanum Episcopum eis respondisse, sepulcrum quidem illic asservari, non ita vero Ss. Corpus; iriduo enim post B. Virginis obitum Apostolos monumento recluso, nihil præter vestes reperisse e quibus suavissimus spirabat odor. Tum Marcianum, ac Pulcheriam iussisse sepulcrum cum vestibus probe obsignatum Constantinopolim transferri, ac in amplissima Æde S. Mariæ in Blacherinis a Pulcheria extructa collocari. Totum refert etiam Nicephorus. (*Lib. 14. c. 2. & l. 15. c. 14.*) Pro hac sententia stant etiam Urbanus II. Pont. & Guericus Abbas S. Bernardi discipulus, dicens, (*Serm. 2. de Assumptione,*) sepultam in valle Josaphat, ubi & sepulcrum ejus monstratur. Guerrico consentiunt Scriptores aliqui ipso posteriores, ex quibus Quaresmius explicatius narrat, (*Elucid. Ter. San. l. 4. c. 1. & seq. r. 2.*) extra Hierosolymam in media Valle Josaphat, prope Gethsemani sub monte Oliveti sitam esse amplam Ecclesiam in honorem Deiparæ, in qua est B. Virginis sepulcrum, quo ejus corpus ab Apostolis fuit illatum, & unde reviviscens in Cœlam ab Angelis sublata est. Idem sepulcrum se veneratos restantur Adricomius, & Bocardus; (*Part. 1. c. 7. §. 46.*) addens a Turis quoque veneratione aliqua, & osculis coli, ac Petrus a Valle. Quia vero hæc

postrema pugnare videntur cum iis quæ narrat Nicephorus supra, rem componit Florentinius, (*Exercit. 5. ad 18. Januarii.*) dicens; potuisse Pulcheriam non saxeum tumulum, Constantinopolim transferre, sed sacrum illud feretrum, ad cuius contactum prodigia illa emanarunt, quæ habentur in *Historia Transitus B. Mariæ*, quod potuit ab Apostolis in ipsa sepulcrali cellula poni in Assumptionis argumentum,

9. 10. Ab hac sententia aliqui dissentiunt, & ad historiam ex Euthymio depromptam excipiunt; quod ignoretur quisnam ille sit Euthymius historicus, a quo eam hæuserint medii ævi Scriptores supra relati. In his Juvenalem vero Episcopum excipiunt, quod seditionis, multorumque scelerum, corruptarum præsertim Tabularum reus a Cyrillo, & Leone Magno fuerit existimatus; ideoque mendacii suspectus habetur a Serry; (*Cap. 17. Respons. ad Sand.*) nam apud Jurisperitos: *Falsus in uno presumitur falsus in omnibus*; maxime, quia causa subest mendacium suspicandi, ut gloriam scilicet Ecclesiæ suæ amplificaret, cui magna fieret accessio ex B. Virginis obitu, & Sepulcro. Quare secundâ sententia affirmat, eam Ephesi obiisse. Probat ex Epistola Synodica Concilii Ephesini ann. 431. scripta ad Clerum, Populumque Constantinopolitanum, dicente, Nestorium fuisse condemnatum Ephesi, in qua urbe *Joannes Theologus, & Deipara Virgo*. At nova oritur controversia, quod desideretur in oratione verbum. *Aliquando habitaverunt*, vel, *ades habent*, vel, *in honore habentur*, adjungi debere putat Combefisius, quæ existimatio approbatur etiam ab Harduino, Labbeo, & Baronio. (*Ad ann. Chr. 44. nu. 29.*) At ex Natali Alexandro, (*Histor. Eccles. secl. 1. c. 1. a. 3. n. 5.*) licet prædicta recipiatur addictio, non inde conficitur, B. Virginem Ephesi obiisse.

11. 12. Verum mirari se dicunt secundæ sententiæ AA. adlaborare alios in quærendo supplemento orationi Synodicæ epistolæ, cum juxta Græci sermonis elegantiam, verbum est, aut sunt oporteat subintelligere: Cum autem D. Joannes, & B. Virgo ibi viventes non sint, conficitur intelligendum esse de eorum sepulcris. Hæc sententia, ex Bailletto, (*In vit. Ss. Mariæ V. 15. Augusti §. 2. n. 8.*) Tillemontio, (*Not. 16. ad vit. B. V. M.*) & aliis ad veritatem multum accedit. In hac etiam controversia Benedictus XIV. nullius partes sequitur, contentus diversas recensuisse sententias, earumque fundamenta. Illud solum explo-

ratum esse ait, B. Mariam obiisse, ejusque animam a corpore fuisse sejunctam, statimque, nulla interjecta mora, non modo visione Beatifica fuisse præditam, sed etiam ad Empyreum sublatam, super chorosque Angelorum fuisse exaltatam. De animabus enim illis, quæ sine omni peccati macula post Baptisma decessere, definiuit Eugeni-
IV. (*In Decr. Union. Sef. ult. Conc. Florent.*) Innocentius IV. (*Constit. Sub Cathol.*) & Benedictus XI. (*Extrava. Benedictus Deus.*) in Cælum mox recipi, totamque Trinitatem clare, sicut est, intueri. Corpore etiam in Cælum assumptam infra dicemus. Dicere autem animam B. V. Mariæ corpori toto eo tempore, quo jacuit in sepulcro, adstitisse, aut Angelorum stipatam comitatu ad inferos descendisse, ut majestatis suæ præsentia demones perterrefaceret, ex Saxio, (*Tom. 2. de Laud. Mariæ, p. 227. lit. D.*) somnia sunt, vel deliramenta.

13. &c. Jam de V. Mariæ Assumptione, quæ ab Christi Ascensione in eo discrimi-
natur, quod Ascensio sit animæ, & corporis virtute propria in Cælum consensus; Assumptio autem sit gloriosa quædam animæ, & corporis, post reditum ad vitam, in Cælum privilegio speciali translatio. Ita D. Petrus Damiani, (*Sermon de Assump.*) & alibi etiam idem Benedictus XIV. (*Lib. 1. de Canoniz. Sanct. c. 42. n. 15.*) ubi ex dignitate, excellentia, virtutibusque Deiparæ egregie colligitur, B. Virginem in Cælum corpore, & anima fuisse assumptam, quod confirmat etiam Claudius Joly, (*Dissert. de Verb. Ujuard. p. 14.*) & fute Canisius, (*Lib. 5. c. 5. de Mar. Decip. V.*) proferens Patrum, & Theologorum testimonia, quibus Assumptionis privilegium abunde probatur. At cum aliqua testimonia ex Patribus deducta præsertim Augustino, Athanasio, & Hieronymo, iis, ut volunt Critici, falso attribuantur, licet Patrum nomina in fronte præferant, dicimus propterea I. De Assumptione fuisse primævæ Ecclesiæ vetustissimos Patres, medii tamen ævi, postremæque ætatis tum Græcos, tum Latinos, eam disertissime tradidisse. Ex Latinis Gregorius Turonensis, (*Lib. de Miraenl. c. 4.*) & Ildefonsus Tolertanus, (*Sermon. 6. de Assumpt.*) VII. sæculi scriptor; S. Petrus Damiani, (*Serm. de Assumpt.*) Fulbertus, (*Ser. 2. de Natio.*) & Petrus Blefensis, (*Serm. 28. de Assump. qui XI. & XII. sæculo florere.*) Ex Græcis VII. VIII. sæculi occurrit Andreas Cretensis, (*Orat. 2. de Laud. Assum. V.*) Germanus Constan-

tinopolitanus Patriarcha, (*Orat. 1. de Dorm. Deipar.*) & Joannes Damascenus (*Orat. 2. de Dorm. M. V. n. 14.*)

16. 17. Secundo: Hanc esse communem Theologorum sententiam cum D. Thoma (*3. part. q. 27. a. 1. & Opus. 4. in cap. Salut. Angelicæ.*) Tertio: In hanc sententiam Ecclesiam venisse, uti colligitur ex Oratione Missæ hujus diei a nobis data num. 5. In qua maxime notanda sunt illa verba *Nec mortis nexibus deprimi potuit*; per quæ nihil aliud, quam corporis corruptio significatur, a qua per triumphalem in Cælum Assumptionem liberata est. Insuper in Gallicano, Gothicoque Missali ante non-
gentos annos scripto, & a Card. Thomasto, & Mabillonio edito, in Assumptionis Missa post nomina leguntur hæc in Collecta: *Fuis precibus Dominum imploremus, ut ejus indulgentia illuc defuncti liberentur a Tartaro, quo B. Virgo translaturum corpus est de sepulcro.* Et in Præfatione Sacerdos B. Virginem in hunc modum alloquitur: *Recte ab ipso suscepta es in Assumptione feliciter, quam pie suscepisti conceptura per Fidem, ut quæ terra non erat conscia, non teneret rupes inclusa.* Baronius ait, (*In Not. ad Mart. Roman. ad 15. August.*) Ecclesiam propensio-
rem videri in hanc sententiam, eo quod in hac Solemnitate legere præcipiat Damasceni, & Bernarai Homilias, disertissime tradentes, B. Mariam corpore, & anima in Cælum fuisse assumptam. Hoc denique Ecclesia Græca non solum testatur in Menologio, (*Ad 15. August.*) sed confirmat etiam in Hierosolymitana Synodo a Dosithoe ann. 1672. habita adversus Calvinistas. (*Cap. de cul. Sauct.*)

18. Postremo dicimus, Assumptionem B. Mariæ non esse articulum Fidei, ut contra Cajetanum contendit Catharinus; (*Lib. 4.*) quia, ut observat Suarez, (*3. part. quest. 37. a. 4. dis. 25. Sect. 2.*) Assumptio neque est ab Ecclesia definita, neque est testimonium Scripturæ, quod aliter explicari non possit; neque Traditio, quæ infallibilem faciat fidem, ad Assumptionem evehendam ad gradum articulo-rum Fidei. Nihilominus cum Ecclesia sensus, etiam tacitus, contemnendus non sit, ut vel imple-
monet Causebonus, (*Exer. 14. §. 11.*) summæ temeritatis reus crederetur, im-
mo & ex Joly impius, blasphemus, stultus, & mentis omnino expers, qui tam piam religiosamque sententiam hodie rejicere, impugnareve, auderet; vehementer apud Gottum, (*Part. 2. t. 4. de verit. Religio-
Christ.*)

Christ. c. 41. & 2. n. 20.) de hæresi foret suspectus; non quod Catholicæ adfaretur Fidei, sed quod præsumi posset eum judicare B. Mariæ venerationem per errorem ab universali Ecclesia proponi. Videantur Canisius, (*Lib. 5. de Deip. V. c. 5.*) Natalis Alexander, (*Hist. Ec. sæc. 2. c. 4. §. unico*) Raynaudus, (*Dipt. Marian. t. 7. p. 220.*) & alii quamplurimi.

19. Obstare tamen videtur 1. Non ita fidenter Patres, præsertim Epiphanium, Auctorem Epistolæ seu Sermonis de B. Virginis Assumptione Sphronio attributi, Bedam, (*De Locis Sanctis. c. 6.*) & alios de Virginis Assumptione fuisse locutos: Ambrosium dicere, (*Lib. 1. Sic Interpret. Moral. in Job. c. 6.*) solum Christum revixisse, nunquam morituram. 2. Sic festum annunciari olim consuevisse: *Dormitio Sanctæ Dei Genetricis Mariæ, cujus Sanctissimum Corpus est non invenitur super terram, tamen pia Mater Ecclesia ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quo autem illud venerabile Spiritus Sancti Templum nutu, & consilio Divino occulta um sit, plus eligit sobrietatis Ecclesie cum pietate nescire, quam aliquid frivolum, & apocryphum inde texendo docere, ut habetur in Ufuardi Martyrologio, (Ad 15. Augusti) diu olim in Ecclesiis legi solito, & teste Pagio, (In Critic. ad Baron. anno Chr. 778. uum. 4.) etiam in Romana. Consenat Ado Viennensis, (*Lib. de Festiv.*) præter alia Martyrologia, quæ indicat Sollierius (*In Not. ad Martyrol. Ufuard. T. 7. mens. Junii.*) Bollandiani operis continuator. *Mortis* autem nomine appellari a Novella Emmanuelis Comneni, & a Græcorum Euchologio, juxta ea, quæ observavit Hugo Menardus. (*In Lib. Sacram. S. Greg. p. 174.*) *Pausationem* denique nominari a duobus vetustissimis Calendariis Romanis ab Allatio, & Frontone editis, ab Evangelisterio Vaticanæ Basilicæ, aliisque vetustis Codicibus.*

20. &c. Sed ad 1. respondetur, Patribus, qui de B. Mariæ assumptione vixi sunt dubitasse, alios objici, qui diserte eam tradiderunt: longe autem majus robur affirmantis dictum, quam dubitantis. Deinde exploratum est, aliquorum Patrum dubitationem innixam fuisse in falsa exultatione, quod fœtus esset genuinus Hieronymi Sermo de Assumptione, cujus Auctor controversiam hanc dubiam relinquit. Sed sermonem illum falso tribui Hieronymo, observarunt Criti-

ci, quod pariter dicimus de objecto Bedæ libro de *Locis Sanctis*. Insuper Epiphanius non de Assumptione dubitat, sed Morte. Ambrosius denique locutus fuit tantummodo de Resurrectione de jure debita, non de privilegiata, quæ B. Virgini fuit concessa. Accedit, probabilitate non carere dictum aliquorum cum S. Ignatio Martyre, Origene, Eusebio, videlicet eos, qui in Christi morte revixerunt cum Christo anima, & corpore in Cœlum esse sublato: cur ergo hoc privilegium non concederetur B. V. Mariæ? Ad 3. Ufuardi, & Adonis Martyrologia, licet Festum annuntient nomine *Dormitionis*, ejus tamen Privilegium *Assumptionis* nomine pronuntiant. Quæ propter merito Baronius (*Ad an. Chr. 43.*) exclamat: *Cur hæc inconsistentia sermonis? Cogor equidem cum Apostolo dicere: Currebatis bene, quis vos impedit? At licet Dormitionis vox admitatur, male arguitur, certum non esse B. Mariam corpore, & anima in Cœlum non fuisse assumptam; nam Auctores etiam Dormitionis voce utentes, præsertim Damascenus, illud expresse affirmarunt. Quod autem ad Pausationis appellationem attinet, dicendam per eam vocem Mysterium innui B. V. Mariæ in Cœlum assumptæ. Pausationis enim nomine in re, de qua agitur, exiguum illud temporis spatium significatur, quo inter amissam vitam, & ad eandem reditum B. Mariæ corpus jacuit in sepulcro. Denique Dormitionis, Mortis, & Pausationis voces sæpe ab Ecclesia sunt adhibite ad hanc Festivitatem significandam, quin piæ sententiæ de B. Virgine in Cœlum assumpta, ullum fieret præjudicium.*

23, 24. Itaque dicendum cum Rocc, (*T. 1. opedit Roma. an. 1719. p. 213.*) Jacob Pamelio, (*In Not. ad Epist. S. Cypriani. 24. n. 13. ad finem.*) & aliis quamplurimis, rei vim non in una magis, quam in alia ex memoratis vocibus positam esse, semperque Virginis Assumptionem exprimi, quocumque ex his nominibus appelleretur; Patres enim promiscue utuntur his vocibus. Gregorius Turonensis (*De Gloria Confessor. cap. 49.*) mentionem facit *Assumptionis S. Aviti*; Eusebius dicit, (*Lib. 4. de vit. Constantini c. 64.*) Constantinum ad *Deum suam assumptum*; Gregorius Nazianzenus (*In Panegyric. in Gorgoniam.*) sororem suam Gorgoniam *fuisse assumptam in Cœlum*. Sed hæc assumptio, utpote solius animæ, ab illa B. Virginis merito discriminetur, quæ fuit corporis, & animæ, ista totalis & completa, illa diminuta &

portialis. Unde concludendum, quod licet voces *Dormitio, Mors, & Pausatio* satis expriment Virginis in Cœlum elevationem, attamen Assumptionis vocem adhibendam ad hunc solemne triumphum explicandum. Ea enim utitur Ecclesia Occidentalis ad 15. Augusti in Martyrologiis Romano, & Florentino, & in brevi etiam Martyrologio Hieronymiano a Martene (*In novo Anecdotorum Thesaur. T. 3. p. 1559.*) edito, cujus vetustas censetur fere mille annorum; in Morbaccensi, (*p. 1568.*) & Gallicano. (*Tom. 6. collect. Script. & Monumen. veter. pag. 668.*) In Calendariis itidem veteri uno aute septingentos annos scripto, (*T. 5. p. 76.*) altero Bodæ qui etiam dicitur *Annalis Liber.* (*T. 6. p. 645. collect. Scrip. & Monumen. Veter.*) In Gallicano, (*Pag. 668.*) in Stabulensi, (*Pag. 674.*) in Stabulensi, Verdunensi, (*Pag. 681.*) & quamplurimis Martyrologiis operi Bollandiano intertis; (*T. 7. Junii*) & in aliis denique, ut sexcenta sileamus, quæ vel in Vaticana, vel in Christianæ Svecorum Regiæ, vel in Cardinalis Ottoboni Bibliothecis custodiuntur. Postremo: celebris etiam proclamatur in Jure Canonico (*Can. 1. de consecrat. dist. 3. & c. ultimo de Febris*) hæc solemnitas, inter primariasque B. Virginis habetur ab Ecclesia; imo & Nativitatis Deiparæ Festo præstantior, ut notat Glossa Canonica; (*In cap. Alma Mater de sent. Excom. in 6.*) ex Suario enim (*T. 1. de Relig. l. 2. c. 8. n. 13.*) hoc Festum maxime proprium est ipsius Virginis, & inter Festivitates ejus habet quandam excellentiam; quia gloriam, præmium, ac triumphum Ss. Virginis nobis repræsentat.

25. Jam de obitus die, ac resurrectionis. Diem obitus fuisse 18. Januarii arguunt aliqui ex eo, quod in eo Depositionis Virginis meminerit Ecclesiæ Occidentalis vetustissimum Martyrologium a Florentino editum. In aliis Martyrologiis ad diem 23. Septembris fit mentio secundæ Assumptionis B. Mariæ, idque ex ea opinione traxit originem, quod 40. dies post obitum redierit ad vitam quæ opinio nititur revelationi facta S. Elisabethæ Diocesis Trebientis anno 1165. mortuæ. Cæterum hanc visionem neque D. Antoninus probat, neque Beletius, neque alii eruditi apud Florentinim. (*In Not. ad Martyrolog. 15. Augusti.*) Alii igitur affirmant, eam 13. Augusti obiisse, & 15. rediisse ad vitam: alii ejus corpus 15. diebus jacuisse in sepulchro. Sic habetur in S. Brigite Revelationibus; (*Lib. 6. c. 63. l. 7.*

c. 26. n. 2.) nisi forte, ut vult Durantus, (*In Not. ad cit. c.*) pro *quindecim diebus* legendum sit: *aliquantis diebus*. Ex quibus patet, utrumque diem esse nobis incertum. In hoc tamen communior sententia convenit, quod triduo post mortem subsequuta sit resurrectio, ac in Cœlum Assumptio. Sic Juvenalis Hierosolymitanus Episcopus, Damascenus, Andreas Gretensis, Metaphrastes, Nicephorus, & alii apud Azor (*Instit. Moralium T. 2. l. 1. cap. 20.*) ut sic constaret, inquit cit. Azor, *vere eam obiisse, & Filio post triduum ex mortuis resurgenti firmiter fuisse*. Hinc consulto Ecclesia eodem die memoriam recolat mortis, resurrectionis, & in Cœlum Assumptionis.

26. 27. Valde antiquam esse hujus Festi vigiliam cum jejunio, colligitur ex eo, quod Nicolaus I. Pontifex creatus anno 858. (*In Resp. ad Bulgaror. q. c. 4. in collect. Concilior. Labbei T. 8. p. 518.*) de hoc jejunio, sicut de Quadragesimali, Temporum post Pentecostes, & ante Christi Natale, dicat, S. Romanam Ecclesiam, ea antiquitas suscepisse, & tenere. Apud Orientales, teste Bailletto, (*Ad 15. Augusti §. 13.*) jejunium hoc incipiebat ab Augusti Calendis, neque usque ad diem 15. interrampebatur, nisi posttridie Nonas in honorem Transfigurationis D. ejusdem Festi octavam S. Leo IV. instituit. Accidit enim circa anno 847. ut prope Ecclesiam S. Lucie in Orphea quidam Basilifcus lateret, qui pestilenti suo anhelitu omnes necabat, quotquot ad ejus latibulum accedebant. Ad hanc populi stragem arcendam decrevit Pontifex, ipso Assumptionis die, præunte Virginis Mariæ imagine, cum Cleri sui comitatu ad illud accedere latibulum, ante quod populum sequentem consistere faciens, Deum obsecravit, ut B. Mariæ V. intercessione ab illa peste populum liberaret; votique compos factus est. In ejus autem beneficiis memoriam, octavam Assumptionis instituit, teste Pontificali, & Sigeberto. (*Ad an. Chr. 857.*)

28. Quidam affirmant Assumptionis Festum ab Apostolis institutum. D. tamen Bernardus (*Ep. 174.*) innuit, institutam ab Ecclesia: quo autem tempore, difficilius dictu est. Quidquid autem sit de Gallia: in ea enim, licet Ludovicus Pius illud celebrari jufferit, ut constat ex Capitularibus, (*Lib. 2. c. 35. p. 748. & l. 6. c. 189. p. 955.*) tamen antiquior mentio habetur dicti Festi in Regula Crodegangi qui vixit sub Pipino Rege Ludovici Patris avi. De cætero constat

ex Libro Pontificali, Sergium Papam, qui vixit sæculo VII. hujus Festi meminisse, ut videre est supra hoc l. c. 3. n. ult. ac proinde ante Sergium institutum est; immo & ante sæculi VI. finem, in quo Mauritius, ut colligitur ex Nicephoro, (*Lib. 17. c. 28. p. 779.*) hujusmodi Festivitatem a 18. Januarii in 15. Augusti transtulit. Ex quo cum aliis recte arguit Barouius, (*In Not. ad Martyrolog. ad diem 15. Augusti* ante Mauriti tempus institutam jam fuisse Assumptionis Solemnitatem.

C A P U T IX.

De Fæsto Nativitatis Beatissima Virginis. Die 8. Septembris.

1. &c. **N**atalitius Sanctorum dies apud Scriptores, Eusebium (*Homil. 50. in Genes.*) Emissenum præsertim. & Rabanum, (*De Institut. Cleric. c. 43.*) ille vocatur, in quo ab hac ad beatam vitam commigratur. Hæc est enim Ecclesiæ præxis in memoria Sanctorum celebranda; Christi autem, & Baptiste uterque die celebratur, & natalitius, & emortualis; ex quo colligit Carthusius, (*Lib. 1. de Maria V. Disp. c. 11. p. 82.*) post Gerson, (*Serm. de Nativit. B. V.*) potiori jure celebrandum B. Mariæ emortualem diem æque, ac natalitiam; cum Baptista fuerit tantum præco Redemptoris; illius autem Mater Virgo Maria; Baptista sine peccato natus, Maria sine illo concepta. Næc sine miraculo Festum hoc celebrari cœpit, ut innuit cit. Gerson, & quoddam Martyrologium apud Solerium, (*In Not. ad Martyrolog. Usuard. 8. Septemb.*) nec non S. Antoninus, (*Part. 4. tit. 15. c. 6. §. 2. in principio.*) & alii. Cum enim quidam Eremita octava Septembris sæpenumero cœlestes concentus audisset Deum obsecravit; ut quid illi significarent concentus sibi palam faceret, Voti compos factus, accepit, ad B. V. Nativitatem solemniter celebrandam fieri; inde Romam veniens, Pontificem monuit, qui hanc Festivitatem instituit. Nos vero nihil de narrationis veritate imminuentes, averfantisque audaciam Hospiniani, visionem memoratam *illusionem Satanicam* appellantis, Festivitatis originem investigamus.

4. &c. Et non esse referendam ad tempora D. Augustini, ut nonnulli volunt, affirmamus; quia S. Doctor testatur (*Sermon. 287. & 292. de Ss. alias 21. 22.*) solummodo Natales Christi, & Baptiste dies in Ecclesia celebrari consuevisse, quod teste Suario, (*De Relig. T. 1. l. 1. c. 8. n. 4.*)

& aliis valide probat Augustini ætate nondum Mariæ Nativitatem celebrari consuevisse. Neque faciunt verba illa: *Guadeat terra nostra tanta Virginis illustrat Natali*, quæ in sermone Augusti hac die leguntur; quia verbum *Natali* deest in genuino sermone, qui non in Nativitate, sed in Annunciatione fuit habitus; ibique legitur: *Solemni die*, loco vocis *Natali*. Quæ quidem levicula mutatio facta fuit ab Ecclesia, ut sæpe assolet in Antiphonis, Responsoriiis, & Lectionibus, quæ Solemnitati congruant, cui aptantur. Hujus Solemnitatis meminit S. Ildefonsus, sæculi VII. Scriptor; (*perpetua Virginis. S. Maria T. 12. Biblioth. Patr. p. 566. lit. E. & lit. F.*) Sacramentarium S. Gregorii, (*Pag. 128. ex edit. Menardi.*) & Codex Sacramentorum Ecclesiæ Romanæ, qui creditur esse S. Leonis Magni, aliorumque Prædecessorum Pontificum. In hoc (*Lib. 2. c. 172.*) ponitur, Missa cum propriis orationibus in hoc Nativitatis Fæsto. Quin & liber Pontificali in vita Sergii 1. supra adductus c. 3. n. ult. Quod autem ad Galliam attinet, conjici potest anno 813, nondum in ea vigere; nam Concilium Moguntinum eo anno celebratum, alias Festivitates recensens, de hac tacet.

9. &c. Itaque vetus est prædicta solemnitas & sane percelebris in utraque Ecclesia; ad eam enim profusis gaudiis celebrandam universis orbem hortatur S. Petrus Damiani, (*Serm. 2. & 3. de Maria Nativit.*) & D. Bernardus; (*Ep. 174.*) eamque circa medium sæculum XII. inter Festivitates per integrum diem celebrandas posuit Imperator Emmanuel Comnenus. At non semper, ex Florentinio, (*In Not. ad Martyrolog. 8. Septemb.*) 8. Septembris fuit celebrata, licet nunc tam apud Græcos, quam Latinos. 8. Septembris dies celebrationi fuerit destinatus; quæ quidem determinatio dependitur ex veteri Martyrologio a Florentinio divulgato, sed sine vigilia, & jejunio, licet utrumque olim apud Baluzium, (*Breviar. Roman. Pontific. T. 4. in vit. Gregor. XI. num. 32.*) & alios, Gregorius XI. præceperit; seu potius suaserit, ut existimavit Pagius (*F. 1. p. 439. in vit. Gregor. XI.*) & Galestinus. (*In Not. ad Martyr. p. 159.*) Octava autem initium cœpit ex quibusdam dissentionibus cœortis in Conclavi, in quo creatus fuit Pontifex Cœlestinus IV. Cardinales enim ad vitandas molestias, quas Fridericus II. Imperator illis identidem affererat, ad B. Mariam confugerunt, voveruntque, si sibi pacate licuisset legitimum Pontificem eligere, Festum Nativitatis Octa-

va auctum iri. Innocentius vero IV. electus post Cœlestinum Pontifex, ipse votum Sacri Senatus solvere voluit, Octavamque instituit, ut videre est apud Auct. præsertim Pagium, (*Loc. cit. supra*) & Durandum. (*Lib. 7. cap. 28.*)

12. Denique, cum sacer Textus de Virginis Nativitate fileat, ideo optimum putavimus, & nos de re profus nobis ignota tacere; nisi mulque turbidos aliquorum Scriptorum fontes, falso S. Jacobo Apostolo tributos, omittentes, concludimus cum D. Anselmo: *Virginis Nativitatem magna, atque miranda Divinorum signorum indicia præcurrisse. Quæ tamen illa fuerint, solus ipse sine scrupulo novit, qui eam, antequam nasceretur in Matrem elegit.* (*Cap. 2. de Excellent. Vir.*) Non tamen prætereundum, quod ait cit. Bernardus: *Fuit proculdubio Mater Domini ante Sancta, quam nata: nec fallit omnino S. Ecclesia, Sanctum reputans ipsum Nativitatis diem, & omni anno cum exultatione universa terra votiva celebritate suscipiens.*

13. &c. Nunc de Nativitatis loco, Mariæque Parentibus. Et Mariam natam fuisse Nazarethi affirmat cum pluribus Baronius. (*Apparat. ad Annal. n.*) Nonnulli etiam apud Florentinum, (*In Not. ad Martyrol. 8. Septemb.*) duas Mariæ domos concedunt, Nativitatis unam, Annunciationis alteram. Hierosolymis nram affirmat cum aliquibus Damascenus, (*Lib. 4. de Fide, c. 13. & orat. de Nat. 1.*) Novatus (*De Em. Deip. V. Maria t. 1. c. 4. qu. 2.*) cum aliquibus, qui Terræ Sanctæ loca peragrarunt, Ecclesiam prope Probaticam Piscinam esse tradiderunt, in loco ubi ex veteri Traditione B. Virgo fuit in lucem edita. Patres B. Virginis Ss. Joachini, & Anna fuisse perhibentur. S. Joachini meminit Martyrologium Romanum ad diem 20. Martii, quo quidem die Julius II. anno 1510. Festum ejus celebrari, Officiumque recitari jussit sub ritu duplici, ut videre est apud Bollandistas. (*Die. 20. Martii. p. 78.*) At cum S. Pius V. illius nomen ex Calendario, Breviarioque Romano expungi jussisset, iterum fuit restitutum anno 1584. Gregorii XIII. jussu, teste Thomassino. (*De diem. Fest. cel. lib. 2. c. 22. n. II.*) Reformatum denique, & fere ex integro reconcinatum fuit Officium, teste Spondano, (*Ad an. Ch. 1522. num. 1.*) prout nunc in honorem S. recitatur. De S. Anna quidam Scriptor Italus, nomine Imperialis, aliquibus apocryphis libris deceptus, docuit illam, quin virginitatem amiserit, B. Virginem peperisse; qui quidem

error, ex Tillemontio, (*Nota 3. ad vitam B. V.*) ab Apostolica Sede fuit damnatus ann. 1677. De eadem vero meminit Martyrologium Romanum, (*Ad diem 26. Julii*) aliaque a Sollerio (*In Not. ad Martyrol. Ussardi.*) relata; & Baronio, (*In Not. ad Mart.*) qui affirmat in tota universali Ecclesia Gregorium XIII. Decreto Cal. Maji ann. 1584. Officium duplex de S. Anna recitari, Festumque celebrari jussisse 26. die Julii.

16. 17. At per hoc non est dicendum, Gregorium XIII. cultus B. Annæ fuisse institutorem, sed tantummodo propagatorem, eum firmando, & augendo. Compertum enim est in Orientali Ecclesia, Justinianum I. Imperatorem anno 550. Templum in honorem S. Annæ Constantinopoli ædificasse; & Justinianum II. eidem, ineunte VIII. Sæculo, Ædem construxisse. teste Bailletto. (*In vita S. Anna*) Cæterum de utroque Parente sit mentio in Ecclesia Græca, & Latina; in Græca, apud Chronicon Alexandrinum, (*T. 10. Bib. PP. p. 923.*) cujus Auctor vixit Sæculo VII. item apud Damascenum (*In trib. Orat. de Natal. B. V. M.*) VIII. sæculi scriptorem, & Jacobum Episcopum Edessenum, (*Pag. 491.*) Damasceni coævum, ab omni jam hæresis suspitione per Assemanum vindicatum. (*T. 1. Biz. Or. c. 40. pag. 453. & seqq.*) In Latina apud Pontificale in vita S. Leonis III. qui VIII. sæculo, quando in utraque Ecclesia de cultu Sacrarum Imaginum esset disceptatio, depingi jussit historiam Ss. Joachini, & Annæ in Basilica S. Pauli. Ex quo inferitur, valde antiquum esse in Occidenti hujusmodi cultum; nec tamen D. Bernardi, ut ex eodem colligitur, (*Ep. 174.*) eo pervenerat, ut de iis in universo orbe Festivitas celebraretur: semper enim Occidentalis Ecclesia (ut suo loco dicetur) restitit augendo, & dilatando cultui Ss. Veteris Testamenti. Ss. tamen Joachim, & Annæ cultum auxit, ex eo fortasse, quod post Nativitatem Christi obiere, ac propterea aliquantisper ad Novum Testamentum pertinere videntur.

18. 19. Postremo: Utriusque Sanctitatem, & Cultum deterere sunt conati Centuriatores, alique Hæretici, quorum audaciam fregit Canisus. (*Lib. 1. c. 4. de M. Deip. V.*) Catholici vero aliqui cum Serry, (*Ex 18.*) criticæ fortasse intemperantius indulgentes, cultum Joachini, & Annæ ab Ecclesia tributum probant; sed ut certam eorum Sanctitatem, ita nomen incertum existimant, præsertim quod *Anna* idem sit atque *Gratia*; *Joachim* vero *Præparatio Domini*; quæ

quidem Ss. Maria Parentibus probe conveniunt, nihil tamen ad eorum nomina attingere videntur. B. etiam Petrus Damiani XI. sæculi scriptor, (*Serm. 3. de Nat.*) existimat inanem ab eo operam sumi, qui Parentum B. Virginis quarat Nomina, de quibus nulla fit mentio in Evangelio. Verum cum in Orientali, Occidentaliqve Ecclesia a tot usque sæculis opinio sit; Patrem B. Virginis Joachim, Matrem Annam esse appellatos, haud æquum est huic adversari opinionioni; cum præsertim nihil adversus eam afferatur, quod firmis rationibus non amoveatur. Vide Card. Gottum. (*De ver. Religion. Chris. p. 1. a 4. cap. 3. §. 1. n. 5.*)

C A P U T X.

De festo Nominis Mariæ. Dominica infra Octavam Nativitatis.

I. &c. **D**ominica infra octavam Nativitatis Mariæ Virginis (nisi quid impediatur) celebratur cum Officio Festivitatis Nominis Mariæ. Licet autem ex Evangelio non constet ab Angelo fuisse nuntiatum, aut jussu Dei impositum, uti compertum habemus de Nomine Jesu, & Joannis Baptiste, nihilominus piæ sententiæ S. Antonini, (*Part. 4. tit. 15. c. 14.*) & Christophori de Castro (*Hisp. B. V. c. 2. n. 10.*) affirmanti sanctum Mariæ Nomen ex Angelica inditum fuisse revelatione; quidquam detrahi nolumus. Tanta autem apud Catholicos fuit hujus Ss. Nominis veneratio, ut in ejus reverentiam Alphonsus VI. Castellæ Rex uxorem ex Maurorum stirpe ducere volens, vetuit, ut in Baptismo Mariæ nomen, etiamsi ea vehementer id cuperet, imponeretur: in Tabulisque Matrimonii initii inter Mariam Aloysiam Nivernensem, & Uladislauum Poloniæ Regem scriptum est, inter Conjuges convenisse, ut Maria Aloysia, sublato Mariæ nomine, Aloysia dumtaxat vocaretur. Casimirus denique Poloniæ Rex I. Mariam Russiæ Ducis Filiam uxorem ducens, voluit, ut nomen relinqueret; ex quo usus invaluit in Polonia, ut nulla deinceps femina Maria nominaretur in hujus præclari Nominis venerationem, teste Raynaudo. (*Diplyc. Mar. to. 7. punct. 2. num. 12.*)

4. 5. Quidam Theologi, ut innuit Novatus, (*De Em. Deip. V. tom. 1. c. 4. q. 12.*) affirmarunt, sanctam Mariæ Nomen ex Divina institutione in iis, quæ ad nostram, aliorumque salutem pertinent, mirabiles parere effectus, non solum *ex opere operantis*,

ut dicitur; sed etiam *ex opere operato*, quemadmodum Exorcismi Ecclesiæ. Hec autem sententia minime probatur Raynaudo, (*Loc. cit. n. 21. & 22.*) qui persuaderi cuiquam posse negat, Mariæ Nomen prædictos posse parere effectus, etiamsi nulla sit in invocante dispositio; ut accidit in effectibus, qui *ex opere operato* producuntur. Utrunque tamen sit, hic innuere sit satis, Ecclesiam sapienter approbasse Nominis Mariæ cultum; quem invexit Fidelium devotio. Hæc Festivitas firmata est diplomate Pontificio an. 1513. pro Civitate, & Diocesi Conchenfi in Hispania. Eam a S. Pio V. sublata, restituit Sixtus V. teste Ciaconio, & Raynaudo.

6. Ab Hispania in alias permanavit Regiones, ubi Festivitas die 22. Septembris celebrabatur, juxta opinionem eorum, qui putant apud Hebræos, nonnisi quindecim ab ortu elapsis diebus infanti nomen imponi consuevisse. Nunc vero Dominica infra Octavam Nativitatis Festum hoc peragitur cum Lectionibus secundi Nocturni ex D. Bernardi Sermone in universali Ecclesia, Decreto Innocentii XI. anno 1633. edito, in ejus Victoria memoriam, qua B. Virginis opera Christianorum copiis profligatus Turcarum exercitus ab obsidenda Vienna destitit. Alii qui tum temporis Pontificium Decretum improbarunt; quia Mariæ Nomen equiparari Jesu Nomini distabant; sed merito refutata jam fuit a Battaglino Nucernino Episcopo (*Tem. 4. Anual. ad an. 1634.*) futilis hæc objectio; & ut candide fateatur Bailletus (*Ad diem Sept.*) id minime sequitur ex instituta hac Solemnitate.

C A P U T XI.

*De festo Beate Mariæ de Mercede.
Diei 24. Septembris celebratur.*

Hoc Festum occasionem sumpsit ex Religionis sub hoc nomine institutione. Narrant autem cum multis Salmeron, Illescas, & Spondanus, confirmantque Acta authentica S. Petri Nolasci, Bulla Canonizationis S. Raymundi de Pennafort, Epistolaque ejusdem ad S. Petrum Nolascum scripta, B. Virginem Mariam apparuisse S. Petro Nolasci, S. Raymundo de Pennafort, & Jacobo Aragoniæ Regi, quos monuit Filio suo, sibi que gratum fore, si in sui honorem Ordo Religiosorum institueretur, cujus partes essent præcipuæ, Christianos e Paganorum potestate liberare. Institutus est Ordo sub invocatione B. Mariæ de Mercede.

Redemptionis Captivorum, tribulque votis substantialibus quartum accessit remanendi in pignus sub Paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit: De hoc argumento alibi idem Benedictus XIV. (*Lib. 4. de Canoniz. Sanctor. p. 2. c. 9. num. 10. & seq.*) docens hanc institutam fuisse Solemnitatem, ut B. Mariæ cultus amplificaretur, & ut pro tam singulari beneficio Deo, ejusque Ss. Virgini quotannis gratiæ agerentur; Officium primo Ordini de Mercede fuisse concessum, deinde ad omnia Hispaniæ Regna, ac postea ad Gallias propagatum; denique extensum ad universalem Ecclesiam per Innocentium XII. qui diem 23. Septembris Festivitati perpetuo assignavit.

C A P U T XII.

*De Festo Rosarii Beatissimæ Virginis.
Dominica 1. Octobris.*

1. &c. **R**osarium, ut ex Lectionibus secundi Nocturni constat, precandi certa formula est, qua quindecim Angelicarum Salutatum Decades, Oratione Dominica interjecta, distinguimus, & ad earum singulas totidem nostræ reparationis Myseria, pia meditatione recolimus. Ejusmodi orandi modus Heterodoxorum non nemini displicet, quasi Deiparæ plus patrocinio, quam Dei auxilio confidamus; ac merito per Valentiam, (*Oper. de Rebus Fidei, lib. 2. c. 6. p. 717.*) fuit vindicatus; nam Fideles ad Divinæ Majestatis Thronum volentes dimisse accedere, ingeminatis precibus a gloriosa Deipara flagrant, ut ad Deum illis aditum muniat, atque pro illis ante intercedat, quam ipsum Misericordiarum Patrem invocent. De Rosario scripserunt quamplurimi cum Spondano, & Bzovio, (*Ad ann Christi 1213.*) Continuatores Bollandiani, (*In vit. S. Dominici.*) & alibi ipsemet Benedictus XIV. (*Tom. 4. Canon. Sanct. p. 2. c. 10. n. 2. & seq.*) Quæ hic afferenda erant de Rosarii antiquitate, & qualiter S. Dominico jure, & merito tribuatur, videantur in Synopsi Canonizati. ad cit. Bened. locum.

10. &c. Nunc de origine, & progressu hujus Festivitat. Septima Octobris die an. 1571. quæ fuit prima Dominica mensis, commissum fuit ad Neupactum navale prælium de Christianorum victoria Divinitus fuit admonitus, uti constat ex Beatificationis ejus Processu. In hujus Victoriæ memoriâ fieri

jussit S. Pontifex commemorationem S. Mariæ de Victoria, ut habetur in Martyrologio Romano ad hunc diem; ad illudque adnotat Baronius: (*In Not. ad Mart.*) Christianorum Classem ex Pontificis, Hispaniarum Regis, ac Venetæ Reip. fœdere coactam, captis Turcarum trirēibus 180. cæterisque dissipatis, cunctis sæculis memorabilem victoriam reportasse. Gregorius autem XIII. ut perpetua hujus rei extaret memoria, Solemnem jussit prima Octobris Dominica Festivitatē sub Rosarii nomine peragi; Officiumque B. Virginis novis Lectionibus auctum sub ritu duplici majori recitari, in his dumtaxat Templis, in quibus vel Capella, vel Altare aliquod sub invocatione B. Virginis Rosarii esset erectum. Existimari enim facile potest preces Sodalitatum Ss. Rosarii prima ipsa Octobris Dominica ex more, institutoque processioniter incedentium, B. Maria V. intercedente, ad eam victoriam plurimum contulisse.

14. &c. At Clemens X. Mariannæ Hispaniarum Regiæ precibus ad omnem Ditionem Regis Catholici Festum hoc extendit, etiam si neque Sacellum, aut Altare sub Rosarii invocatione extaret. ut constat ex Bravi sub die 26. Septembris 1671. idque postea a S. Rit. Cong. ad varias Ecclesias in Italia, & extra derivatum est, ac tandem a Clemente XI. ann. 1716. ad totam Ecclesiam extensum, ut constat ex ejus Bullario. (*Pag. 574.*) ea occasione, quod die 5. Augusti Caroli VI. Imperatoris Exercitus magnas Turcarum copias ad Temisvariam in Panonia profligavit, quo tempore Confratres Rosarii Solemnem Romæ processionem peragebant, Deum obsecrantes, ut B. V. Maria intercedente, Christiani nominis hostes impetus frangeret. Pontificis autem jussu Rosarii continuata fuit devotio, & cætera Assumptionis Corcyra etiam Turcarum obsidione fuit liberata. Denique sub Benedicto XIII. pro Lectionibus secundi Nocturni ex sermone S. Augustini, alia propria hujus Festi subrogata sunt.

C A P U T XIII.

*De Patrocinio Beatissimæ Virginis. In
tertia Dominica Novembris.*

1. **O**fficium hujus Festi concessum primo fuit pro omnibus Provinciis Hispaniarum Regi subjectis, uti colligitur ex S. Rit. Cong. Decreto; (*6. Maji. an. 1679.*) postea a Benedicto XIII. omnibus

Ecclesiasticæ Ditionis Provinciis injunctum. Porro hæc Festivitas hoc Catholicorum principio nititur, B. scilicet Virginem in Cœlis pro nobis orare, & intercedere, quæ quidem intercessio nullam Jesu Christo facit injuriam; etsi enim ille magnus sit inter Deum, & homines Mediator, tamen cum B. Virgo pro nobis orat; ejus nomine postulat, nec nisi per ipsum quicquam impetrat; atque Mariæ intercessio vim habet maximam, validioremque, quam sit omnium Sanctorum. Rem hanc Theologicè tractat Suarez, (*In 3. P. D. Thom. T. 2. q. 37. a. 4. disp. 23. sect. 3.*) existimans, B. Mariam, sicut, juxta D. Thomam, (*In 6. 8. Epist. ad Roman. sect. 5.*) uberiori gratia fuit prædita, quam ceteri Sancti, ac præstantiori cultu colenda, videlicet Hyperdulæ; (*3. p. q. 25. ar. 5.*) ita efficacia, & potestate impetrandi non solum singulos Sanctos, sed omnem etiam Cælestem curiam superare, ita ut, si fingatur, quod B. Virgo aliquid postulat totaque Cælestis Curia illi resistat (sicut inter Angelos legimus apud Danielem) præstantior apud Deum esset Virginis Mariæ, quam Cælestis Curia, oratio. Ita sentiunt Ss PP. ab eodem Suariorum citati; estque dignitati Matris Dei maxime consentaneum, & perfectissimæ gratiæ charitatis B. Virginis quodammodo debitum. Eapropter Ecclesia & frequentius, & altiori quodam modo orat ad V. Mariam, tanquam Mediaticam apud Mediatorem, quam ad reliquos Sanctos, apud quos alterius Sancti intercessione minime utitur; Sancti namque omnes ejusdem sunt Ordinis. Hinc est, quod alios Sanctos adhibere solemus intercessores apud B. Virginem, tanquam Dominam, & Reginam, per quam, sicut per collum a capite omnia in Corpus desuunt, Salutationem Angelicam ipsis recitamus ut eam pro nobis B. Virginis representent. Præterea ad hujus, vel illius Sancti peculiarem intercessionem confugimus pro obtinendo hoc, vel illo beneficio; B. Virginis tamen pro rebus omnibus, sine ullo discrimine, opem imploramus.

2. Siquis PP. auctoritates cognoscere cupiat de potentissima B. Mariæ intercessione, adeat Suarium, (*Loc. cit. supra.*) & Spinellum: (*Tract. de Mar. Deip. c. 30.*) apologias autem de laudibus ejusdem Virginis adversus Hæreticos in lucem editas a nostris Controversiarum Theologicarum Scriptoris, evolvet Valentiam, (*Tract. de Rebus Fidei hoc tempore controu. l. 5. de Idololatr. c. 14.*) & Cardin. Gottum. (*De vera Gbr. Eccl. T. 1. c. 9. §. 3. n. 79. &*

seq. & T. 2. p. 2. art. 14. §. 5. n. 32. & seq.) Hæretici cum Calvino nobis exprobant, quod a Deipara petamus, ut ut jubeat, Filium nobis dare, quæ postulamus; idque eruant ex loco S. Petri Damiani, (*Serm. 1. de Nativ. S. Mariæ.*) quo alias B. Virginis apud Filium suum potentiam commendamus: *Accedis enim* (inquit cit. S.) *ad illud aureum reconciliationis Altare, non solum rogans, sed etiam imperans, Domina, non Ancilla.* Ecclesia: & si quis ex Catholicis usus est iis verbis ad commendandam Virginis potestatem, exaggerate fuit loquutus, ad eum modum, quo in Scriptura dicitur: *Obediente Deo voci hominis.* (*Josue c. 10. v. 14.*) Videatur Ven. Canisius, (*De M. Deipar. l. 5. c. 20.*) & Joannes Episcopus Calorientis. (*In tract. de Sanct. cult. & præcione B. V. M. tract. 3. §. 63. 65. & 66.*)

3. Quo autem modo rite, recteque B. Virginem deprecemur, & ad ejus confugiamus patrocinium, vetus Ecclesiæ docet oratio. *Sancta Maria succurre miseris; &c.* ex D. Augustino sumpta; ea etiam secreta in Missa de Vigilia Assumptionis: *Munera nostra, Domine, &c.* celebre itidem Canticum; *Salva Regina &c.* ubi dicitur: *Eja ergo advocata nostra illos tuos misericordes oculos, ad nos converte; & Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Hujus orationis Auctorem quidam faciunt Petrum de Moson Archiepiscopum Compostellanum, qui sæculo x. & ante Episcopatum Monasterii S. Petri ante Altaria in eadem Urbe Abbas extiterat; juxta ea, quæ leguntur apud Mabilonium. (*Tom. 4. Annal. Benedict. ad ann. 985. pag. 38.*) Alii Auctorem putant esse B. Hermanum Contractum Monachum qui sæculo xi. etsi litterarum expertus, intercedente B. Virgine, sic floruit doctrina, ut ætate sua sibi parem haberit neminem. Igitur, cum jam compositum in Ecclesiæ Canticum illud caneretur, S. Bernardus tunc temporis Apostolicus in Germania Legatus a Spirenibus Clericis illud audivit, atque ea statim verba addidit: *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria,* ut haberetur apud Guillelmum Emfengeri, (*In Chron. Spirens l. 12. ad anno 1147.*) & alios cum Canisio, (*Lib. 3. c. 13. de Maria Deipor. V.*) qui magna eruditionis copia ab Hæreticorum maledictis illud Canticum vindicavit.

CAPUT XIV.

*De Feflo Præfentationis B. Virginis.
Die 21. Novembris.*

1. &c. **I**N hac Solemnitate non recolitur Miferium Præfentationis Chrifti a B. Maria in Templo; fed B. Virginis a fui Parentibus, licet in vetuftis Ecclefiasticis monumentis, apud Baronium, (*In Not. ad Marty. die 21. Novemb.*) appelletur *Solemnitas Præfentationis* illa, qua B. Virgo Puerum præfentavit in manus Simeonis. Si iis, quæ vulgo leguntur apud Suarium, (*In 3. p. D. Thom. T. 2. di. p. 7. q. 49.*) & Caniftum, (*De Deipat. V. l. i. c. 12.*) credendum eft, B. Virgo triennis in Templo fuit præfentata, ubi Angelorum opera cibo recreata, ufque ad ætatem nubendo idoneam, vitam egit. Extat Evodii Antiocheni Epifcopi Apoftolorum fupparis fragmentum, apud Nicephorum, (*Hift. l. 2. cap. 3.* in quo hæc habentur: *Trimula cum effer in Templum præfentata, ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos undecim. Deinde vero Sacerdotum manibus Jofeph ad cuftodiam eft tradita, apud quem cum menses peregriffet quatuor, ab Angelo letum illud accepit nuntium.* Evodio fubferibunt S. Gregorius Nyffenus, Joannes Damafcenus, & alii relati a Baronio. (*In Apparar. ad Annal. n. 47. & 48.*) Verum cum illud Evodii fragmentum hodie ab eruditis viris tanquam apocryphum, & a quibusdam Græcis adjectum explodatur, & nec ita fint vetufti cæteri Scriptores memorati; quidam propterea libere negant fidem eſſe adjungendam rei, de qua Veteres PP. & Eccleſiaſtici Scriptores, nihil omnino tradiderint, ut animadvertit Natalis Alexander, (*Hift. Eccl. ſeculo 1. c. 1. a. 3.*) cum aliis. Facit etiam quod Sixus V. ut videre eft apud Graveſonium, (*De Myſt. & an. Chr. diſſert. 1. §. 1.*) auferre juſſit ab Officio, & Miſſa hujus diei Orationem, in qua mentio fiebat de B. Maria trienni Præfentatione, & ſubſtitui præcepit eam, quæ etiamnum legitur. Ut igitur ab incertis certa fecernamus, conſtanter tenendum cum Cardin. Goto, (*T. 4. p. 1. de Verit. Relig. Chriſt. c. 3. §. 4. & 5.*) & Graveſonio, (*In prævia declar. ad tract. de Myſt. & an. Chr.*) B. Virginem fuiſſe in Templo præfentatam; quoto vero ætatis ſuæ anno, quomodo in Templum adducta, & ibi educata, cum nihil de iis rebus invenitur in Eccleſia Latina adoptatum, nec exploratum in Sacris Litteris, Trali-

tionem, aut antiquæ fidei monumentis, ideo nihil de his circumſtantiis affirmandum, aut negandum nobis eſt.

5. 6. Recte monet quidam Recentior præfentationem B. Virginis ex ultronea Parentum voluntate factam, ut ſanctè educaretur in Templo, non ex Lege aliqua id jubente; Lex enim offerendi Deo primogenitos offerre filias non obligabat, quamvis, nec impediret, monente Suario. (*Loc. cit.*) Educationis autem in Templo meminit Scripturâ: narrat enim Regum Hiſtoria, (*Lib. 4. c. 11. v. 2. & 3.*) & Paralipom. (*Lib. 2. c. 22. v. 11. & 12.*) quod Joſaba filia Regis Joram, & Soror Ochoſiæ hujus filium abſconderit in Templo, ne ab Achalia interficeretur, eumque ſecum ſex annis illic habuiſſe. Porro Bailletus affirmat, (*In Hiſt. huj. diei.*) Solemnitatem hanc inſtitutam, ut honor habeatur innocentie morum, quæ inter infantiam, & Annuntiationem in B. Virgine enituit: de quo tamen nihil ſtatui-
mus.

7. &c. Feſtivitas hæc cum officio vetuſtè in Orientali Eccleſia: illius enim recordatur Conſtitutio Emmanuelis Imperatoris, (qui regnare cœpit an. 1143.) apud Balfamonem. (*In Nom. Canone Photii tit. 7. c. 1.*) In Occidentali vero referendum eſt ejus initium ad tempora Gregorii XI. Avenione comorantis, ut videre eſt apud Launojum, (*In Hiſt. Regie Schol. Navarra, p. 1. c. 10. q. 74.*) & conſentiunt Bollandiani *In Nor. ad Martyrolog.* & Bollandiani Continuatores. (*Tom. 8. Maji. p. 10.*) Suſpicatur autem Bailletus, quod non ubique fortaſſe Feſtum hoc illico celebrari cœperit. Conſtat enim multo poſt Gregorium XI. tempore ſcilicet Pii II. in Saxonia celebrari ex devotione, non ex Apoſtolica auctoritate, quam illi poſt impertivit Paulus II. Pii ſucceſſor variis inſuper concedorans Indulgentiis, teſte Molano. (*In Martyr. Uſuar. aucto & in Hiſt. Lombard. c. 84.*) Sub S. Pio V. Romana Eccleſia ab eo celebrando abſtinuit, quamvis celebrantes non vituperet, teſte Ven. Caniſio. (*De M. Deip. V. l. 2. c. 12. num. 96.*) Feſti etiam Officium nonnihil oppugnatum; fed à Sixto V. ſuit reſtitutum, & Feſtivitas demum præcepta, ut patet ex ejus Bulla, (*Conſtit. 7. in Bul. Rom. t. 2.*) in qua etiam teſtatur, *ab antiquiſſimis uque temporibus ſumma ubique Gentium cum veneratione obſervatam* hanc celebritatem. Narrantque Raynaudus, (*Diptyc. Mar. t. 7. op. punçt. 3. num. 1.*) & Kidaneyra, (*De Script. Societ. p. 73.*) Franciſcum Tur-

Turrianum Societatis Jesu plurimum opera contulisse ut Festivitas Præsentationis restitueretur; idem confirmat Nicolaus Antonius, (*Bibliot. Hisp. t. 2. pag. 372.*) qu. testatur, Turrianum Romæ obiisse. Denique Officium, quo nunc utitur, teste Gavanto, (*Beff. 7. de Foster. mens Decembr. c. 13. n. 21.*) correctum, emendatumque fuit sub Clemente VIII.

C A P U T XV.

*De Fesfo Conceptionis B. Virginis.
Die 8. Decembris.*

1. 2. **C**onceptio, ut cum Theologis ait Frassen, (*in Scot. Academ. t. 8. edit. Roman. 1720.*) dupliciter accipi potest, vel enim est activa, in qua Ss. Virginis Parentes ea præstiterunt, quæ maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem, & dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam, vel est passiva, cum rationalis anima cum corpore copulatur. De hac postrema, non de prima, sermo erit. B. enim Virgo in ea ab originali labe fuit immunis, & a communi omnium hominum contagione libera per gratiam Sanctificantem, non eodem quidem modo, quo Hieremias, & Baptista in utero Matrum Sanctificati fuere post originale contractum; (*Hier. c. 1. v. 5. Lu. c. 1. v. 15.*) sed in eodem primo passivæ Conceptionis momento, ante contractum originale, Deo tunc illi infundente gratiam Sanctificantem, Quare non satis B. M. immaculatam explicat Conceptionem, qui tantum diceret, eam materno in utero fuisse sanctificatam: sed terminis uti debet significantibus *in ipso sue Conceptionis momento caruisse originali labe, ab eadem fuisse præservatam &c.* vel *in eodem primo momento accepisse gratiam Sanctificantem, qua ab omni peccato, etiam originali, fuerit præservata.*

3. 4. In aliquibus Ecclesiis Immaculatæ Conceptionis Festivitas cum officio celebrabatur, quam consuetudinem cum Lugdunensis suscipere Ecclesia, D. Bernardus zelo ardens, Canonicos Lugdunenses objurgavit, quod Festum novum, Patribusque ignotum, & ab Ecclesiastico ritu alienum, celebrarent. (*Epif. 174.*) In quo quidem S. Abbas a sententia Immaculatæ Conceptionis visus est paulo alienior. Addit tacere diutius non potuisse, cum sciverit, Lugdunensem Ecclesiam, inconsulta Sede Apostolica (cujus ju-

dicio sua scripta subjecta vellet) prædictum Festum amplexam esse. Quidam negant S. Bernardi genuinam illam fuisse Epistolam quod Raynaudo (*In Dipty. Marian. t. 7. op. p. 48.*) non placet, illam agnoscens in stylo aliis æqualem, ut quæ omnium maxime Bernardum sapit. Quidquid autem aliqui illum pie excusare contendunt, aptior responsio est, ejus argumenta ab aliis quamplurimis, qui hac de re scripserunt, satis esse everfa: præcipuum ejus scopum fuisse, tueri auctoritatem Sedis Apostolicæ, ac propterea, si viveret, & ad Immaculatam Conceptionem eandem Sedem propensioem videret, ejusque auctoritatem in tota Ecclesia celebrari, disciplinam hanc libenter amplexuram. Videantur Canisius, (*de Mar. Deip. V. lib. 1. c. 7. pag. 72.*) & Bellarminus. (*T. 2. controv. lib. 3. de cult. Ss. cap. 16.*)

5. Nihil autem obstat D. Bernardi Epistola, quin in multis Ecclesiis Conceptionis Mariæ Festum retineretur; nec quisquam fuit, qui examinandum susciperet, utrum ab originali peccato servata esset. Deinde vero ejus rei cognoscendæ studio, cum omnes vulgo essent incensi, tota Ecclesia turbæ exitere gravissimæ. In arenam descendit Scotus, qui licet primo (*Il Lib. 3. Sent. disp. 3. qu. 1. n. 4.*) ausus non sit affirmare, B. Virginem sine labe fuisse conceptam, sed tantummodo rationes in oppositum diluere sit contentus; attamen postea (*Loc. cit. disp. 18. num. 13.*) strenue defendit communi omnium plausu in publicis conventibus, præsertim, ut narrat Cavellus, (*In Rosario sacul. 14.* Summi Pontificis jussu in Universitatibus Colonienfi, & Parisienfi, quæ Scoti sententiæ subscripsit, B. Mariam nunquam fuisse Dei inimicam ratione peccati actualis, nec originalis; futuram tamen, nisi fuisset præservata. Id confirmant Bernardinus de Bustis in Officio Conceptionis a Sixto IV. approbato, & alii quamplurimi apud Frassen. (*Loc. cit. pag. 188.*) Ex quo ita sententia de Virginis Conceptione Immaculata invaluit, longe, lateque diffusa fuit, ut Vasques scribat, (*In 3. p. disp. 117. cap. 2.*) a tempore Scoti non solum apud omnes Theologos Scholasticos, sed etiam apud omnes Christi Fideles ita percrebuisse, & cum hominum sæculis inveterasse, ut nullus jam ab ea deduci, & dimoveri possit.

6. 7. Cum autem anno 1308. migrasset e vita Scotus, anno 1387. Joannes de Montefono ex Ordine Prædicatorum, inter quatuordecim propositiones, (*Ap. ad t. 1. oper. Gerson. ultim. ed pag. 693. 694.*) quas

publicis in Lectionibus propugnavit, tutatus fuit, B. Mariam in originali labe fuisse conceptam. Adversus eas Universitatis prodiit iudicium a Petro de Ordeomonte Parisiensi Episcopo hac in re Iudice Ordinario confirmatum. Ad Clementem VII. Antipapam Avenione sedentem appellavit de Montefono, atque eo se contulit, ut propositiones suas defenderet: sed causa se casurum prospiciens, iudicium declinavit, Avenioneque elapsus est. Ex quo accidit, ut tanquam contumaciæ reus haberetur, desertusque fuerit ab omnibus, qui ejus partes secuti, palinodiam publice decantarent. Harum rerum series videatur apud Spondanum, (*Ad an. Ch. 1387. num. 12.*) & Echard. (*Tom. 1. de Scrip. Oed. Pr. p. 691.*) In Concilio Basileensi sub Eugenio IV. actum hac de re est, de qua tum maxime Theologi ubique disceptabant; tandemque sess. 36. ann. 1439. declaratum est, doctrinam asserentem B. Virginem semper ab omni peccati actualis, & Originalis labe fuisse immunem, tanquam piam, & consonam culti Ecclesiastico, Fidei Catholicae, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare, seu docere.

8. At cum eo tempore Basileense Concilium jam amplius legitimum non esset, sed schismaticum Conciliabulum, jam enim gravibus de causis fuerat translatum Ferrariam, ibique inceptum, unde tandem Florentiam adductum est; idcirco Sixtus IV. duas Constitutiones edidit, quin Decretum illud Basileense commemoraret; priorem anno 1476. in qua Indulgentias aliquot concessit recitantibus in Festo Conceptionis Officium, & Missam a se approbata, aut Horis Canonicis interessentibus; alteram ann. 1483. insertam in Jure, (*In Extr. Comm. tit. de Reliquis, & Venerat. Sanctor.*) qua damnavit affirmantes lethaliter peccare, eum, qui Festum Conceptionis celebraret, aut hæreticum esse, qui propugnaret; B. Mariam V. a peccato originali fuisse immunem. Nec temere quis poterit conjicere, motum fuisse Pontificem ad eam edendam Constitutionem ex publica illa disputatione Vincentii de Brandelis Ordinis Prædicatorum Ferrariæ ann. 1481. habita coram Hiercale Estensi Duce; illa enim propugnavit de Brandelis opinionem Immaculatae Conceptioni contrariam; & in Tractatu typis impresso (*De singulari puritate, & prerogatis Concept. Jesu Chr. &c.*) conatur ostendere,

Deiparam non secus, ac cæteros homines in originali peccato fuisse conceptam, ac nefas esse credere, aut veluti firmum in Concionibus ad populum asseverare, aut etiam eorum Conciones audire, qui in peccato originali conceptam esse negarent.

9. Basileense Decretum amplexa fuit Provincialis Synodus ann. 1457. Avenione habita, itidemque Universitas Parisiensis. Pro Immaculata Conceptione propugnavit Trithemius, (*Anno 1494. in Chronic. Monast. sui.*) commentarium edens de Laudibus S. Annæ. Illi adortus fuit vehementi impetu Religiosus quidam nomine V. Vigandus, sed frustra: nam Universitas Parisiensis, Carmelitarum Ordo, & universa Fratrum Minorum Familia, plerique Cardinalium, quamplures Archiepiscopi, Episcopi, & Principes viri, Clerus universus, & viri docti e Germania Trithemium ab ejusmodi accusationibus vindicaverunt, ut videre est apud Spondanum, (*Ad anno Chr. 1494. num. 14.*) & continuater Fleury. (*In cont. Hist. Ec. t. 24. p. 229.*) Paulo post, cum Joannes Verus Parisiensis Theologus ann. 1497. propalam ausus fuisset prædicare, B. V. Mariam mundatam quidem fuisse, sed non ab originali servatam, ab Universitate Parisiensi, Spondano teste, (*Ad anno 1497. n. 8.*) ad tollendum scandalum in populo ortum, publice propositionem revocare fuit adactus; & Decreto cautum est, nequis deinceps Doctoris gradum consequi posset, nisi Immaculatae Conceptionis sententiæ non modo faveret, sed etiam ad eam strenue propugnandam solenni jurejurando se adstringeret, ut videre licet in Histor. Universitatis Parisiensis, (*Tom. 5. pag. 815.*) Spondano cit. & aliis, apud Bailletum (*Histor. Festi Sancti Conc.*).

10. &c. De Conceptionis Mystero in Concilio Generali Ferrariæ coepto, & postea Florentiam translato ann. 1439. mentio non extat: sicut neque in Lateranensi sub Julio II. & Leone X. In Tridentino autem narrat Pallavicinus, (*Histor. Conc. Tr. lib. 7. cap. 3. num. 8. & eod. lib. cap. 7.*) cum de peccato originali ageretur, proposuisset Card. Paciecum, ut hæc tandem controversia decideretur. Frigide tamen id acceptum a Patribus, quorum curam urgentiora Hæreticorum dissidia deposcebant. Instabat Paciecus, ut decreto de originali hæc adderentur: *De B. Virginæ declarat. S. Synodus, se nihil desinire, etsi credit, eam sine originali labe esse conceptam.* Licet autem plerique censerent, B. Mariam sine ulla labe esse conceptam, contrariæ tamen

opinionem præjudicium ferre noluerunt; atque his verbis editum est Decretum: *Declarat . . . S. Synodus non esse suam intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, B. & Immaculatam V. Mariam Dei Genitricem, sed observandas esse Constitutiones felicitis recordationis Sixti Pape IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.* Frustra autem contendit Launojus, (*In Prof. de Conc. B. M. V.*) eam Decreti partem, quæ loquitur de B. V. non a Pp. Concilii compositam, sed in editione Concilii ann. 1564. esse additam; eam enim dēesse in editionibus ann. 1545. 1551. 1555. Verum ea additio extat in Actis Concilii autographis Romæ asservatis, & in exemplaribus jam editis, & a Massarello Concilii Secretario recognitis, in editionibus itidem Concilii, quæ præcessere ann. 1564. Illius etiam meminit Souus, (*In com. ad Epist. ad Rom.*) qui Concilio assuit; & Catharinus. (*Antwerp. 1550. paulo post ref. præd. 17. Junii, an. 1545. habitam.*) qui etiam adfuit sessioni, scribit, eam partem Decreti, qua B. V. Maria excipitur, summa omnium consensione, & plausu esse exceptam. Vide Naxalem Alexandrum. (*In Tract. de Imm. Concep. Romæ ed. an. 1551.*)

13. &c. Varia subinde Pontifices edidere Decreta ad sedandas dissensiones Theologorum, & Concionatorum, & ad occurrendum scandalo, in populo ex opinione minus pia magis indies succrescente. S. Pius V. pœnas statuit adversus eos, qui in Concionibus ad populum alterutram sententiam attingerent. Concessit tamen doctis viris de controversia disputare in publicis disputationibus, ubi adessent viri controversiæ gnari, & abesset scandalum; modo neutræ sententiæ ab Apostolica Sede nondum definitæ erroris notam inararent; Bullasque Sixti IV. & Tridentinum Decretum, confirmavit. ann. 1616. eadem confirmavit sub novis pœnis Paulus V. qui inde sequenti anno vetuit, nemini deinceps liceret in Concionibus, Lectionibus, Thesibus, &c. affirmare B. Mariam in originali fuisse conceptam; addens tamen super hæc non intendere reprobare alteram opinionem, nec ei ullam præsertim præjudicium inferre, sed eam relinquere in iisdem statu, & terminis: in quibus de præsentibus reperitur; præterquam quæ ad disposita. Addidit Gregorius XV. (*Consist. 29. ann. 1622.*) 1. Ut, qui in publicis disputationibus sustineret B. Mariam sine originali fuisse conceptam, contrariam non impugnet sententiam, sed de ea præsertim sileat: 2. Nullis

deinceps ne in privatis quidem actis licet contrariam Immaculatæ Conceptioni sententiam defendere, iis dumtaxat exceptis, quibus Sedes Apostolica id permisit, scilicet Pp. Dominicis, dummodo privatim tantummodo, & inter se sermonem ea de re haberent. 3. Nequis Officio, & Missa hujusmodi Festi, alio, quam Conceptionis nomine publice, vel privatim utatur. Tandem Alexander VII. bene considerans omne illud, quod supra memoravimus, declaravit (*Constitution. 114. anno 1671.*) sibi certum esse *tueri pietatem, & devotionem hæc colendi, & celebrandi Beatissimam V. præsentem scilicet Spiritus Sancti gratia a peccato originali preservatam*; gravelque statuit in eum pœnas, qui sententiam, Festum, cultumque Conceptionis deinceps in dubium revocare auderet, aut quovis prætextu verbis obiterere; ita postea concludens: *Vetamus autem Sixti IV. constitutionibus in hærentes, quemquam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet gloriosam V. Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant, cum a Romana Ecclesia, & Apostolica Sede nondum fuerit hoc decernit, prout nos nunc minime decidere volumus, aut intendimus.* Et nihil amplius consequi potuerunt Legationes, etiam extraordinariæ, Hispaniarum Regum, de quibus VVaddingus, (*Lib. Lovanii ed. an. 1622. sub titulo De Legatione Phi. III. & IV. ad Paul. V. & Gr. XV. pro definiend. controvers. de Concep.*) Philippo videlicet III. ad Paulum V. & Philippi IV. ad Gregorium XV. vehementer flagitantium, ut ea demum controversia dirimeretur.

16. Ex quibus omnibus concluditur, Ecclesiam Immaculatæ Conceptionis opinionem in omnibus Academiis Catholicis receptæ, Fideliumque pietati, & erga B. Virginem devotioni consentaneæ favere; licet nondum, tanquam fidei articulum, eam definiat. Et sane decebat, Deum paritatis, sanctitatis tantopere amantem, eam sibi Matrem formare, ab omni peccato puram, Sanctam, & integram. Quæ vero generatim leguntur in Sacris Paginis, omnes homines, ut ait Paulus, (*Ad Roman. c. 5. v. 12.*) ex Adæ semine propagatos; in ipso Adæ peccasse, unius tantum, ut Theologi ostendunt, ideoque B. Mariæ præsertim preservationem ab originali culpa non excludunt. Deinde B. Virginem, etsi nunquam peccati mancipium fuerit, Christus redemit; perfectus enim Redemptor cum fuerit, ipsius erat, aliquam

perfecte, id est, ab omni pœna redimere; cum autem pœna gravissima sit, vel momento temporis Dei gratia carere, decebat, ut aliqua esset creatura, nec sane alia, quam Ss. Dei Mater, quæ ne puncto quid temporis esset Deo invisâ, sed per Christi merita semper ab omni culpa, & Dei odio libera esset; idque postulabant tria Christi attributa, perfectissimi Pacatoris, Mediatoris, & Benefactoris.

17. &c. Atque hæc de Mysterio; plura a Theologis facile peti possunt. Nunc vero de institutione Festivitatæ. Quo ad Orientalem Ecclesiam inter Festivitates de præcepto recententur in Novella Emmanuelis Comneni, apud Ballamonem: (*In Obs. ad Nomocanon. Photii.*) imperavit autem Comnenus ab ann. 1143. ad 1180. Quod vero ad ejus initium, Georgius Episcopus Nicomediensis sub Imperio Heraclii ejus meminit, non ut novissime instituta; & Mathæus Parisius narrat, Archiepiscopum Armeniæ in Angliam profectum, exceptumque in Monasterio S. Albani testatum esse, inter cæteras Armenorum Festivitates, Mariæ etiam Conceptionem a vetustis temporibus celebrari, ea ratione, quia Angelo nunciante Joachim dolenti, & desertum tunc inhabitanti, ipsa Conceptio nota facta est. Quod Occidentalem attinet, omnino tenendum cum Baronio, (*In Notis ad Martyr. ad diem 8. Decem.*) & communi, eam ab Anglia incepisse; & quidem a S. Anselmo institutam, qui obiit ann. 1109. Sic enim habetur in Concilio Londinensi ann. 1328. (*Tom. 1. concilior. Angliæ, p. 494.*) Addunt aliqui, occasionem ejusdem instituendæ desumptam ex revelatione facta cuidam Abbati ejusdem Ordinis, quam, & alias vide apud Spinellum. (*In Tr. de Fest. ac Templ. Deip. Deip. n. 1.*) Videatur etiam Christianus Lupus, (*Ad Con. Mogunt. sub Leon. IV. t. 3. ver. ed. p. 497.*) prædicta confirmans, addensque ex Anglia in Normaniam, inde in Gallias traductam, ad Ecclesiasticam Lugdunensem tempore S. Bernardi, de quo supra num. 3. Ex ibi dictis etiam colligitur tempore Bernardi ann. 1153. mortui nondum Romæ celebrari. S. vero Bonaventura, vita functus anno 1274. testatur, aliquos jam tunc celebrare hoc Festum, quos, inquit, *nec omnino laudare, nec simpliciter reprehendere audeo.* (*In lib. 3. Sent. dist. 3. q. 1. p. 34. a tergo ed. Ven. 1538.*) ubi etiam meminit de Divina revelatione prædicta, quam tamen dicit authentice non constare. Certissima deinde argumenta non desunt, præstantia Sæculo xiv.

celebritatem Conceptionis Romæ esse peractam: quale est testimonium Alvari Pelagii, mortui ann. 1340. qui testatur hujus Festivitatæ die Romæ se in Basilica Liberiana concionem habuisse, quanquam non *Conceptionis*, sed *Sanctificationis* verbo utitur, ut videre est apud Bailletum. (*In Hist. huj. diei.*) Alterum testimonium est Bachonii Carmelitæ, qui obiit ann. 1350. & tanquam oculatus testis narrat, quotannis in sui Ordinis Ecclesia, ut videre est apud Gavantum, (*Secl. 7. c. 2. n. 8. de Fest. mens. Decembris.*) coram Cardinalibus cum solemni Missa, & Panegyrico Festivitatem hanc celebrari consuevisse. Quasimobrem in Basiliensi Decreto, de quo supra, hæc leguntur: *Renovantes præterea Constitutionem de celebranda S. ejus Conceptione, quam tam per Romanam, quam per alias Ecclesias VI. Idus Decemb. antiquitus celebratur, statimus, & ordinamus.* &c. Balusius denique (*In Not. ad vit. Pontific. Avenion. pag. 1376. & seq.*) afert testimonium Speculatoris, & Joannis Andrea, quæ evincunt eorum sæculis XIII. & XIV. Consuevisse *ex devotione non improbanda.* Postremo Sixtus IV. (*Constit. 2. an. 1483.*) ait Romanam Ecclesiam, & Conceptionem B. V. solemniter celebrare, & speciale, ac proprium Officium ordinasse.

22. 23. Officium illud a Leonardo de Nogarolis Clerico Veronensi compositum, & a Sixto IV. approbatum (*Constit. ann. 1476.*) e Breviario summovit S. Pius V. & aliud quo utimur, substituit, teste Gavanto; (*loc. cit. num. 8.*) ad ritumque duplicis major. evexit Clemens VIII. octavam addidit Clemens IX. & Clemens XI. inter festa de præcepto adnumeravit. (*Constit. 40. ejus Bul. pag. 90.*) Denique Benedictus XIV. statuit, ut deinceps hoc Festum celebretur in Basilica Liberiana coram Papa, Cardinalibus, & Prælati, quibus in Cappellis Pontificiis constitutus est locus. Neque ex hoc probatur, ut quidam nimia devotione tacti erga B. V. existimarunt, Immaculatam Conceptionem a Sede Apostolica, tanquam Fidei articulum fuisse jam declaratam. Festum enim Conceptionis, ut bene advertit Bellarminus, (*Tom. 2. contro. l. 3. c. 16.*) celebrari bene potest, etsi nihil Ecclesia de Mysterio definiat. Qualiscumque illa fuerit Conceptio, utpote Matris Dei futura, singulare afert gaudium Mundo ejus memoria; quia tunc habuimus primum pignus certum Redemptionis, præsertim cum non sine miraculo ex Matre sterili concepta fuerit. Itaque hoc Festum etiam illi celebrant, qui putant

patant B. V. in peccato fuisse conceptam. Adhæret Gottus, (*In oper. adv. Picenum Ita scripto*) advertitque vocem illam *Immaculata* in titulo Constit. Clementis IX. positum, non ad Conceptionem, sed ad B.V. ex Pontificis mente esse referendam; nam ita vehementer Pontifex est conquestus, quod in quadam Italiæ Civitate prædicta Bulla typis esset impressa, non *Festum Conceptionis B. M. V. Immaculata*, sed, *Festum Immaculata Conceptionis B. M. V.* ut die 12. Octobris ann. 1709. Ordinario loci mandaverit, ut eos acriter reprehenderet, qui typis Bullam cum adulterino titulo imprimendam curaverant, eamque in eum modum impressam suppressi iussit.

24. Contra Suarez, (*In 3. p. D. Thom. 2. 2. q. 27. art. 2. disp. 3. sect. 5.*) strenue tuetur rationibus gravissimis, in festivitate Conceptionis ab Ecclesia Conceptionem, ut Sanctam, Immaculatam celebrari. Illud satis sit afferre, quod alibi idem Benedictus XIV. docuit, (*Tom. 1. de Canoniz. Sanctior. cap. 43. num. 13. & seq.*) nimiram Immaculatam Conceptionem ab Apostolica Sede nondum esse definitam, licet ejusdem auctoritate Festum Conceptionis celebratur cum Officio, & Missa ad ritum duplicis e-vestum. Paulus enim V. Gregorius XV. & Alexander VII. declararunt, controversiam supremo non esse iudicio definitam. Nec eam definire voluerunt Urbanus VIII. Alexander VII. & novissime Clemens XII. licet Christiani orbis potentissimi Reges id enixe postularent. Quare concludit hic Benedictus XIV. & ingenue fatetur sese toto animo Immaculata Conceptionis B. Mariæ sequi sententiam; Ecclesiæ propensionem in eandem sententiam demisse venerari, firmiter tamen allatis Pontificum Romanorum Constitutionibus adherere; cumque Universitate Parisiensi, cæterisque Theologis etiam Italis sentire. Illa enim intelligens sese a Maldonato insimulari, quasi novum Fidei articulum, memorata Juramenti lege, condidisset, ita respondit: (*In Thom. tract. adversus Maldonatum.*) *Nec Facultas condidit Fidei articulum de Conceptione, sed proposito a Basiliensi Concilio, & Sixtino credidit &c. Sedes Romana Tridentinorum sententiam Basiliensibus præfert; ipsi Facultas se conformat, & assentitur jam secundum Concilium Tridentinum, affirmationem Conceptionis non esse articulum Fidei Catholica; nec pro hæretico notandum, qui quis aliter opinarit.*

C A P U T XVI.

*De Festo Translat. S. Domus Lauretanae.
Die 10. Decembris.*

1. **D**E hoc Festo meminit Martyrologium Romanum: (*Ad diem 10. Decemb.*) Ex S.R.C. Indulto, (*29. Novemb. 2. ann. 163.*) olim Translationis Missa, & Officium intra Picenæ Provinciæ fines celebrabatur, cum Lectionibus 2. Nocturni de *communi*, sumptis ex Sermone S. Bernardi. Verum sub Innocentio XII. ad 6. Lectionem addita sunt Sequentia; *Ipsi autem Virginis Natalis Domus Divinis Mysteriis consecrata ab Infidelium potestate in Dalmaticam prius, deinde in agrum Lauretanum Picenæ Provinciæ translata fuit, sedente S. Cælestino V. eandemque ipsam esse, in qua Verbum Caro factum est, & habitavit in nobis, tum Pontificis Diplomatum, & celeberrima totius orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute, & celestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius XII. quo ferentius erga Matris amplissima cultum Fidelium memoria excitaretur, ejusdem S. Domus Anniversaria Solemnitate in tota Picenæ Provinciæ Missa, & Officio proprio celebrari præcepit.* Postea an. 1719. sub Clemente XI. die 19. Maji ad omnem Etruriam propagata fuit Solemnitas; subinde a Benedicto XIII. ad Ecclesiasticæ Ditionis Provincias; postea ad omnia loca Venetorum Republicæ subjecta; ac demum ad omnia Catholici Regnis Regna, Regionesque illi subjectas extensa ut apparet ex Decretis relatis a Martorello Episcopo Montis Feltrii. (*in Theatro Hist. S. Dom. Nazar. Rom. ed. an. 1733. p. 119. & seq.*)

2. 3. Lectionis 6. additio, quidquid hac die celebratur, complectitur. Constitutiones in illa memoratæ, testantes, Lauretanam Domum eandemmet esse, in qua Verbum Divinum humanam carnem assumpsit, sunt Pauli II. Julii II. Leonis X. Paulii III. Pauli IV. & Sixti V. ut alibi Benedictus XIV. (*Lib. 4. de Canoniz. Sanct. par. 2. c. 10. n. 15. & 16.*) ostendit. Miracula illic indicata referre, & veritatem historię Translationis hic probare, esset actum ægere. Id enim egregie præstiterit Canisius, Baronius, Turcellinus, alique a Benedicto XIV. (*Loc. cit. num. 16. & 17.*) relati. Alia etiam monumenta vide apud Martorellum; (*In Th. S. Domus Lauretan.*) sicut etiam testium dicta, qui in solemnem exami-

ne testantur, se a Majoribus suis oculatis testibus accepisse, Sacram illos Domum in aera sublatam illuc, ubi nunc sita est, asportari vidisse. Accedunt iterum hominum missiones ad Urbem Nazaret, ut loci situs, & magnitudo cum Sacra Domo conierretur; eaque Nazareni loci mensura cum Lauretana Domo deprehensa sunt, probe congruere. Videri etiam potest apud Turfellinum, (*Histor. Lauretan. l. 2. c. 26.*) Clementem VII. tres, qui illi erant a cubiculo, misisse, ut magnitudines, mensurasque Lauretanae Domus cum mensuris locorum, ubi antea fuisset ea Domus, conferrent. Illi autem Lauretum profecti, postea Dalmatiam, ibi, Lauretana instar, Aediculam satis vetustam, & miraculorum monumentis insignem invenerunt; parietique inscriptum Lauretanam ibi Domum olim fuisse, quod etiam monstrantiam locum accolarum lacrymae comprobabant. Dein, mensuris admotis, deprehendunt prorsus omnia convenire; sicut congruere cuncta comperiunt Nazarethi in Palaestina, quo, repetito cursu, perrexerunt, Sacraeque Domus fundamenta aspexere.

4. &c. Non dissimulat Benedictus XIV. hic, & alibi, (*Tom. 4. de Canoniz. Sanct.*) argumentum validum contra hanc Translationem eo innixum, quod D. Hieronymus (*Epist. ad Eustochium.*) testatur Domum Nazarethanam B. V. in Ecclesiam fuisse conversam; eandemque saeculo suo extare testatur Auctor *Libri de locis Sanctis V.* Bedae attributus; & alioqui fit mentio ejusdem circa dimidium saeculi XIII. At praeter responsionem praecipue allatam a Benedicto, quae etiam videri potest in Synopsi, (*Ad cir. lib. 4. de Canoniz. par. 2. p. 14. &c.*) aliam Honorati a S. Maria non improbat, scilicet Domum illam sic a primis Christianis fuisse conversam, ut nihil de integra Domo detraxerint; sed ornamenta quaedam addidissent, quibus ad Ecclesiae formaretur exemplum, sicque ab Angelis fuisse translata. Merito autem hic Benedictus XIV. reprehendit quosdam sciolos, qui, ut eruditos se ostendant, mussitare audent, historiae Translationis Sacrae Domus veritatem a Sapientioribus Criticis non approbari. Hujus vero mussitationis falsitatem demonstrat allatis locis ex optimis Criticis, dictam historiam aut expresse approbantibus, aut ut veram supponentibus, nullatenusque improbantibus; affert autem Bollanditas, (*Ad diem 25. Martii, §. 4.*) eorum successorem Paperchium; (*In Repon. ad P. Sc. as. 2. a S. Pauls.*) Natalem item A. G. d. d. (*Hist. Eccl. secul. 13. p. 37. edit. Parisi.*

1699.) Raynaudum, Bailleum, Honoratum a S. Maria, Gravesopum, Gudarem, Grandum, Calmetum, ac Muratorium. Ex his Raynaudus (*Tom. 8. oper. in Tract. cui tit.*) Antemurale adversus fortia ingenia &c. p. 144. & seq.) agerrime fert de hac re excitari controversiam inter Catholicos; postquam Canisius, Furranus, & Gretserus invictis rationibus confutarunt Haereticos, qui hujus historiae veritatem commisi sunt evertere.

9. &c. Honoratus vero a S. Maria (*Tom. 2. de Regul. critic. l. 3. Dissert. 1.*) Turfellini verbis inharens, Divinum horrorem praeterea commemorat, qui cuivis in Sacram illam Aedem introeunti oboritur; ita ut Ven. etiam Canisio, Joanne Bonifacio, (*In Hist. B. V.*) & Marianno Augusto, (*In Troph. Mar.*) testantibus, perituri etiam homines, flagitiisque obruti hac in Aede mutantur, in filiosque Dei trasformantur, ut ex Haereticis Catholici, ex ultoribus mansueti, ex lupis oves evadant. Guido etiam Grandus Abbas Camaldulensis, (*Dissert. 4. Camal. Tom. 8. n. 12.*) respondet argumento negativo, petito ex Silentio S. Antonini. Calmetus autem, (*In Dict. Biblic. V. Nazareth.*) licet primo dubitaverit, dubitationem suam expungi voluit in versione Latinae sui Dictionarii. Asserit tandem Martorillus (*In Thea. Lauretan. Tom. 1. pag. 592.*) injuriam fieri Muratorio, si quis eum putet historiae de admiranda Translatione fidem abrogare. Cum vero Quaresmius testetur, (*Elucid. Terr. S. Tom. 2. l. 7. c. 1. & seq. praertim vero c. 4.*) aetate sua Nazarethi, Sacrum visitari consuevisse Domum, in quo B. Virgo laetissimo accepto nuncio, Servatorem Mundi concepit, ad id respondendum cum Alcaroto, (*Itinerar. Terr. S. l. 2. c. 10.*) post miraculosam Translationem S. Domus, Fideles in Palaestina Ecclesiam, sub nomine Annunciationis B. Mariae aedificasse, qua locus ille, ubi S. Domus erat, conclusus est: & hanc esse S. illam Domum, quae dicitur hoc tempore esse Nazareth.

C A P U T XVII.

*De Festo Expectationis Partus B. V.
Die 18. Decembris.*

I. **Q**uae hic dicenda erat, petantur supra ex Festo Annunciationis; videatur maxime §. 16. Solum superest addendum an. 1753. Gregorium XIII. hujusmodi Festivitate[m] approbasse ad Hispaniarum.

rum Regna. (*in Litter. Apostolic. de Eccl. Toletan. offic. ord.*) Hæc autem Solemnitas retinetur in Ecclesia Toletana, tum ob memoriam Festi Annunciationis hac olim die, in Hispania, & alibi etiam, celebrari soliti, juxta Decretum Concilii Toletani supra memoratum, tum in memoriam descensus B. V. quæ hac ipsamet die Toletanum Templum dignata est consecrare, vestemque Sacram S. Ildephonso donare, ut ea in Solemnioribus uteretur Festivitatibus. Totum constat ex verbis, quæ leguntur in 6; hujus Festivitatis Lectio in Ecclesia Toletana; confirmaturque, a multis cum Bollandianis. (*Tom. 4. mens. Mar. 353.*) Adhuc præfata Lectio, Ecclesiam Toletanam retento hoc Festo, Annunciationem B. V. celebrare voluisse etiam 25. Martii; ut *Romana Ecclesia, quæ Magistra omnium Ecclesiarum, & Mater est, S. institutum sequatur.*

2. Apud Hispanos, teste Garzia Loasia, (*In Not. Toletan. sec. 7. Concil. Tom. 6. Labben. collect. p. 455.*) Festivitas hæc nomen B. M. de O' est sortita; nomine ducto a septem Antiphonis ad *Magnificat*, quæ per adverbium O' incipiunt, & a primis Vestibus hujus Festi dicuntur. Hæc autem, ut bene advertit Azor, (*Instit. Moral. par. 2. l. 1. c. 23.*) suspiria, gemitus, & desideria expriment veterum Pp. Redemptoris Adventum expectantium. De hac re fuse Raynaudus, (*In fine Tom. 7. suor. op.*) quem Lector consulat pro reliquis, Festivitatis Officium pro Dominio Veneto concessum est S. Rit. C. Indulto 3. Septembris an. 1695. & extensum ad omnia Ecclesiasticæ Ditionis loca Decreto Benedicti XIII. die 22. Augusti an. 1725.

C A P U T XVIII.

De Festo Sanctæ Mariæ in Sabbatho.

1. Nemo nescit, qualibet Sabbathi die non impedita Officium de S. Mariæ in Sabbatho recitari. Equidem Ecclesia a suis primordiis B. M. cultum, ut par erat, exhibuit. Verum sæculo x. Mabillonio teste, (*In præfat. ad sæcul. 5. Ordin. Benedictin.*) multis accessionibus auctus est; tum officii parvi recitatione, tum ejusdem B. M. sabbatho commemoratione, tum abstinentia a carnibus, Officium parvum ab aliquibus S. Petro Damiani tribuitur. Certe Urbanus II. in Claromontana Synodo illud Clericos recitare jussit. Verum Cardin. Bona, (*In Tract. de Divin. Psalm. c. 12.*

S. 2.) B. Petro Damiani, non instituit Officii parvi, sed restituti laudem tribuit; atque in utraque Ecclesia 300. annis ante Damianum recitari consuevisse. Quoad esum carniæ constat ex Nicolai I. Responsionibus ad Bulgarorum consulta, non nisi in Quadragesima, & quatuor Temporibus vetitum esse ante X. sæculum.

2. 3. 4. Vetus est disciplina, ut B. Virgini peculiaris cultus Sabbatho exhibeatur, in cujus honorem, teste S. Petro Damiani, *per omne Sabbathum Missarum celebrantur officia, nisi forte Festivitas, aut Feria Quadragesimalis obsistat: (Opusc. 33. c. 3. & 4.)* & causam affert; quia Sabbathum *requies* interpretatur, & sapientia in B. Virgine *per humilitatis assumptæ Mysterium, velut in Sacratissimo lectulo requiescit.* Alias rationes vidè apud Spinellum, (*Tract. de M. Deipar. c. 29. n. 18.*) & Benedictum XIII. (*Tom. 2. Sermon. 16.*) Hinc Urbanus II. ut ex Gaufrido colligit Mabillonius, (*In præf. ad. Sæcul. 5. ordin. S. Bened.*) statuit in Concilio Claromontano ann. 1096. ut Horæ B. Mariæ dicerentur quotidie, & ejus Officium diebus Sabbathi fieret. Et Micrologus, qui sæculo xi. vixit testatur (*Lib. de Eccl. obs. c. 60.*) ubique in Sabbatho recitari consuevisse tunc temporis Officium de B. Virgine *ex devotione.* Duæ igitur olim erant Ecclesiasticorum obligationes: altera quotidie cum Officio Divino recitandi etiam Officium parvum B. V. altera in ejus honorem celebrandi Sabbathum. Prima obligatio legitur in Concilio Andegavensi an. 1365. sub Urbano V. habito, (*Part. 2. concil. collect. Labbean. p. 1946. c. 15.*) adstringente ad illud sub præcepto omnes, qui ad Horas Canonicas tenentur, tam in Choro, quam extra Chorum, diebus illis exceptis, in quibus fieret de B. V. M. aliique Solemnitatibus anni majoribus, & toto Adventu.

5. 6. Sed cum Concilium illud non fuerit Oecumenicum, disceptabant Canonistæ an præceptum illud ubique obligaret? Sed controversiam sustulit S. Pius V. cum, emendato Breviario, jussit juxta illud recitari, obligationemque abstulit recitandi extra Chorum Officium parvum B. Mariæ, (*Constit. an. 1567. in Bullar. Rom. 64. tom. 2.*) Officiumque componi de S. Mariæ in Sabbatho, & Breviario inferi jussit, teste Gavanto. (*Sect. 8. cap. 6. ad Rubric. Breviar. Roman. num. 2. & 3.*) Illud postea Clemens VIII. recognovit, mutata tantum Lectio pro mense Aprilis, quæ erat S. Epiphani, nunc vero S. Hieronymi.

7. Tandem circa jejunium Sabbathi, quid-
quid dicat Auctor Tractatus de devotione
in Deiparam, & de eo qui debetur illi cul-
tus, (*Cap. 12.*) Parisiis editi ann. 1693.
adhærendum est Baronio. Ostendit hic (*Ad
ann. Chr. 57. n. 202. & seq.*) auctoritate
B. Iguatii Martyris, (*Epist. ad Philipp.*) in
Ecclesia Orientali vetitum esse jejunium Sab-
bathi æque, ac Dominicæ in execrationem
tum eorum Hæreticorum, qui non creden-
tes Christum rediisse ad vitam, die Domi-
nico jejunabant; tum eorum etiam, qui
Hebræorum Deum Mundi Conditorum ma-
lum reputantes in jejunio, & mærore Sab-
bathum exigebant. Id confirmat auctoritate
Constitutionum Apostolorum (quæ si non
Apostolis tribuendæ, sunt tamen veneratione
dignæ) quæ addunt Sabbathum, tanquam
Festum celebrari, non in gratiam Judæo-

rum, sed in execrationem secundæ memora-
tæ hæresis. Tandem observat, in Occidenti
(Romæ præsertim) fuisse in more positum
jejunare in Sabbatho; vel quia, ex Augu-
stino, Petrus Apostolus Sabbathi se muni-
vit jejunio ad subeundam cum Simone Ma-
go decertationem, qua victor evasit; vel
quia Apostoli, ex Innocentio I. (*Epist. ad
Decentium Epif. Eugubinum*) post Christi
mortem sexta Fera, & Sabbatho mærore
confecti, sibi a Judæis metuentes delitue-
re. Concludit, eas ob causas Fideles Ro-
mæ degentes in Sabbatho jejunare solitos,
nec illum diem, ut Festum celebrasse, ne
cum Judæis convenire viderentur: ob id
etiam Festivitas a Sabbatho in Dominicam
translata fuerat, quæ dies tot, tantisque erat
cuculata Sacramentis.

FINIS SYNOPSIS LIBRI II.

SYNOPSIS DOCTRINÆ DE QUIBUSDAM SANCTIS.

De quibus celebratur Officium cum Missa in Civitate
& Diœcesi Bononiensi.

L I B E R III.

C A P U T I.

De Ss. Hermete, Aggeo, & Cajo
Die 4. Januarii.

I. &c. **P**ro coronide agendum est de Festivitatibus propriis Civitatis, ac Diœcessis Bononiensis. Ordinem igitur Martyrologii Romani sequentibus se se nobis exhibet 4. Januarii Festum Ss. Mm. Hermetis, Aggæi, & Caji, qui Bononiæ passi fuere, juxta Martyrologium, sub Maximiano, & ibi celebrantur die 28. ejusdem mensis cum Missa, & Officio de communi Mm. Ipsorum Acta in lucem edita a P. Facchinetti Dominicano nullo firmo nituntur documento. De his solum dicemus Sanguinem suum fuisse in testimonium Christianæ Religionis eo tempore, quo Christi Ecclesiam Diocletianus, & Maximianus persequerentur: insuper eorum Reliquias inter Hebræorum cadavera jacentes, facta inquisitione, fuisse repertas, publicæque venerationi expositas a S. Eusebio Bononiæ Episcopo, qui illa collocavit in privato Sacello, ibi erecto, ubi ipsi Martyrium subierunt; quod Sacellum etiamnum extat in via S. Vitalis nuncupata prope Templum Menialium ejusdem S. Vitalis. Insuper eorum aliquot Reliquias minores translatas fuisse a Card. Palæoto primo Bononiæ Archiepiscopo, anno 1593. ad Metropolitanum Templum S. Petri, ubi in Altari a se erecto asservantur.

4. &c. Licet autem Baronius, (*In Not. ad Martyr. Roman.*) & Martyrologium Romanum, (*Ad 4. Januarii.*) dicant, eos fuisse passos, imperante Maximiano, quia ulla Diocletiani mentio fiat (fortasse, quia solus Maximianus tunc temporis Italiam, aliasque Occidentales Regiones gubernabat) nihilominus utriusque Imperatoris mentionem habendam esse putamus; tum quia utriusque fit mentio in aliis Martyrologiis,
Tom. III.

tum quia non aliter loquantur Bononienses Historici cum Sigonio; (*Lib. 1. Hist. Bononiens. & l. de Episc. Bononiens.* Persecutio Diocletiani.) tum demum, quia in more positum erat, apud Romanos, ut, duobus imperantibus, amborum nomen publicis edictis præfigeretur, quamvis edicta publicarentur in ea solum Imperii parte, quam unus privatim administrabat. Quod autem prædicti Martyres Bononiæ sint adscribendi, id, præter Bononienses Auctores, affirmarunt extranei præsertim Baronius, (*Ad an. Chr. 303. n. 122.*) & Bollandus. (*In Op. de Vit. Sanctor. 4. Januarii.*) Quod attinet ad collationem Reliquiarum a S. Eusebio, de qua supra, habenda est ratio antiquæ traditionis satis indicatæ per lapides in prædicto Templo existentes, quorum alter positus est an. 1303 alter vero an. 1582. ut videri potest apud Masinium. Quantum vero ad translationem, videatur *Archiepiscopale Palæoti, in quarta translatione Reliquiarum habita anno 1593.*

8. &c. In aliquibus Martyrologiis, præsertim Corbejenſi edito a Florentinio, & alio edito a Dacherio, (*In Specilegio T. 2.*) aliqui annumerantur Sancti, qui una cum nostris Martyribus, Bononiæ passi sunt, sed in hoc puncto nihil certi affirmare possumus. In iis etiam, aliisque a Rollando citatis, legitur prædictos Martyres fuisse passos in Bononia Orientali; at licet Bononiæ nomine aliquot appellentur oppida, nihilominus celebris Bononia hac gloria fraudari non debet; cum in tot non infimæ notis Martyrologiis, præsertim Romano, & Usardi, desit vox *Orientalis*. Addimus cum Polito, (*In Epist. addita ejusd. Orientalibus.*) Librariorum incuria in veteri Hieronymiano Martyrologio verborum ordinem esse inversum; legitur enim: *In Oriente Bononia Civitate*, ubi antea legebatur, & legi debet: *In Oriente. Edui Episcopi; in Civitate Bononia Hermetis, Aggæi, Caji.* Denique
F f ut

ut jam diximus, horum Sanctorum Officium recitabatur de communi Mm. Verum Pontifex Benedictus XIV. concessit pro tota Diœcesi proprias Lectiones, quarum quinta, & sexta desumpta fuere ex Augustini sermone in trium aliorum Mm. Natali habito, quarta vero propria est apud Breviarium Bononiense videnda.

C A P U T II.

De S. Raymundo de Pennafort. Die 23. Januarii.

1. 2. **S**A Raymundus de Pennafort, cujus Festum ab universali Ecclesia hac die celebratur cum propriis secundi Nocturni Lectionibus, ex quibus ejus vita cognosci potest, aliquantulum ad Bononiam spectat, quamvis Barcinonæ natus, neque fuerit Episcopus Bononiæ, nec ibidem Corpus ejus affervetur: sed quia inter ejus Cives fuit cooptatus. Legitur enim in antiqua ejus vita, Actibus ejus Canonizationis inserta, quod Bononiam venerit studiorum causa, & ut ait Penia, (*In Not. ad memo rat. vitam.* anno 1200. atque in utroque Jure ita excelluit, ut & Cathedram Magistralem obtinuerit, & Jus Canonicum per triennium legerit, nihil salarii petens ab Auditoribus, etiam Nobilibus, & Litteratis, qui ad ejus Scholas libentissime confluebant, gratis dando, quod a Deo gratis acceperat. Ex quo Bononienses Cives, ipso Magistro ignorante, statuerunt, ut a Communitate sibi annis singulis copiosum subsidium præberetur. Ipse vero de omnibus qualitercumque acquisitis, Deo, & Clerico, in cujus Parochia morabatur, decimas offerebat fideliter, & devote. Probat autem fuisse, & valide Daniel Malonius, (*In Oration. dict. S. habita occasione ejus Canonizationis*) promotionem ad gradum publici Professoris in dicta Universitate, juxta eorum temporum consuetudinem, postulasse, ut promovendus inter Bononiæ Cives vere cooptaretur.

3. Eadem de causa B. Petrum Thomam Ordinis Carmelitarum Patriarcham Constantinopolitanum, & Legatum Apostolicum sibi vindicant Bononienses. Constat enim ex vitusto Codice, cujus meminerunt cum aliis Bollandiani, (*In Com. Prævia ad Actn huj. Beati. §. 4. n. 23.*) instituta ab Innocentio IV. Theologica Facultate, Beatum hunc unum ex primis extitisse, qui ad Theologiam tradendam sunt adsciti. Ejus nomen, licet desit in Martyrologio Romano, legi-

tur in proprio Carmelitarum, qui proprium de eo recitant Officium a S. R. C. approbatum, Bellarmino, & Torres Cardinalibus referentibus. Bononiense Theologorum Collegium in Festo illius die in Templo D. Martini PP. Carmelitarum solemniter intervenit, ubi & Panegyrica oratione idem Beatus laudatur.

C A P U T III.

De S. Zama Episcopo Bononiæ. Die 24. Januarii.

1. &c. **H**Ac die celebratur etiam per totam Diœcesim cum Missa, & officio de communi Confessorum Pontificum Festum S. Zamæ primi Bononiæ Episcopi a S. Dionysio Pontifice ordinati, ut ait Martyrologium Romanum. De illo, tanquam Bononiæ Episcopo loquuntur ex externis plures cum Bollandio, (*Die 24. Februarii.*) ex Italici, præter alios, (*Lib. 1. Historiæ Bononiæ. & l. 1. de Episc. Bononiæ.*) qui contendit S. Zamæ ordinationem contigisse anno 270. imperante Gallieno, & mortem ante annum 300. cum vocetur Confessor; & si ad annum 301. Spiritum prodaxisset, sine dubio Martyrium passus esset in Diocletiani persecutione. Nos vero a designatione anni emortualis abstinemus.

5. &c. Prædictis, quorum quedam explanatione indigent, aliqua sunt addenda. 1. S. Zamam fuisse primum Bononiæ Episcopum, intelligendum esse de iis, quorum notitia aliqua habetur. Exploratum enim est, antiquissima documenta in Diocletiani persecutione periisse. Nec verisimile est nobilem Bononiæ Civitatem per tria fere sæcula suis Episcopis caruisse. Ita sentit cum aliis Baronius. (*Ad an. Chr. 272. n. 22.*) 2. Difficultatem reperiri in ordinatione S. Zamæ facta per Pontificem Dionysium. Certum enim est, Bononiam fuisse subjectam aliquando Ravennatensi; Episcopi autem suffraganei inauguratio pertinet ad Metropolitanam.

8. &c. Verum hoc nihil obicit; nam licet aliqui jus Metropolitanum Mediolanense referant ad S. Barnabam, attamen Critici cum Bollandianis, (*Die 11. Junii in vit. S. Barnabe.*) illud referant ad tempora S. Ambrosii, qui ex Præfesto Insubriæ, & Liguriæ creatus fuit Episcopus an. 374. Quod autem ad Metropolitanum jus Ravennatense attinet (quidquid sit de Valentiniæ Edicto apocrypho plerumque reputato, de quo Baron-

ronius (*Ad an. Chr.*) videatur) non a S. Apollinari incepit, juxta Criticos, præsertim Sacchinium, (*Patr. 3. Dissert. de Eccles. Hierarch. Origin. n. 5. & 6.*) sed a Joanne Angelopte, qui mortuus est anno 439. nec tamen Episcopum ullum ipse consecravit, sed ejus Successor S. Petrus Chrysologus, ut ex ejus operibus colligitur. (*Sermo. 175.*) Ex iis vero aliisque consulto prætermittis, consequitur, quod licet Bononia ex Pontificum Decretis subjecta fuerit juri Metropolitico, prius Mediolani, deinde Ravennæ, id non obstare quominus consecratio S. Zamæ habita fuerit a Pontifice Dionysio, utpote facta ante concessionem Pontificiam utriusque juris Metropolitici. Compertum enim est, quod, antequam institueretur utriusque Ecclesiæ dictum jus, Romanus Pontifex Metropolitanæ munus gerebat in tota Italia, & Insulis adjacentibus.

19. &c. Denique S. Dionysium Papam vixisse usque ad annum 270. (quo dixit Sigonius consecrasse S. Zamam) aliqui Chronologi tuentur cum Baronio, (*Ad an. Chr. 271.*) alii communius refragantur, ut Pagiatus. (*ad Baron. ad dictum. an. n. 3.*) Bollandus (*In vit. S. Zamæ, n. 3.*) & alii magis nominis, qui unum aut duos ante annos obiisse contendunt. Quare dicendum videtur S. Zamam consecratum fuisse Episcopum a S. Dionysio: annum non satis constare. Narrat præterea Sigonius, (*Lib. 1. Historia Bononien.*) S. Zamam, præter alia memorabilia opera, auctorem fuisse, ut Templum S. Petro Apostolo ædificaretur, illique Presbyteros, & Diaconos constituisset, & quidem in eo loco (addit hic Benedictus XIV.) in quo postea ædificatum fuit Templum aliud S. Felici dicatum: & hoc ipsum esse Templum, quod etiam nunc dicitur Ss. Naboris, & Felicis. In eodem narrat Sigonius S. Zamam tumultatum fuisse, ejusque ossa deinde solemnî pompa fuisse translata ad Ecclesiam Metropolitanam S. Petri, & reposita supra Aram maximam anno 1586. a Card. Palæoto, uti videre est in suo *Archiepiscopali*: extraque Templum Ss. Naboris, & Felicis etiamnum asservatur sarcophagus, in quo per plures annos jacuit Corpus S. Zamæ. Tandem ratio Sigonii, (*Loc. cit. supra.*) cur S. Zamæ obitus ponendus sit ante annum 300. dubia est ob opinionum varietatem de initio persecutionis Diocletiani; ideoque abstinendum a designatione anni prædicti obitus. Pontifex Benedictus XIV. huic Sancto Officium proprium concessit, cujus quarta Lectio videri potest in Breviario Diocesano, quinta vero, & sexta,

ex S. Bernardi Abbatis sermone desumpta est.

CAPUT IV.

De S. Guarino. Die 6. Februarii.

1. &c. **I**N Urbe, & Diœcesi Bononiensi celebrabatur hac die cum Missa, & Officio de communi Confessorum Pontificum Festum S. Guarini Cardinalis, & Episcopi Prænestrini; nunc a Benedicto XIV. data fuere Lectiones secundi Nocturni propriæ, eadem videlicet, quæ jam a Canonicis Lateranensibus, & S. Salvatoris recitabantur, & videri possunt in Breviario Bononiensi. De S. Guarino, tanquam Bononiensi, fit mentio in Martyrologio Romano, in Scripturis Bononiensibus, & aliis quamplurimis, præsertim Bollandus, (*Die 6. Februarii.*) qui præterea litem excitatam, an S. ex Familia Guarini, Foscarivæ originem duxerit, componit dicendo, ex utraque fuisse ortum, Materna una, Paterna altera. In controversia autem, num Guarinus e Congregatione Rhenana fuerit, an de Mortaria) res cum cum sit parvi momenti) nihil decernimus; sed concludimus cum Pennotto, (*In annotat. ad Offic. Canonicor. Regularium*) & Bollandus, (*In vit. huj. S.*) S. Guarinum Canonicorum Regularium professionem fuisse amplexatum, vel hæc fuerit Mortariensis, vel Lateranensis, vel Rhenana; quia licet ejusdem non sint Congregationis, ejusdem sunt Professionis.

5. &c. Insuper, relicta controversia, an Congregatio Canonicorum S. Salvatoris, quæ nunc extat, eadem dicenda sit, atque illa vetus Rhenana, de qua alibi Benedict. XIV. (*Dissert. inserta T. 3. Commentar. Riganii ad Regul. cancellar. p. 344.*) dicendum cum Bollandus cit. & aliis, S. Guarinum fundasse Nosocomium S. Iob, quod etiamnum Bononiæ extat; & cum Sigonio, (*Lib. 2. in Vita Henrici Episc. Bononien.*) fuisse electum Cardinalem & Episcopum Prænestrinum a Lucio II. similiter Bononiensi, a quo etiam *domestico nobilium equorum cultu ad tuendam dignitatis amplitudinem decoratus est, quem ille ita recepit, ut statim divenditum pauperibus distribuerit, modico, ac ferme nullo, quod splendorem præferret, instrumento contentus.* Res aliæ ab eo præclare gestæ legi possunt apud Augustinum Ticinensem, (*In ejus vita apud Surium, & Bollandum.*) Quod attinet ad Bullam Canonizationis, licet nusquam inveniatur, attamen Historici, quos alibi re-

fert idem Benedictus XIV. (*Lib. 1. de Canoniza. SS. c. 9.*) communi consensione testantur, ipsam solemniter fuisse canonizatam ab Alexandro III.

C A P U T V.

De S. Juliana Vidua. Die 7. Februarii.

1. 2. **D**E S. Juliana Bononiensi Vidua agit Martyrologium Romanum 7. Februarii, & hacmet die ejus Festum celebratur Bononiæ, & in tota Diocesi cum Officio SS. nec Virginum, nec Martyrum. Lektionen autem secundi Nocturni non omnimode conformes recitabantur a Monialibus SS. Vitalis, & Agricola, ac toto Clero, ut infra dicemus. S. Julianæ vita descripta habetur in quibusdam antiquis Annalibus anni 1180. in Bononiensi Monasterio Abbatia S. Stephani, in cujus Templo, Sacelloque olim Familia Lianoræ, nunc Banciæ asservatur Corpus S. Julianæ in sarcophago marmoreo, publicæ venerationi exposito super Altare. Extat etiam Bulla Cœlestini III. (& non I. ut clare Bollandus (*In vita huj. S. Juliana, die 7. Febr.*), ostendit qui electus Pontifex anno 1191. obiit anno 1198. in qua Bulla conceditur Indulgentia inventibus dictam Ecclesiam, quæ dicitur edificata a S. Petronio, & in qua ibidem asseritur reperiri Corpus S. Julianæ Viduæ. Sixtus IV. mentione facta Bullæ Cœlestini III. eandem Indulgentiam confirmat.

3. &c. A nonnullis Virgo, & Martyr existimatur hæc S. Juliana, ex variis monumentis, quæ cum potius consiciant, quod Bononiæ cultum habuerit aliqua S. Juliana Virgo, & Martyr, affirmandum potius aliam fuisse S. Julianam Viduam, de qua loquimur, cum simplicem Viduam faciunt citata Bullæ Cœlestini III. & Sixti IV. atque etiam Synodus Zaneti Episcopi anno 1535. habita, & Catalogus Sanctorum, ac Beatorum Bononiensium Cardin. Palæoti.

6. &c. Magna lis est inter Scriptores, præsertim Bononienses, & Florentinos, an hæc S. Juliana sit illa eadem, de qua loquitur S. Ambrosius, (*Lib. de Exhortat. c. 1. & c.*) & cui S. Augustinus inscripsit suum Tract. *De bono Viduitatis ad Julianam Viduam*. In affirmantes propendit Bollandus, (*In vita hujus Sanctæ, §. 3. n. 17.*) idque tanquam certum ponunt antiquæ Lektionen recitatae a Monialibus S. Vitalis. Sed repugnat Baronius, (*In Not. ad Rom. Martyrol. ad hunc diem.*) & mul-

ti alii, etiam Bononienses, veritati magis, quam patriæ deferentes, quibus tandem hic accedit Benedictus XIV. post expensas utrinque rationes. Lektionen, quæ de hac S. recitabantur in Civitate, & Diocesi Bononiensi, narrant quidem, ea adstitisse inventioni Corporum SS. Vitalis, & Agricola, eisque Bononiæ Templum edificasse; non tamen inungunt eam perrexisse Florentiam, ibique fuisse inventam a S. Ambrosio, huncve consecrassse Templum ab eadem Sancta edificatum, aut de eadem fuisse loquutum in cit. *Tract. de exhortation. Virginit.*

11. &c. Quare Benedictus XIV. postquam ad S. Petri Cathedram ascendit, proprium omnibus Officium concessit, quartam, ac quintam Lektionem ex S. Ambrosii operibus efficiens, sextam vero ipsemet composuit, quæ videri potest in Bononiensi Breviario; & præter specialia, quæ de ea certo constant, eam vixisse dicit juxta normam ab Apostoto præscriptam. (*Ad Timoth. 1. c. 5.*) Concludendum igitur 1. Julianam, de qua loquimur, Sanctam fuisse Bononiensem, & Viduam; 2. Tres eodem tempore existisse Julianas, Florentinam nempe, Bononiensem, & Romanam, ut bene ponderat Baronius. (*In Not. ad Martyr. Roman. die 7. Februarii.*) 3. S. Petronium ad preces nostræ S. Julianæ consecrassse Templum in honorem SS. Vitalis, & Agricola, quod Templum Juliana propriis impensis edificari curavit Bononiæ eodem in loco, quo coronati fuerant Martyrio. 4. Viduam magnam suorum divitiarum partem impendisse in aedificandis Monachis Cœnobii D. Stephani, quos inter ejus Filius unicus se totum Deo religiosissime addixit; ipsam vero cum quatuor Filiabus, & Socra se recepisse in domum a populi commercio semotam, ad vitam ibi, veluti in Asceterio, pie traducendam. Videatur Sigonius. (*Lib. 1. Hist. Bononiens.*)

C A P U T VI.

De S. Faustiano Episcopo Bononiensi. Die 26. Februarii.

1. &c. **H**Ac die celebratur in Civitate, totaque Diocesi Bononiensi Festum hujus S. cum Officio ex communi Confessorum Pontificum, cui Pontifex Benedictus XIV. proprias concessit Lektionen ex Sermone quodam S. Gregorii Nazianzeni ejus rebus gestis aptato. S. Faustiani nomen recensetur in Martyrologio Romano, dicente, Bononiensem Ecclesiam persecutio-

ne Diocletiani vexatam, verbo prædicationis firmasse, & auxisse. De ipso loquuntur de externis Bollandus, (*Die 26. Februar.*) cum aliis; & cum Bononiensibus Sigonius, (*Lib. 1. Hist. Bononien.*) qui alicubi ejus Episcopatum refert ad tempora Diocletiani; alibi vero ad Magni Constantini. (*Lib. 1. de Episc. Bononien.*) Quidquid tamen sit de hoc, & aliis, quæ narrat idem Sigonius; solum dicimus cum Ferrario, S. Faustinianum Zamæ immediate non successisse, cum floruerit sub Constantino, & Christianorum Reliquias superiori persecutione dissipatas collegerit; S. vero Zama sub Galieno, nec videatur credibile, tamdiu eorum Sedem vacasse. Neque credendum sepulcrali inscriptioni a Sigonio allatæ; non enim antiquissima est, ut patet ex ejus characteribus vere Germanicis post sæculum XI. in Italiam inventis. Dicimus etiam cum Scripturis Bononiensibus, Cathedralē fuisse ædificatam a S. Faustiniāno super illam subterraneam, quam ædificaverat S. Zama. Uterque scilicet tempori deservit, unus persecutionis, cum Divina Officia in Cryptis agebantur; alter pacis Ecclesiæ a Constantino redditæ. Denique concludendum, S. Faustinianum eodem in sepulcro tumulatum fuisse, in quo S. Zama, ut patet ex sarcophago, de quo supra loquuti fuimus. (*In fine c. 1.*) Postea sub Sixto V. S. Faustiniāni corpus a Card. Palæoto translātum fuit ad Metropolitanam S. Petri Ecclesiam, ibique collocatum sub Ara maxima, ut videri potest in ejusdem Card. *Archiepiscopali Bononia*, & apud Bollandum. (*Die 26. Februar. in vit. ejusd. S. Episcop.*)

C A P U T VII.

De S. Basilio Episcopo Bononiensi.
Die 6. Martii.

1. &c. **S** Basilius Bononiæ Episcopus a S. Silvestro Papa ordinatus, uti ait Martyrologium Romanum, & Sigonius, (*In Hist. Bonon.*) per totam Dioccesim die 6. Martii communi Confessorum Pontificum Officio colebatur. Benedictus vero XIV. illi proprias secundi Nocturni Lectiones concessit ex S. Bernardi verbis confectas, ejusque rebus gestis aptatas: De illo loquuntur tum Scriptores Bononienses, tum alii cum Bollandistis. (*Ad. 6. Februar.*) Tempus Consecrationis hujus S. primo posuit Sigonius inter annos 331. & 337. (*Loc. cit.*) postea vero circa annum 350. (*Lib. 1. de Episc. Bononien.*) quod postremum, si ve-

habet, consecrari non potuit a S. Silvestro, qui obiit an. 335. ob idque Ferrarius, (*In adnotat. ad hunc S. Basilium.*) consecratum putat a S. Julio Papa an. 350. Ecclesiam regente. Verum Martyrologio potius standum, & Episcoporum Bononiensium series corrigenda, uti eam corrigunt Alidosius, Ughellius, & Auctor adnotationum ad Sigonium, (*In vita S. Basilii.*) Basilium post s. Faustinianum circa annum 330. exinde Domitianum circa annum 338. tum Joannem I. circa annum 344. & post hunc s. Eusebium (de quo infra) circa annum 370.

5. &c. Ex eadem Chronologia rejicitur, quod addit Sigonius, hunc s. Basilium interesse potuisse Concilio Ariminensi habito anno 359. inter Episcopos Occidentales 400. qui ab Arianis illasi sunt, quodque Concilium improbavit Liberius Papa, & iterum s. Damasus; (*Epist. Synodic. ejusd. apud Theodoretum l. 2. c. 17.*) Adde rejiciendum Sigonium etiam, juxta aliorum Chronologiam, qui vitam S. Basilii præstendunt ad annum 350. minime vero ad annum conciliarem 359. ut adnotarunt etiam Bollandistæ. (*In vita huj. S. die 6. Martii.*) Cum Sigonio tamen cit. tenemus, S. Basilium aut incepisse, aut absolvisse, & dedicasse Templum ss. Apostolis Petro, & Paulo, quod Templum est nunc conjunctum cum Templo S. Stephani. Quod vero dubitanter addit S. Basilium in eodem Templo tumulatum fuisse asserere non audemus; compertum enim est primos Bononiæ Episcopos sepultos fuisse in veteri Ecclesia Cathedrali SS. Naboris, & Felicis.

C A P U T VIII.

De S. Catharina Bononiensi. Die
9. Martii.

1. &c. **F**esta dies S. Catharinæ agitur 9. Martii Bononiæ, & in tota Diocesi cum Officio proprio, cujus pro secunda Nocturno Lectiones extant in Lectionario proprio Ecclesiæ prædictæ. S. Catharinæ nomen sic descriptum est hac die in Martyrologio Romano, jam inde a Clementis VIII. temporibus: *Bononia B. Catharinæ Virginis, Ordinis S. Clara, vite Sanctitate illustris, cujus Corpus magno cum honore ibidem colitur.* Eam Clemens XI. solemniter ritu Sanctorum catalogo adscripsit; sed Bullam edidit Benedictus XIII. consuetam via, quæ dicitur: *Rationi congruit.* S. Catharinæ virtutes, miracula, & res gestæ videri possunt in compendio, quod in ejus

Canonizationis causa, Cardinalibus, qui Consistorio semipublico adfuerunt, obtulit Benedictus XIV. tunc Fidei Promotor. (*In 7. Appendic. ad l. 1. ope. de Canonizat. SS. pag. 422. & seq. edit. Patav.*) Apud eundem alibi (*Lib. 4. de Canoniz. SS. p. 1. c. 30. & 31.*) videri etiam potest Corporis S. Catharinæ incorruptio, odor, & quod sine fulero sedeat etiam nunc.

5. &c. Nihilominus Benedictus XIV. in citato vitæ compendio hæc non inferuit, hac ductus ratione; quia licet sine temeritate negari non possit, hoc veri prodigii loco haberi debere, & ut tale quodammodo ab Ecclesia ipsa approbatum dici possit, cujus permissio commemoratur in Officiis concessis a Clemente VII. & Sixto V. pro Monialibus dicti Monasterii; attamen post ejus virtutes heroicæ ab Innocentio XI. approbatas, cum sub Clemente XI. ad examen miraculorum veniendum esset, quæ post *Indultam*, ut ajunt, *Venerationem* contigissent, Bottinus tunc Fidei Promotor opposuit, illam incorruptionem, & odorem inter miracula, quæ supervenerant, haberi non posse; tum quod continuatio novum miraculum a primo suo prodigioso statu distinctum haberi nequeat; tum quod Physici, quibus nova corporis agnitio demandata esset, non nihil in eo detrimenti, seu mutationis compererint, ut ex eorum suffragiis, quæ alibi idem Benedictus XIV. (*Cit. cap. 30. n. 12.*) indicavit, videri potest. Concludit, dictam incorruptionem in statu præsentis dici non debere novum miraculum post *indultam huic Sanctæ venerationem eveniens*, de quo tunc agebatur; aut saltem, non tale, quale in negotio Canonizationis requiritur; ob idque duo alia suffecta esse miracula post dictam venerationem patrata, & a se in fine cit. Compendii relata, sed citra præjudicium prodigiosæ Corporis incorruptionis. Addit tandem, supposita præfata mutatione a Physicis reperta, dictam incorruptionem, ut in præsentia est, in eorum ordine poni debere, quæ mira dicuntur, non tamen miracula. Hinc in Bulla Canonizationis solum narratur, S. Catharinæ Corpus post decem, & octo dies a morte elapsos, & tumulo extractum, incorruptum inventum esse, & odoriferum, septemque diebus populo intuendum fuisse expositum, itemque Clementem VII. annis a Sanctæ obitu septem ac septuaginta cum Bononiæ esset, incorruptum Corpus, & manu tractabile reperisse.

De S. Tertulliano Episcopo Bononiensi.
Die 27. Aprilis.

1. &c. **I**N Civitate, & tota Diocæsi die 17. Aprilis celebratur Festum S. Tertulliani Bononiæ Episcopi (uti eum appellat Martyrologium Romanum) cum Sacro, & Officio ex communi Confessorum Pontificum. Nunc vero proprias habet Lectiones ex S. Gregorii Nazianzeni verbis confectas, & quantum fieri potuit S. prædicto accommodatas. Tempus, in quo Sanctus hic Antistes Bononiam rexit, controversitur ab AA. Baronius, (*In Notis ad Martyrolog.*) & cum eo Sigonius, (*Lib. 1. de Episc. Bononiens.*) & alii, cum octavum putant Bononiæ Episcopum, electum an. 470. immediate post S. Paternianum. Ughellius vero eum facit undecimum; Massinius decimum octavum. Hinc Rollandistæ (*In vita S. Tertul.*) ingenue fatentur, se ignorare quo loco inter Bononiæ Episcopos S. Tertullianus reponi debeat; & Tillemontius, (*In vita S. Petronii prope fine.*) ait, pauca esse, quæ circumferuntur de hoc S. Tertulliano, & nihil sufficienter probari. Hinc sine sufficienti fundamento Sigonius, hunc fuisse asserit, qui S. Namatio Avernorum Episcopo in Aquitania concessit Reliquias SS. Vitalis, & Agricola, quarum petitionem narrat S. Gregorius Turonensis (*Libi 2. Suar. Historiar.*) Nam neque dictus S. Gregorius, asserit nomen Episcopi Reliquias concedentis, neque annus 477. in quo hoc factum ponitur a Signonio, concordat cum Chronologia Samaritanorum circa S. Namatium. Ob id Tillemontius cit. censet traditionem Reliquiarum S. Petronio probabilius adscribandam.

4. &c. Nec felicius S. Tertulliano tribuit idem Sigonius, quod una cum aliis Emiliæ Episcopis restiterit Joanni Ravennati Episcopo, cum Gregorium per vim consecravit Episcopum Mutinæ. Extat enim epistola Simplicii Papæ, qua Joanni suum crimen exprobrat, & ne verbum asserit de Episcoporum obsistentia, quam certe non tacuisset, si vera esset. Scribit præterea hunc S. ædificasse, aut saltem approbasse Cœnobium S. Helensæ, ædificatum in pago Sancerni, Bononiensis Diocæsis. In hoc ab eo non dissentit Marsilius ex Bononiæ Archidiaconus. Perusina postea Episcopus, qui se invisisse dicit dictum S. Helensæ Templum, & iudicat esse opus V. sæculi, tum ex lapidum qualitate, tum ex cæmentitia constructione.

Cum

Cam Sigonio tandem convenimus, S. Ter-
tullianum cumulatam fuisse in Ecclesia SS.
Naboris, & Felicis.

C A P U T X.

*De S. Theodoro Bononia Episcopo
Die 5. Maji.*

1. &c. **U**Niversa Bononiensis Diocesis
diem 5. Maji consecrat S.
Theodoro Confessori, & Bononia Episcopo,
cujus nomen descriptum est in Martyrolo-
gio Romano. In Notis ad illud addit Baro-
nius: *Succesit hic Laurentio ejus Civita-
tis Episcopo circa annum Domini 530. ut
in ejusdem Bononiensis Ecclesie tabulis vi-
dimus.* De illo loquuntur præter Bononien-
ses scriptores, Ughellius, Ferrarius, & Bol-
landi Continuatores. (*Die 5. Maji.*) Mul-
tis privilegiis Agapetus Pontifex Sanctam
hunc, ejusque successores decoravit, eaque
successores Pontifices confirmarunt, quo-
rum Diplomata se vidisse testatur Sigonius.
(*In vita Theodori.*) In his privilegiis dif-
ficultatem parit, quod Agapetus S. Theo-
doro subjiciat Abbates, & Monachos, qui
in ejus essent Diocesi, quod videtur sup-
ponere, seclaso privilegio, ipsi antea sub-
jectos eos non esse; hoc autem disciplinae
adversatur eorum temporum, qua omnes
Monachi, & eorum Ecclesie Abbates &c.
subjacebant Episcopo Diocesano, juxta Ca-
nonem 4. Concil. Chalcedonensis, & Legem
Justiniani. (*Leg. 47. Cod. de Episcop. &
Clericis.*) Eidem subdit etiam Præsbyteros,
Diaconos, & Clericos, qui in Bononiensi
erant Diocesi; hoc vero si ve de Monachis
intelligatur, si ve de Sæcularibus, redit ea-
dem difficultas, & alia præterea, quod eo
tempore Monachi omnes essent Laici, ut
ex D. Hieronymo (*Ad Heliodorum.*) hic
probat Benedictus XIV. Neque intelli-
gi potest de Clericis Sæcularibus alicujus territo-
rii exempti, & Abbati alicui Regulari an-
tea subiectis, ut nunc evenit; hanc enim
territorii exemptionem longe post ea tempo-
ra incepisse, facile omnes norunt. Hanc dif-
ficultatem solvit hic Benedict. XIV. di-
cens, visis a se privilegiis; nihil aliud in-
tendisse Agapetum, & Successores, nisi ut
Bononiensi Episcopo subicerent hanc, vel
illam agri partem, quæ *Corte* dicebatur, ut
etiam advertit Du-Cange, (*In Glossario V.
Cortis, vel Curtis, to. 2. nov. ed.*) & ex
consequentiâ eidem subjecisse Sæculares,
Monachos, & Clericos, qui in eis agris ha-
bitabant.

14. &c. De S. Theodoro idem dicendum,
quod de multis aliis SS. Bononia Episcopis,
certam scilicet esse ejus Sanctitatem, cum
illius nomen recensatur in Martyrologio
Romano, & de eo Festum peragatur; igno-
rari tamen peculiâres res ab eo præclare gestas,
ob defectum priscorum monumentorum, eo-
rumque temporum incuriam. Quare conclu-
dimus, illum cumulatam fuisse in Cathedra-
li Ecclesia SS. Naboris, & Felicis, ubi le-
gitur: *Hic requiescit in pace Theodorus*,
quæ quidem inscriptio reperta, recognita-
que fuit a Boncompagno, cum subterraneam
Ecclesiam inviseret, & a Benedicto XIV.
quando eandem visitavit. Hujus Sancti Of-
ficii dicebatur de communi Confessorum
Pontificum, sed a Benedicto XIV. conce-
sa sunt Læctiones secundi Nocturni ex Ho-
milia S. Basilii Magni, S. Theodoro, quan-
tum fieri potuit aptatæ, ut a peculiaribus
ejus rebus gestis definiendis abstineret.

C A P U T XI.

De S. Pio V. Die 5. Maji.

1. &c. **H**æmet die Martyrologium Ro-
manum S. Pii V. meminit, &
maxima cum laude. De eo non solum Bono-
nia, sed in Ecclesia universali Officiis
propriis recitatur. Nihil de ejus vita ad-
mirabili dicemus; fuisse enim illa scripserunt
Catena, Gabutius, & Caranza cum aliis.
Peculiari quodam modo pertinet hic ad
Bononiensem Urbem; nam licet in Agri
Alexandrini oppido, quod Boschus dicitur,
natus sit, originem tamen suam ad nobilem,
& Senatoriam Bononia Ghisleriam Familiam
referat. Abunde id ostenditur 1. ex Au-
ctoribus qui peculiariter ejus gesta scripse-
runt, ut Hieronymus Catena, qui nihil in
hujus S. vita retulit, quod vel non ipse
viderit, vel non certo deprehenderit: Jo-
annes Andreas Gabutius Clericus Regularis S.
Pauli, qui in causa Canonizationis hujus
S. testimonium dixit in Romano processu,
& bis Roma Boschum profectus est, ut cer-
tius cognosceret, quæ de illo scripturas erat,
ad idemque oppidum referebantur. Quare
merito ipsos fidem mereri censuerunt Rota
Auditores Coccinus, Pirovanus, & Merli-
nus in relatione causa hujus S. coram Ur-
bano VIII. (*Habetur tom. ult. Annalium
Bzovii p. 1168.*) Nec minori diligentia, &
judicio de hoc S. scripserunt Eques Paulus
Alexander Maffejus, & Thomas Minorel-
lus Dominicanus, qui omnes de Ghisleria
Boschi Familia a celebri illa Bononiensi per-

gradus deducta luculentum edunt testimonium. 2. Ex concordia Bononiensium Scriptorum sententia, quos hac in re consentire ostendit hic Benedictus XIV. 3. Ex cæterorum etiam Auctorum consensu, ex quibus præ aliis videri potest Spondanus. (*Ad ann. C. 1565. num. 1.*) 4. Quia ex paulo antiquioribus unus id negare ausus est Jacobus Augustus Thuanus, (*Tom. 2. Histor. sui tempor.*) cujus audaciam merito retundit Laderchius. (*Tom. 22. Ann. Eccl. ad an. Chr. 1566. n. 13. & 14.*) 5. Ex tribus monumentis, id constare testantibus; nimirum, Relatione in ejus Canonizationis causa, lectionibus secundi Nocturni, ac Bulla Canonizationis; atque etiam ex eisdemmet Sancti verbis, qui hoc in nonnullis Brevibus, ad eandem Familiam datis testatur; quoad minime affirmasset nisi prædicta Familia ortum se esse sciret.

7. &c. Apud Vizanum legi potest, (*Lib. 17. Suar. Hist.*) qua fraude nobilis Bononiensis Franciscus Ghislerius, Annibalem Bentivolium aggressus interimit. Hinc in Ghislerius populi furor exarsit, & in Cannetolos, quos illi in suas partes adduxerunt: omnes Bononia eiecit: omnium domus diruptæ, incensæ, & tandem a fundamentis dirutæ: ipsi in diversis locis sedem fixerunt. Lippus Ghislerius cum uxore de gente Cannetola Bofchum secessit in Diocesi Dartonenfi, duabus leucis Alexandria distitum. Ex eo Antonius natus est; ex Antonio Paulus; ex Michaele Ghislerius, seu Pius V. constat ex Actis authenticis, quorum meminit Dolfius, (*Chron. Familie Bonon. p. 349.*) Urbis porta, qua exules Ghislerii profecti sunt, S. Ista dicebatur, obstructaque fuit, ne spes ulla reditus eiectionis pateret: a S. Pio V. Pontifice creato, fuit referata (Senatu consentiente) a Joanne Baptista Doria Bononiae Governatore, portaque deinceps *Pia* fuit appellata.

C A P U T XII.

De B. Nicolao Albergato S. R. E. Cardinali, & Episcopo Bononiensi, Die 10. Maji.

1. &c. **I**ncidit in diem 10. Maji Festum B. Nicolai Albergati Monachi Carthusiani, Episcopi Cononiensis, & S. Rom. E. Cardinalis, uti nunc legitur in Martyrologio Romano ex Decreto Benedicti XIV. 25. Septembris 1744. Idem præterea Lectiones secundi Nocturni præclara ejus gesta comprehendentes, concessit Bononiensi

Diocesi; quia ibidem & ex illustri Familia ortus fuit, & Episcopatum obtinuit: Carthusianis Monachis, quia eorum Regulam professus est: & Basilicæ Liberianæ; quia ejus fuit Archipresbyter Cardinalis, uti constat ex monumentis in dicta Basilicæ Tabulario asservatis. Hujus B. Viri gesta nosci possunt ex ejus vita, conscripta a Jacobo Zeno Episcopo Feltriae, ejus Familiari, & Bollandiano operi inserta; (*Tom. 2. Maji.*) tandemque correctæ, juxta Vaticanum Codicem, ac typis editæ Romæ ann. 1744. in fronte Volaminis inscripti *Romanorum Pontificum, Regum, atque illustrium Virorum testimonia de B. Nicolao Albergato*: &c. Ex propriis ejus Lectionibus constat, nobili genere Bononiæ natum; ibidem Juri Civili operam dedisse; patrio Cœnobio, aliisque subinde sere per decennium præfuisse; a populo, & Clero Cononiensi concorditer in eorum Episcopum postulatum, non nisi Superiorum jussu munus illud acceptasse; cujus partes omnes apprime expleverit: ter a Civibus suis ad Martinum V. Oratorem missum, a quo præterea Legatus missus in Gallias ad pacem inter Anglorum, & Francorum Reges conciliandam; ea Legatione perfunctum, Cardinalem creatum S. R. E. moxque in Insubriam missum, ut dissidentes Mediolanenses, Venetos, & Florentinos componeret, quo feliciter peracto, iterum in Gallias Legatum a Martino V. & inde ab Eugenio IV. in Belgium, Philippum Burgundiæ Ducem Carolo VII. Francorum Regi conciliasse. Apud Germaniæ Principes in Norimbergenfi Conventu Legatum egisse. In Basileensi Concilio, & mox in Ferrariensi, Apostolicæ Sedis dignitatem adversus Schismaticos egregie tutatum. In tot Legationibus incredibilem apud Principes venerationem adeptum, eo quod vel in summis honoribus simplicissima in eo lucret humilitas, animus firmus, & excelsus, sed candidus, prudens, ac moderatus; effusa in omnes charitas: mansuetudo, & humanitas cum ardenti Religionis zelo conjuncta. Carthusianas austeritates ad mortem usque retinuisse. Familiam ingenuam, sanctissime quo institutam aluisse, ex qua subinde Nicolaus V. & Pius II. Romani Pontifices prodierint. Tandem dam Eugeniæ IV. comitaretur, Senis penam calculo obiisse; Florentiamque delatum, apud Carthusianos, honorifice sepultum. Nec postrema hujus B. viri laus est, quod Poggius Florentinus, homo maledicentissimus, in libro a se scripto, *De Hypocritis*, in quo magni nominis, & meritis viros hypocritis pice inquinat,

pat, nihilominus de B. hujus virtute ab omni hypocrisis aliena luculentum edit testimonium. Ab antiquis temporibus hic Dei Servus publicam habuit cultum, scientibus, ac ferentibus Ordinariis, & Sedē Apostolica, quo rite probato, confirmataque sententia super eum anno 1725. lata a Card. Boncompagno, nec non approbato processu de fama virtutum, & miraculorum, auctoritate Ordinaria confectum an. 1654. Benedictus XIV. illi tandem concessit Missam, & Officium proprium, ut diximus, & ut in Romanum Martyrologium ejus nomen referretur, ut constat ex ejus Brevi Apostol. (108. c. 1. *Bullar. ejus. Pont.*) Limites insuper definivit, quibus cultus eidem præstandus exhiberetur; simulque illud addidit, ut B. hujus imagines exhiberentur Carthusiano habitu insignitæ; eo enim semper usus fuit, licet Episcopus esset, & Cardinalis; ac Rubro Pileo, cujus potestas ab Innocentio IV. facta est Cardinalibus; non Rubro Pileolo, aut Bireto, quorum usus multo post anno 1591. Cardinalibus Regularibus a Gregorio XIV. concessus est.

C A P U T XIII.

*De S. Proculo Milite, ac Martyre,
Die 1. Junii.*

1. &c. **B**Ononiæ celebratur 1. die Junii Festum S. Proculi Martyris, & Patroni. De eo mentionem faciunt S. Victorius Rothomagensis Episcopus, (*In suo Opusculo de Laude Sanctorum. n. 6. & 11.*) S. Gregorius Papa, (*Lib. 1. Dialog. c. 9.*) & S. Paulinus Nolæ Episcopus, (*In Natali Nono S. Felicis.*) qui & Proculi Reliquias in suam Ecclesiam transfudit, & ejusdem Martyrium refert ad Maximiani, & Diocletiani persecutionem; quemadmodum loquitur Martyrologium Romanum, observavitque Baronius, (*In Annal. ad an. 303. n. 122.*) Neque audiendus de Aste, (*In suis recentior. Not. ad Martyrol. Roman.*) negans Ss. Paulinum, ac Gregorium locutos fuisse de nostro S. Proculo; quia de S. Gregorio hoc affirmat Baronius, (*In Not. ad Martyr. Roman.*) & concordant Bollandistæ: (*In Act. S. Bonifacii relat. die 14. Maij.*) & de S. Paulino etiam credendum est; quia hic S. Proculus præ aliis omnibus ejusdem nominis celebrior est, & notissimus, teste cit. Baronio. Licet autem S. Paulinus illum conjungat cum Ss. Vitali, & Agricola, non vero Martyrologium, ideo est, quia hoc diem eorum pas-

sionis respexit; Paulinus vero eandem Diocletiani persecutionem, sub qua omnes hi Martyrio sunt coronati, licet non eodem die.

7. &c. Lectiones hujus Sancti, quæ olim recitabantur a Benedictinis, excussit Bononia anno 1610. narrant, Christiana Republica Bononiensi oppessa a Mirino idololatra, Præfecto Diocletiani, & Maximiani, S. Proculum, ut alter Phinees, zelo Dei succensum, Præfectum ipsum adisse, eum privatim alloqui postulasse, admissumque, Præfectam Marinum obruncasse securi, quam occulte deferebat. Domo impune egressum aliquandiu latuisse in Suburbanis, nec se fuga præcipuisse, cum posset. A Paganis conquistum, & inventum, factum suum confessum esse. Quare magis incenso Paganorum furore, Martyrio Proculum affecisse, aspereque mulctasse, quod ille recisum manibus sumpserit, & ad locum utique detulerit, ubi postea a Bononiensibus Templum illi fuit dicatum. Rem sub eadem substantia, paucis mutatis circumstantiis, narrant Lectiones olim a PP. Dominicanis recitatae, & fusius refert S. Antoninus, apud quem videri potest. (*In Chronico. p. 3. cit. 24. c. 13. §. 4.*) Verum hæc narratio jure, meritoque hic exploditur a Benedicto XIV. & ut apocrypha omnino reputatur; quia si vera esset, neque Proculus Martyr fuisset, neque, ut talis coli posset; eo quod factum illicitum, & enorme delictum perpetrasset, cujus causa iuste fuisset ad mortem damnatus, non Christi causa, sed in sui delicti poenam. Additur hæc omnia longe discordare, S. Paulino, ceterisque antiquis Scriptoribus: a Sancto quoque Antonino primum post tot sæcula in lucem edita, nullo citato veteri documento, ex quo sint eruta. De Historia S. Antonini (sicut & de illa Vincentii Bellovacensis) hoc Melchior Canus fert judicium: *Uterque non tam dedit operam, ut res veras, certasque describeret, quam ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibusdam reperiretur.* (*De Loc. Theologic. l. 11. c. 6.*) Igitur concludimus, certissimam esse, sanctitatem S. Proculi, certissimum illius Martyrium, testimonio S. Paulini confirmatum: ceterum Acta hujus S. Martyris deperdita fuisse, & alia parum sincera, & commentitia fuisse divulgata, ut admoenet cit. Baronius. Hujusmodi Martyris corpus una cum corpore alterius S. Proculi Episcopi, & Martyris jacet in Templo S. Proculi Monachorum Cassinensium, ut constat cum ex Lapide erecto an. 1380. in quo

etiam legitur 500. annos ante reposita ibi fuisse Corpora dictorum Ss. Martyrum; tum ex aliis monumentis asservatis in Archivio illius Cœnobii. In Urbis Patronum fuit electus sub Jacobo Boncampio Dominicano Bononiensi Episcopo, ut videri potest apud Sigonium. (*In vitis Herici de Fratra, & Jacobi Bonecampii l. 2.*) Singularissima sunt beneficia, quæ S. Proculus a Deo huic Civitati impetravit. Anno siquidem 1474. sua intercessione obtinuit Agrorum fecunditatem post diuturnam annonæ caritatem; anno 1505. indemnitate ab everfione, tempore terramotus; & anno 1630. liberationem a peste. S. Patroni Festum cum Officio, & Missa de Comuni Martyrum peragebatur, postea Benedictus XIV. proprias secundi Nocturni Lectiones ex S. Augustini sermone confectas, ac S. Proculo accommodatas universæ concessit Diœcesi; quartam vero Lectionem, apud Diœceseos Breviarium videntem concinnavit. In ea ex s. Paulini testimonio dicitur, Martyrii palmam obtinuisse trabalibus confixum clavis.

C A P U T XIV.

*De Sancto Parisio Confessore. Die
II. Junii.*

I. &c. **H**Ac die mentio fit in Martyrologio Romano de s. Parisio Confessore, Monachoque Camaldulensi, ac Bononiensi; & ipsiusmet Festum celebratur in tota Diœcesi cum Missa, & Officio de Comuni Confessorum non Pontificum. Postea s. Rit. Congr. die 20. Augusti 1729. approbavit Lectiones proprias secundi Nocturni pro Camaldulensium Ordine, petitas ex Historia Camaldulensi Augustini Florentinii, & ex vita scripta a Sigonio; easdemque ex quatuor ad tres redactas extendit ad omnem Clerum Bononiensem Benedictus XIV. Vir Dei natus est Bononiæ ex piis, & honestis Parentibus ann. 1151. ibidemque cooptatus inter Cœnobitas Camaldulenses, juxta Bollandistas, Sigonium, (*Lib. 3. de Episc. Bononiens. in vita Octavii Ubaldini.*) & alios. Quadragesimo ætatis suæ anno Tarvisii in Rectorem Monialium s. Christinæ ejusdem Ordinis electus. Fuit omnium virtutum genere spectatissimus; & semper cum laude Monasterio prædicto præfuit per annos 77. Ad extremum usque Spiritum Virginitatem illibatam servavit. Pluribus claris miraculis, & Prophetiæ dono illustris, sanctissime obiit anno Christi 1257. ætatis vero suæ 116. A populo Tarvisino adscitus

est in Patronum. Eodem anno Albertus Tarvisii Episcopus auctoritate Ordinaria processum confecit, & ad examen revocavit ipsius virtutes, & miracula. Legantur Florentinius, (*In Hist. Camald. l. 2. c. 20.*) Bailler, (*In vit. ejusd. S.*) & Bollandistæ. De Aste (*In Notis ad Martyr. Roman.*) ait, Bononiensium pace, hunc s. Tarvisio potius, quam Bononiæ adscribendum. At si per hoc negare vellet, eum Bononiæ natum, palmaris error esset, cum in hoc consentiant ejus vitæ Scriptores, & memoratæ Lectiones non pridem Camaldulensibus concessæ. Si vero id contendat ob diutissimam Tarvisii commorationem, scutam ibi mortem, & confectum Ordinarium processum, pro se habet Bollandistas cit. Sed litem componit Benedictus XIV. ex doctrina a se alibi tradita, (*Instit. 12. pag. 142. & ibi Synopsis,*) triplicem scilicet esse Ss. patriam, qua nati, qua diu vixerunt, qua obierunt; & 1. titulo Bononiæ esse abscribendum.

C A P U T XV.

*De S. Paterniano Bononiæ Episcopo.
Die 12. Julii.*

I. &c. **I**N honorem S. Paterniani Episcopi Bononiensis recitantur Bononiæ, & in tota Diœcesi die 12. Julii Horæ Canonice petite ex Comuni Confessorum Pontificum. De illo mentionem facit præter Martyrologium Romanum, Baronius in Notis, Sigonius, & Ferrarius, qui asserunt, ipsum in Episcopatu immediate successisse s. Petronio. Consentit Tillemontius, addens, hanc esse eruditorum hominum opinionem: (*T. 5. in vit. S. Petronii.*) Sanctumque Petronium annis 20. Episcopatum rexisse, ab anno scilicet 450. ad an. 470. Contra Masinius docet fuisse Successorem s. Adriani, qui immediate s. Petronio successit. Ughellius denique undecimo loco ipsum connumerat inter Episcopos Bononiæ. Quæ de causa Bollandistæ, (*In vita hujus S.*) scribunt, incertum esse, cuinam in Episcopali munere successerit Sanctus noster. An autem Sanctus hic noster sit idem, an alius a s. Paterniano, quem Fanensis Civitas, ut suum Episcopum, & Patronum colit, dubium ingessit Bollandistis, maxime propter obscuritatem temporis, quo uterque vixit, & defectum notitiæ rerum ab utroque gestarum, quæ temporis oblivione sepultæ sunt: accedit propinquitas utriusque Urbis, & quod eodem mensè, & die fere eodem uter-

uterque colatur. Nihilominus cum iidem Hollandistis, (*Die 12. Julii*), sentimus, utrumque Sanctum in antiqua sua possessione relinquendam, donec aliud suadeant certa documenta, quorum consequutio minime speratur.

C A P U T XVI.

De S. Dominico Confessore. Die 4. Augusti.

1. &c. **F**estum S. Dominici Institutoris Ordinis Prædicatorum ubique terrarum solemne est. Illius recordatur Martyrologium Romanum maxima cum laude, non modo hac die 4. Augusti, in qua ex Constitutione Pauli IV. ejus Festivitas celebratur; sed etiam 24. Maji, in qua translatum fuit a sepulcro ejus corpus, repositumque in Capsa Cedrina tempore Gregorii IX. uti constat ex Malvenda, (*Ad ann. Chr. 1233. num. 9.*) Bzovio, (*Ad eund. an. num. 5.*) aliisque documentis, apud Echardum, (*T. I. de Scriptorib. Ordin.*) Translationis Festum celebratur a Dominicorum Ordine. Pluribus titulis ad Bononiam pertinet s. Dominicus. Ipsam incoluit: Cœnobium celeberrimum sui Ordinis a fundamentis in ipsa erexit: atque in ipsa primum totius Ordinis Generalem Conventionem celebravit: præterea in ipsa illius venerabile Corpus quiescit in nobilissimo Sepulcro erecto in Templo Religiosorum ejusdem Ordinis. Ipsius autem caput anno 1383. Bononiæ Ecclesiam regente Cardin. Philippo Carafa, seorsim in argentea theca repositum fuit, in qua etiam nostris hæc temporibus asservatur. Hanc Capituli separationem narrat Sigonius, (*Lib. 2. de Episcop. Bononien. invita Card. Carafa*), additque, interim dum arca patuit, quæ ejus corpus asservatur, stellam supra Ecclesiam clarissime fulsisse: quæ res animadversa Civitatis venerationem erga Sanctum Confessorem accendit.

4. &c. Alio peculiari titulo ad Bononiæ Civitatem pertinet s. Dominicus; nam uti commentatur Echardus in vitam hujus S. scriptam a Ven. Fr. Jordano, qui s. Dominico in regimine totius Ordinis successit, plurimi ex Universitate tum publici Professores, tum Scholares solemnia vota nuncuparunt in Ordine ab ipso instituto; quorum multos nominatim commemorat, sicut & Sigonius. (*In vlt. Episcop. Henrici de Frat. l. 2. de Episcop. Bononiæ*) Aliam titulum addit Touronius, (*Lib. 3. c. 3. in vita*

S. Dominici). quod scilicet s. Dominicus a Senatu fuerit Civitate donatus. Ab hoc tamen se abstinere hic Benedictus XIV. eo quod, facta a se diligenti examine in publicis Commentariis, in quibus Civitatis concessionem fideliter descriptam sunt, nusquam ea concessio potuerit inveniri; cum aliæ aliis factæ tum post, tum ante s. Dominici tempora inventæ sint. Ad fabulas etiam amandat, quæ narrat Waddingus, (*In Anna. ad an. 1250. n. 4.*) videlicet, Affissi ante incorruptum Corpus s. Francisci videri genitum, habens fronti affixam stellam: per quod innuitur s. Dominici Corpus illic asservari. Id autem asserere Sedes Apostolica sub excommunicatione prohibuit, teste Angelo, e Rivortorto Minore Conventuali, (*In Historia Cœnobii Affissan. tit. 34.*) qui etiam se accepisse veridicam suorum traditione testatur, cum primum hæc narratio in lucem prodiret a Senioribus suis fuisse risu exceptam.

C A P U T XVII.

De S. Bononio Abbate. Die 30. Augusti.

1. &c. **D**ie 30. Augusti celebratur Festum S. Bononii Abbatis, qui Bononiæ natus, ibique inter Benedictinos cooptatus in Cœnobio s. Stephani, cum animarum zelo, Divinæque Gloriæ æstaret, Cairum, sive Babilonem Aegypti profectus fuit, ut barbaris Fidei rudimenta traderet. Illuc appulsus in desertum secessit, precibus, & pœnalibus operibus Infidelium conversionem a Deo impetraturus. Multos subinde ad Christi Fidem convertit; Templâ diruta instauravit; variis Cœnobiis Monasticam restituit disciplinam. Hostium Christiani nominis animos ita sibi conciliavit, ut a Rege obtinuerit Libertatem Patri Episcopi Vercellarum, cæterorumque Christianorum, qui in captivitatem inciderant. Quamobrem, vita sancto Abbate Locedii in Diocesi Vercellensi, dictus Petrus Episcopus gratitudinis ergo, illum prædicti Cœnobii Abbatem inauguravit; quod cum gubernaret, plures gravesque persecutiones passus fuit, a quibus coactus est in Hetruriam se conferre. Sed tandem tumultu sedato, ad sui Cœnobii regimen rediit, ubi meritis plenus, & miraculis celebris, mortalem hanc vitam cum æterna commutavit anno 1026. Acta hujus S. asservantur in Archivio Cœnobarum Abbatæ S. Stephani Bononiæ; & in Opera Surtii (*T. 7. sub die 30. Augusti*), inserta leguntur.

leguntur, ad quem ea transmisit Cardin. Pa-læotus. Alla monumenta ad se se authenti-ce missa ex Archivio Vercellaram, alibi inseruit Benedictus XIV. (*In Appendic. ad l. 2. de Canonizat. S.*) ex quibus dare constat sanctitas, miracula, & cultus sacer huic S. a populis exhibitus. De illo loquitur Sigonius, (*De Episcop. Frugerio an. 1026. & Hist. Bononienz.*) aliique Scriptores Bononienses. Quin & Martyrologium Romanum, cui addit Baronius in Notis, ejus sanctitatem probatam fuisse a Joanne Papa XX. Eidem Benedictus XIV. Lectiones proprias secundi Nocturni concessit, in quibus præter dicta, illud præcipuum additur, quod cum navim conscendisset, ut Alexandriam peteret, savissimam tempestatem, fuis ad Deum precibus, illico sedaverit, eoque miraculo permoti complures Barbari, Christo nomen dederint.

C A P U T XVIII.

De B. Petro de Arbues. Die 17.
Septemb.

1. &c. **D**IE 17. Septembris celebratur Ro-nonia, in multisque Hispania-rum Dicecesibus, Festum B. Petri de Ar-bues, qui Martyrium passus causa Catholi-cæ Religionis, solènni ritu inter Beatos ab Alexandro VII. fuit annumeratus. Ejus no-men hacmet die ex Decreto Benedicti XIV. descriptum legitur in Martyrologio Roma-no. Ad Urbem Bononiensem pertinet hic Beatus, tum quia in hac universitate Docto-rale accepit lauream in Sacra Theologia anno 1473. Logicamque publice docuit ma-gno cum Auditorum progressu in pietate, & in litteris, uti legitur apud Velascum; (*In ipsius vita Hispanio. idiomat. conscri-pta.*) tum quia aliquot annorum spatio fuit Alumnus in Collegio, in ipsa Urbe ere-cto pro Natione Hispana a Cardin. Alborno-tio, in quod fuit cooptatus anno 1469. qui-libet autem prædicti Collegii Alumnus ex antiquissimo indulto, statim, ac admissus est, inter Bononienses Cives commuerantur, gau-detque omnibus privilegiis, quibus reliqui Cives fruuntur, ut patet ex publicis, & authenticis tabulis manu Jacobi Monterenzi notarii conscriptis die 20. Octobris. 1395. Consuli etiam potest Tamayus, (*Tom. 5. Martyrol. SS. Hispan. ad diem 17. Se-ptemb. pag. 227.*) qui Scriptores congerit de B. hoc loquentes, & etiam Salèles, (*In suo S. Inquis. Tribun. T. 1. Prologomén. 5.*) qui fute agit de ejus Martyrio. Ba-

etiones ejus propria videri possunt in Bo-noniensi Lectionario, ac in recentibus Bre-viariis prope finem.

C A P U T XIX.

De S. Eusebio Bononiæ Episcopo. Die
26. Septembris.

1. &c. **B**ONONIÆ celebratur Festum S. Eu-sebii Confessoris, & Episcopi Bo-noniensis, qui juxta accuratiorem Chrono-logiam Episcopus inauguratus anno 370. obiit anno 40. De eo, præter Bononienses Scripto-res, loquuntur Martyrologium Romanum, Baronius, (*ad An. Chr. 381. n. 82. & in Not. ad Martyrolog. Rom.*) & Bineus; (*In Not. ad Concil. Aquilejens. T. 2. pag. 980.*) qui ajunt interfuisse Concilio Aquilejensi una cum D. Ambrosio, quocum familiaritatem habuit, de ipsoque pluribus in locis D. Ambrosius loquitur. (*Lib. 1. de Virginib. c. 10. & l. 3. de Virginib. ac. l. de Institut. Virg. & S. Maria Virg. alif-que.*) Patres Maurini duos faciunt Euse-bios, unum familiarem S. Ambrosii, nobi-lem Bononiæ Civem, ad quem direxit librum *De institutione Virginis, & S. Mariae Vir-ginitate.* Epistolæque 54. & 55. hancque dicunt fuisse caput nobilis Familiæ, & fi-lium habuisse multiplicis prolis parentem, Faustinum nomine. Alterum S. Eusebium, de quo agimus, & de quo loquitur Ambro-sius in libris de *Virginibus*. Contra vero Tillemontius (*Nota 6. ad vitam S. Am-brosii.*) sustinet, unum, eundemque fuisse Eusebium, cui omnia prædicta conveniunt. Sed quidquid sit de hac controversia, nobis satis est asserere nostrum Eusebium fuisse eundem, cujus meminit D. Ambrosius cit. lib. de *Virginibus* & una cum illo Concilio Aquilejensi interfuisse, in quo eum Tille-montio consentiunt PP. Maurini, a Sancto-que Ambrosio laudari hujus diligentiam in conquirendis, & Deo sacrandis Virginibus. Quantum vero contulerint ad Catholicam ve-ritatem promovendam, & damnandam in di-cto Concilio hæresim Arianorum, constantia, & doctrina S. Eusebii, videri potest apud Baronium; (*Ad an. Chr. 381.*) Tillemontium, (*Art. 22. & seq. de vita S. Am-brosii.*) & alios. Sigonius (*In vita S. Eusebii.*) adscribit tempori S. Eusebii inven-tionem Corporum Ss. Vitalis, & Agricole, de qua infra c. 23. ab illoque communiter creditur erectum fuisse prædictorum Ss. Mo-nasterium. Addit Ferrarius, (*De Sanctis Italia*), ab ipso etiam S. Proculi. Monaste-rium.

Agricola, crucifixus est; & quidem multis clavibus, ut plura fuerint vulnera, quam membra. Tempus eorum Martyrii non designat S. Ambrosius in *cit. Exhortatione Virginitatis*. Assignatur tamen in Epistola 55. lib. 7. quæ ipsi tribuitur, tempus scilicet persecutionis Diocletiani, & Maximiani, atque adeo annus circiter 304. Illam Epist. genuinum esse Ambrosii partum, in dubium revocat Pp. Maurini, ob frigidum stylum, qui S. Doctoris alacritatem, & vigorem non redolet. Consentit Tillemontius; (*tom. not. 1. in vitam horum San.*) subdit tamen certum esse tempus Martyrii in ea indicatum. Corpora horum Ss. tumulata fuerunt eodem in loco, in quo sepeliebantur Hebræorum cadavera, teste S. Ambrosio, ibique permanserunt ab ann. 304. ad 392. in quo anno placuit Deo eorum sepulcrum revelare, ut narrat S. Paulinus, non Episcopus Nolanus, sed alius, qui S. Ambrosio fuit a Secretis. (*in vita S. Ambr. cap. 14.*) Non declarat hic S. cuinam facta fuerit revelatio, sed tantum eorum Corpora esse ignota populo Christo, nisi se Ss. Martyres Sacerdoti ipsi revelarent. Hinc dubium est an revelatio facta fuerit S. Ambrosio, an S. Eusebio Bononiæ tunc Episcopo, qui S. Ambrosium acciverat, ut Sacram Reliquiarum translationi præesset? Tillemontio (*Not. 3. in vitam horum Ss.*) in verisimile apparet, alium intelligi Sacerdotem, quam S. Ambrosium, cujus modestiæ, ut obsecundaret S. Paulinus, ejus nomen reticuit.

10. &c. Quidquid tamen de hoc sit, certum est, S. Ambrosium, ipso attestante, perquisivisse inter Hebræorum sepulcra horum Ss. Corpora. Rursus, quando illa jam inventa, translata sunt, translationi interfuisse (una cum magna Judæorum multitudine) populam Christianam ingenti gaudio exultantem. Ipsum Ambrosium per seipsum collegisse præterea eorum Sanguinem, ac Martyrii instrumenta, Crucem scilicet, & multos clavos, quin & Sudaria Ss. Quæ omnia dum transferrentur una cum Ss. Corporibus, innuit S. Doctor se Crucem prædictam gestasse: *Detuli ego munera, quæ meis elegi, manibus Crucis trophæum &c.* (*cit. Exhortat. ad Virg.*) additque prodigia multa in ea translatione evenisse; Dæmones a corporibus diversis affligebantur, contingentes sudarii Ss. sanatos esse: postea subdit: *Sed & alia multa mirabilia per Ss. suos in præsentia populi facta sunt, dum transferrentur.* Jam supra cap. 5. in vita S. Julianæ diximus, ab hac S. extractum fuis-

se Templum Ss. hæc Martyribus eo in loco, quo ipsi Martyrium subierunt, illudque a S. Petronio fuisse consecratum. Ibi reposita sunt horum Ss. Corpora; inde vero postea translata sunt ad Ecclesiam S. Petri, quæ una est ex iis, quæ continentur in Basilica S. Stephani. Ex hoc rursus asportata ann. 1019. in Ecclesiam Cœnaculi appellatam, quæ pariter ad S. Stephani pertinet Basilicam; ibi etiam nunc jacent in marmorea urna valde honorifica, & superimposita Altari juxta recentem sculpturam eleganter extructo. In ea urna major pars Corporum cum clavibus, aliisque Martyrii instrumentis clauditur. Cum vero Ecclesia Cathedralis (nunc Metropolitana) flammis fuerit absumpta ann. 1130. iterumque reedificata ann. 1165. hac occasione in illam translata est magna pars. Reliquiarum horum Ss. Eadem vero postea solemnè pompa transitulit Cardin. Patæoto, collocavitque in Ara maxima Ecclesiæ subterraneæ, ut videri potest in ejusdem Card. *Archiepiscopi*. Multæ præterea horum Ss. Reliquiæ aliò sunt asportatæ. Alias enim statim secum detulit S. Ambrosius, donoque dedit S. Julianæ Viduæ (Florentinæ utique, ut supra censuimus cap. 5.) collocavitque in Templo Florentiæ ab ipsa extructo, & ab eodem Ambrosio dicato; ut ex eodem S. Doctore constat, & ex antiquis Lectionibus S. Julianæ Bononiensis. Supra etiam cap. ix. meminimus de Reliquiis horum Ss. missis ad Urbem Claromontanam ad petitionem S. Namatii, ejusdem Urbis in Gallia Episcopi, quarum declarationem, miraculaque in ea patrata, narrat S. Gregorius Turonensis. (*Lib. 2. suar. Historiar.*) De hoc fute agit Suassayus. (*In Martyr. Gal. ad diem 25. Nov.*) Alias horum Martyrum Reliquias accepit S. Paulinus Notæ Episcopus, de quo paulo infra capite.

25. De aliis etiam in Civitatem Rhemensem translatis certo constat, ad Basilicam scilicet olim dictam Jovinianam, nunc vero Nicæsanam. Ad hanc enim missæ sunt a Bononiensibus post annum ab inventione Corporum horum Ss. nempe ann. 393. vel 394. Hæc eadem Ecclesia nunc agnoscit, & colit, tamquam Patronos, & præcipuos suos Titulares, præfatos Ss. Vitalem, & Agricolam. Videantur Tillemontius, in *vita horum Sanctor.* & Ruinart. (*in Pref. ad Act. Sanctor. horum, & in Adnot. ad lib. 1. Gregor. Turonen. de Gloria Martyr. cap. 44.*)

CAPUT XXIV.

*De S. Jucundo Episcopo Bononiae.
Die 14. Novembris.*

1. **I**N honorem S. Jucundi Episcopi Bononiae recitabantur in tota Diocesi Missa, & Hora Canonica die 14. Novemb. petita ex Communi Confessorum Pontificum: nunc vero ex concessione Benedicti XIV. ex S. Basilio depromptæ fuere Lectiones 2. Nocturni, S. Jucundo accommodatæ. De prædicto Antistite loquitur Martyrologium Romanum, inauguratumque fuisse Episcopum ann. circiter 485. contendit Baronius, (*in Notis*) consentitque Tillemontius, (*in vita S. Petronii*.) addens nihil de Actis hujus S. ad nos pervenisse. Sigonius scribit, S. Corpus tumulatum fuisse in antiqua Cathedrali Ss. Naboris, & Felicis. Nunc publicæ venerationi expositum est in Ara, quæ dicitur Crucifixi, in capsula aurata prope Corpus S. Felicis, de quo jam loquemur.

CAPUT XXV.

*De S. Felice Bononiae Episcopo.
Die 4. Decembris.*

1. &c. **D**E S. Felice Episcopo Bononiae, & Confessore celebrabatur olim, in tota Diocesi 4. Decembris Sacrum, Officiumque de Communi Confessorum Pontificum; nunc ex concessione Benedicti XIV. quarta Lectio propria est, & videri potest in Breviario Diocesis, sicut etiam quinta, & sexta, quæ desumptæ sunt ex S. Gregorii Nazianzeni sermone, S. Basilio laudes complectente, quæ etiam S. Felici congrunt. De eo meminit Martyrologium Romanum, dicens: illum primo fuisse Diaconum S. Ambrosii, posteaque Bononiae Episcopum; quod ex Paulino S. Ambrosii Secretario erutum est. (*in vita S. Ambr.*) Idem Ambrosius hoc Felice Diacono usus fuit, ad portandas litteras ejusdem, ad Theodosium Imperatorem, ab eoque impetrandam clementiam pro iis, qui ad Ecclesiam confugerant, quando idem Imperator insignem victoriam reportaverat, ut ex ejusdem Sancti epistola constat. Præterea scribit Sigonius, (*in vita S. Felicis*.) hunc S. Felicem misisse ad S. Paulinum Nolæ Episcopum Reliquias Ss. Mm. Proculi, Vitalis, & Agricola, quod valde verisimile est, cum hi Ss. Episcopi fuerint contemporanei. Testatur deinde, S. Felicem erexisse duo Monasteria, alterum

in honorem Ss. Gervasii, & Protasii, alterum vero in honorem Ss. Mm. Felicis, & Naboris; atque a Joanne Imperatore dono illi datum fuisse Monasterium in monte Palensi, nunc monte *Qvoli* dicto. Et hæc donatio antiquior Imperatorum facta Bononiensi Ecclesiæ, quidquid sit de his, quibus Constantinus omnes Ecclesias magnifice exornavit; certe singularis est, utpote hominis juris Ecclesiarum everforis; nam ut legitur apud Baronium, (*Ad ann. Chr. 423. num. 3. & ad an. Chr. 425. n. 7.*) omnem Episcopis abstulit jurisdictionem in causis Ecclesiasticis, eamque in Judices laicos transtulit. Hinc Joannes Imperator potius Joanninus dicendum; tum quod inter Imperatores nullus recensetur Joannes; tum quod ita appelletur in confirmatione privilegiorum Bononiensi Ecclesiæ facta a S. Gregorio VII. de qua idem Sigonius. (*in vita Lamberti*) In aliis etiam monumentis Joanninus dicitur; forte in contemptum ejus personæ, quia in Valentiniani pueritia ipse Imperium sibi arrogavit anno 423. annoque 425. interfectus fuit. Insuper per dicta Monasteria potius Ecclesiæ intelligantur; nam hæc antiquitus *Monasteria* appellabantur, ut cum Du-Cange verbo *Monasterium* ostendit Bollandus. (*in vite S. Protasii n. 9. die 10. Februarii*.)

4. &c. Ambrosianum ritum aliquandiu viguisse in Ecclesia Bonontensi, alibi docuit Benedictus XIV. (*in Tract. de Sacrificio Mis.*) eo quod hæc subjacuerit Mediolanensi Metropolitæ, Ecclesiæque Metropoli se conformare debeant cætera ejusdem provincie, juxta Can. 27. Concilii Epaonenfis ann. 517. (*Tom. 2. collect. Harduin. col. 147.*) An vero a S. Felice inductus fuerit, certo definiti non potest, cum incertum sit tempus dictæ subjectionis, ut supra retigimus: Postremo concludendum, S. Felicem obiisse anno 429. & in Ss. Naboris, & Felicis Templo esse conditum, ubi etiamnum quiescit sub Christi Crucifixi Ara, ejusque Caput inter alias Reliquias in Altari positum esse a Card. Palæoto in Metropolitana Bononiae Ecclesia.

11. &c. Cum vero dicamus S. Felicem De Ambrosii Diaconum fuisse, non abs erit aliqua innuere de speciali cultu, quo Bononia olim venerata est De Ambrosium. Illum inter antiquiores Civitatis Patronos annumerat, cujus rei antiquitas tanta est, ut illius originis nullum extet documentum in Archivio, solummodo in eo extant monumenta, in quibus legitur, Civitatem anno 1301. decrevisse, ut ob singularia ab eo

accepta beneficia celebraretur S. Ambrosii Festum cum solemnitate; ac seniores Populi, cum ad invisendum Corpus S. Petronii solemniter accederent, in Festo ejusdem Sancti consuevisse secum habere carrucam, seu carrocium cum vexillo, in quo depicta erant S. Ambrosii, atque S. Petronii imagines. Insuper, in Platea maxima sita erat Ecclesia ipsi dicata, quæ per plura sæcula pertinebat ad publicum Magistratum Palatium: sed cum decursu temporis ædificata fuerit Basilica S. Petronii, diruta fuit, atque ibi constructum fuit Odeum, seu Presbyterium Canonorum novæ Ecclesiæ. Restat adhuc super Aram maximam S. Petronii in uno ex angulis Templi imago S. Ambrosii, simul cum aliis Civitatis Patronis, Patronio scilicet, Proculo, & Floriano: in unaque ex Ecclesiis, quæ a quatuor Crucibus nomen habent, videtur sculpta ejus imago simul cum cæteris Ss. Patronis. Præterea in jurejurando, quod Magistratus emittunt coram Cardin. Legato, inter primos Urbis Patronos S. Ambrosium invocant. Ipseque Senatus Bononiensis die S. Ambrosii mittit, aut etiam fert munus cereorum ad parvulam Ecclesiam in via, quæ vulgo dicitur *della Savonella*; ubi sodalitas, sub invocatione S. Ambrosii sacras preces canit. An prædicta obsequia eo oblivionis pervenerunt, ut Benedictus XIV. dum Bononiensi præfset Ecclesiæ, quo pristinum amorem, ac venerationem erga dictum S. excitaret in Metropolitana Basilica Altare D. Ambrosio dicatum erexerit.

C A P U T XXVI.

De S. Floriano: Die 16. Decembris.

I. &c. **S.** Florianus, inter Ss. Bononiæ Patronos accensus, celebratur 16. Decembris in tota Diocesi cum Officio ex Communi Mm. nunc vero ex concessione Benedicti XIV. cum Læctionibus secundæ Nocturni propriis ex quodam S. Augustini sermone compositis. Ejus Martyrii Acta asservantur in Cœnobio S. Stephani in Chronicis MS. In illis tanquam certum ponitur, S. Florianum illum esse, de quo Martyrologium Romanum (*Ad diem 17. Decem.*) ait, passum fuisse Martyrium a Saracenis Eletheropoli in Palæstina, una cum Calanico, & Sociis 58. tempore Heraclii, nimirum anno 37. ejus Imperii, ut vult Baronius, (*In Notis ad Martyrolog. Roman.*) & consonant Beda, Ussardus, Ado, Scriptoresque Bononienses. In Læctionibus, quas

PP. Dominicani Bononienses recitant, ex dictis Chronicis erutis, habetur, anno 27. Imperii Heraclii cum a Saracenis obfessa fuisset Civitas Gazæ, Ss. Calanicum, Petrum, Paulum, Theodorum, & Joannem, aliosque ad 39. simul cum S. Floriano in testimonium Christianæ Fidei martyrii palam gloriosa morte obtinuisse, eorumque Corpora, & Reliquias asportata fuisse Bononiam opera S. Petronii, qui illa obtinuit Theodosi juniore Imperatore, & obtenta collocavit in Basilica S. Stephani ab ipso ædificata, ubi etiam nunc asservantur. Verum hæc narratio multum in primis diffidet a Martyrologio Romano, tum in numero Martyrum 58. & 39. tum in Urbe *Gaza*, & *Eletheropoli*: nec videtur sustineri posse in eo, quod addit, opera S. Petronii Bononiam fuisse translata Corpora horum Ss. qui tempore Heraclii occisi fuerint, anno scilicet Chr. 640. cum S. Petronius mortuus fuerit ann. Chr. 450. atque adeo 190. annos ante prædictam Imperii Heraclii annum.

3. &c. Multi equidem Ss. Floriani extitere, quorum unus passus fuit Lauriaci in Norico Ripensi, & in flumen Anisium præcipitatus est tempore Diocletiani, & Maximiani, ut ait Martyrologium Romanum. (*Ad diem 7. Maji.*) Verum nimis ægre sustineri potest hunc & Florianum eundem esse, de quo agimus: tum quia ejus Corpus post varias translationes quæscit Cracovix in Polonia, juxta Bollandistas: tum quia non in Palæstina, sed in Norico passus est, & nusquam legitur S. Petronium in Noricum perrexisse. Videantur animadversiones Georgii. (*in Martyr. Adonis ad 4. Maji.*) De duobus aliis loquitur Ferrarius, (*In catalog. S. S. Italia, die 4. Maji.*) uno, quem Vicentini Civem esse dicunt suum, ejusque Corpore potiri, licet dissentire videantur antiquæ Læctiones apud eisdem asservatæ: altero Patrono Civitatis Æsii, cujus Corpus ibidem jacet sub Ara maxima Ecclesiæ Cathedralis; testaturque ejus inscriptio, hujus Sancti Corpus inventum fuisse penes ripam fluminis Æsii, de cujus ponte præcipitatus fuerat tempore Marci, & Diocletiani Imperatorum, illoque in loco reconditum anno 1411. Nulla alia extant de hoc Sancto documenta, eo quod incausa fuerint Archivia Civitatis Æsii in vastatione prædictæ Civitatis sub Leone X. Ejus Festum celebratur 4. Maji. Facile tamen patet, neutram horum esse S. Florianum, de quo agimus.

10. &c. Igitur Sigonio insistentes, (*Lib. 1. Histor. Bonon.*) & maxime traditioni Bo-

noniæ antiquissimæ, quam præterea confirmant Ghirardaccius (*in Histor. Bon. ann. 430.*) & De Albertis, (*Histor. Bonon. ann. 434.*) dicendum S. Florianum, de quo loquimur, passum fuisse in Palæstina sub Diocletiano Imperatore, in qua regione præcipue debacchata est persecutio, ut narrat Lactantius (*in Op. de Mortib. Persecutor.*) Diocletiano coævus, & Eusebius, qui specialem tractatum edidit *De Martyribus Palæstina*; & cum multos nominatim recensent, aliorum reticet nomina; quæ præ multitudine scire non potuit; unum ex quibus fuisse tenendum est hunc S. Florianum. Ut autem narrat cit. Sigonius, (*in vitis Ep. Bon.*) S. Petronius *Constantinopolim* sive privati sive publici officii, causa repetit, ac pro summa apud Theodosium Imperatorem auctoritate, sacras inde Reliquias multas extraxit, quibus Bononiam reportatis, cum alia Tempia, tum in primis S. Stephani decoravit, inter quas Corpora fuisse feruntur S. Floriani, S. Hadriani, & S. Natalis MM. quorum ille in *Æde S. Ste-*

phani, hi in Æde S. Felicis hodie servantur. Jacet igitur Corpus S. Floriani in Basilica S. Stephani in urna marmorea, sita in parte postica Aræ vulgo *della Benda*. Urna hæc continetur in Sacrarum Reliquiarum repositoio, in quo præter Vittam, sive Fasciolam B. Virginis, servatur dives aliarum Reliquiarum thesaurus. Prædicta Urna an. 1640. aperta fuit, ibique repertum S. Floriani Corpus cæteroqui integrum, sed sine capite, teste Bombacio; quia illud asservatur in eodem repositoio, sed in tabernacule affabre elaborato; per Urbemque circumfertur in solempni supplicatione, qua haberi solet 2. die Solemnitatis Paschæ. Cultus Civitatis exhibitus S. Floriano, & tanquam S. & tanquam Patrono, omnem memoriam excedit; plurima numerantur miracula ab eo patrata, in favorem Bononien-
fium; ea propter anno 1300. decrevit Civitas (uti convat ex antiis quis monumentis in Archivis asservatis) ut in posterum quotannis inviseretur illius Corpus die ipsi sacro, eique votiva dona offerrentur.

F I N I S.